UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Perfectionibvs Moribvsqve Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

urn:nbn:de:hbz:466:1-46817

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2770.

IX
22

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS LIBRI XIV.

Quibus pleraque sacræ Theologiæ mysteria breuiter ac dilucidè explicantur:

Auctore LEONARDO LESSIO Societatis IESV S. Theologiæ Professore.


Collegij Societatis JESV Paderbornæ 1636.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem Moretum, & Viduam Ioannis Moreti, & Io. Meursium.
M. DC. XX.
Cum Priuilegiis Cæsareo & Principum Belgarum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Admodum R^do in CHRISTO Patri

D. ANTONIO DE WINGHE

ABBATI

ET RR. PP.

D. PRIORI CETERISQ. RELIGIOSIS

NOBILIS MONASTERII

LAETIENSIS

LEONARDVS LESSIVS

Salutem in DOMINO *sempiternam.*



INTER ea quæ homini in hac vita maximè debent esse curæ, admodum R^de Domine, Patréſque venerandi, primum meritò locum tenet cognitio Diuinitatis; eâque non perfunctoria vel æridæ cuiuſdam ſpeculationis, ſed accurata, illuſtris, & efficax, quæ vim ſuam etiam in affectum & omnes animæ vires diffundat. Ex hac enim omne bonum animi, omniſque ſalutaris diſpoſitio, qua ad perfectionem & vitam æternam ſubleuamur, tamquam ex

vberrimo fonte promanat; & sine hac frustrà ad sublimem perfectionis gradum contendas. Quam ob caussam Sapiens notitiam Dei vocat Sap. 15. *iustitiam consummatam* seu perfectam; nimirum quia iustitia consummata ex illa notitia, sicut ex luce calor, ex vita motus, & ex pulchri visione amor, nascitur.

Hinc Apostoli accepto Spiritu sancto, quo mirabiliter circa Diuinitatem & humanitatem Christi illustrati fuere, momento temporis plus perfectionis adepti sunt, quàm nos in nostris tenebris tota vita consequi possimus: & beatissima Virgo, ob eximiam qua donata est Diuinitatis notitiam, statim perfecta fuit; adeò vt non solùm peccatum vllum veniale non commiserit, sed neque vllum opus imperfectum, seu tepidum, languidum, vel adiaphorum admiserit. Simili modo (& quidem excellentiori ac sublimiori) omnes iusti post hanc vitam, simulatque lumine gloriæ, quo Diuinitatem clarè cognoscent, illustrati fuerint, subitò in omnibus animæ viribus perfectissimi euadent.

Quicumque ergo ad insignem perfectionis ac sanctitatis gradum in hac vita adspirat, hoc maximè curare debet, vt altissimam & clarissimam, quantum homini fas est, Diuinitatis ac diui-

diuinarum perfectionum notitiam assequatur: hac enim semel obtenta, facilè & cum magna etiam voluptate mundum despiciet, carnem domabit, iustitiam colet, diuina præcepta & consilia seruabit, & Christi Domini nostri vitam imitabitur. Tantum enim in Deo boni, tantum solatij & gaudij inueniet, vt cetera omnia nihili æstimet, dicatque cum Propheta: *Quid mihi est* Psal. 72. *in cælo, & à te quid volui super terram! Defecit caro mea, & cor meum; Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.* Per huius notitiæ lucem vilescent omnes honores, omnes opes, omnes carnales voluptates, & quidquid mundus admiratur & prosequitur: nihilque menti in pretio erit præter Deum, & quod Deo carum.

Notitiæ Diuinitatis coniungenda cognitio humanitatis Christi, & perfectionum illius. Ipsa enim est speculum omnis sanctitatis, in eáque clarissimè relucet omnis perfectio quæ ex consideratione Diuinitatis & perfectionum diuinarum colligi potest. quod insinuat Dominus cùm ait: *Hæc est vita æterna vt cognoscant te so-* Ioan. 17. *lum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Vbi vtramque notitiam requirit, quam dicit esse *vitam æternam*, quia est vnica ad vitam æternam via, eamque quodammodò ex se

sarit. Potest autem hæc notitia dupliciter haberi: modo communi per fidem, & sic est necessaria omnibus iustis; & modo excellenti, nempe cùm fidei accedit donum sapientiæ: qua ratione etsi non sit absolutè necessaria ad salutem, est tamen necessaria ad perfectionem & insignem sanctitatis ac gloriæ gradum consequendum. Et quamuis hoc illustre donum sapientiæ potissimùm illustratione diuina proueniat, quæ idcircò oratione & vitæ puritate nobis assiduè procuranda est; tamen ordinariè ad hoc etiam opus est studio & meditatione nostra. Illa enim dona cælestia, ad quæ aliquid conferre animumque disponere potest industria nostra diuinæ gratiæ auxilio adiuta, Deus sine nostra cooperatione conferre non consueuit; nisi quibusdam peculiari fauore ad eximium aliquod munus, quod statim magnam animi perfectionem & sapientiæ sanctitatisque excellentiam postulet, electis, sicut in beata Virgine & Apostolis vsu venit.

Cùm ergo Deus ordinariè hanc nostram præparationem requirat, qua doctrinâ fidei instructi, vires ingenij in res illas sublimissimas, quantum fas est, intendamus, R^dus P. Franciscus Florentinus piæ mem. valdè huiusmodi contem-

templationibus addictus, petiit à me vt postquam eam materiam, explicando primam partem Summæ Theolog. S. Thomæ, bis interposito multorum annorum curriculo pertractassem, aliquid de ea scriberem, quod simul intellectum pascere, & affectum moresque posset componere. Feci id lubens, adhibita sedula meditatione, vt prior ipse, quantum possem, degustarem illarum rerum suauitatem. Adiuuit non parum S. Dionysij Areopagitæ cæleste opus; cuius lectione, in sua præsertim lingua, iam inde à quadraginta annis plurimùm semper fui delectatus: de quo Auctore nemo dubitare poterit, qui sublimissimam ipsius doctrinam, & plusquam humanum loquendi modum, intellexerit.

Hoc meum scriptum, animique mei Commentationem iam pridem affectam, & tandem post multorum annorum intermissionem, vtcumque confectam, R^dæ Paternitati Tuæ, & venerando Cœtui vestro, inscribere & dedicare instituì, & reipsa dico & offero; partim vt sit pignus antiquæ inter nos amicitiæ, partim vt symbolum aliquod gratitudinis plurimorum beneficiorum, quę nostra Societas in illis præsertim locis à vobis accepit; partim quia hæc maximè

sinè consentanea sunt vestræ professioni, quæ potissimùm vitæ contemplatiuæ & cælesti conuersationi est consecrata: consentanea quoque excellenti illi institutioni, quæ vobis à viro verè sancto, & præclaro spiritus Magistro D. Ludouico Blosio est relicta; quam etiam in hunc diem egregiè tuemini, & in primis Tua Paternitas moribus & vita sic exprimit, vt mihi dum in illam oculos coniicio, S. Benedicti viuam quamdam imaginem cernere videar. Qua de re, si tua modestia pateretur, plurima dicere possem, quæ nunc silentio prætereo, vt tibi (cui nihil molestius quàm suas audire laudes) morem geram.

Ob has aliasque caussas, R^de Pater, hunc Tractatum vobis vestræque Familiæ dedicandum & offerendum censui; rogans vt solita humanitate & benignitate eum acceptare dignemini: & si quid in eo præclari ad rerum diuinarum hauriendam intelligentiam, & ad affectus nostros à terrenis ad cælestia transferendos, inueneritis; id omne *Patri luminum, à quo omne datum optimum, & donum perfectum*, adscribatis: si quid verò humile, impolitum, ambiguum, minusque commodum visum fuerit, id meæ imbecillitati condonetis, Deumque pro me oretis, vt mentem

Iacob. 1.

tem meam quotidie magis magisque, vsque ad extremum vitæ terminum, spreto perfectè mundo, ad cęlestia desideria erigat. Hæc summa votorum meorum. Hoc potissimùm ad quod omnia religiosæ vitæ instituta, & religionis exercitia nos ducunt; ad quod omnia nostra studia ac scripta tendere, quodque omnes in hac vita maximè optare & conari debent. Dei Domini nostri infinita bonitas, nobis ad hoc consequendum vberem gratiam largiri dignetur. Vale admodum R^de Domine cum familia tua benedicta. Louanij, IV. Octob. M. DC. XIX.



** PRÆ-

PRAEFATIO.



VLTI eam Theologiæ partem, quæ in speculatione versatur, parum sibi vtilem, parum moribus accommodam arbitrantur. Quo fit vt vel exiguam in ea sibi comparanda, dum in Theologiæ palæstra exercentur, operam collocent, vel certè absoluto studiorum curriculo negligant, totiq; in eam quæ practica vocatur, incumbant. Prorsus ac si ista planè sterilis, hæc sola fœcunda foret in hominum vtilitatem.

Theologiæ speculatiuæ præstantia.

Sed falluntur profectò, atque iucundissimo vtilissimæ scientiæ fructu sese priuant. Nam primò, inter omnes Theologiæ partes nulla præstantior, nulla dignior, nulla quæ magis Theologiæ aut sapientiæ (quæ æternis contuendis consulendisq; insistit) nomen mereatur. Longè enim præstantius est, de rebus diuinis, nempe de Dei perfectionibus, de S^ma^ Trinitatis arcano, de creatione & conseruatione mundi, de cooperatione Dei cum rebus creatis, de Incarnationis & Eucharistiæ mysterio, de visione Dei, & vitæ æternæ, vel pauca cognoscere; quàm plurima de rebus creatis, de inuentis & institutis humanis, aliisq; rebus, quarum vsus solum ad hanc vitam pertinet.

Vtilitas.

Deinde, hæc pars Theologiæ homini non solum maximam consolationem adfert, si quis ea probè norit vti, sed etiam summam perfectionem & sanctitatem conciliare potest. Non enim, vt quibusdam persuasum est, ea quæ

hîc

hic traduntur, ad scholas tantùm ac scholasticas pertinent disputationes, sed vel maximè ad vsum ac commodum cuiusque deriuantur, vt scilicet attentissima illarum rerum consideratione mens in Deum assurgat, illum contempletur, admiretur, veneretur, timeat, amet, & iugiter laudet ac benedicat, semperq; in eius conspectu posita, vitam omnem ac mores ad eius beneplacitum nutumq; perfectissimè componat Hic est proprius Theologiæ speculatiuæ scopus, hic finis. Hanc ob causam sublimia ista mysteria sæpè animo voluenda, & mens in eorum contemplatione exercenda, idq; ea animi submissione ac reuerentia, qua par est; ope diuina, ac sancti Spiritus illustratione, ad id ritè peragendum, frequenter implorata. sine hac enim sterile esse ac inutile omne nostræ contemplationis studium, fatendum est.

Accedit, quòd etiamsi alia quæ in Theologia traduntur, ad vitam piè sanctèq; instituendam conducant plurimùm, nihil tamen sit, quod mentem adeò à rerum fluxarum & caducarum amore auocet, & ad cælestium ac æternarum desiderium inflammet, quàm diuinarum perfectionum & operationum meditatio. Hæc est quæ sola veluti omnium aliarum scientiarum Domina & Princeps in futuro sæculo vigebit, & omnia reget ac moderabitur, cessantibus omnibus alijs quæ in hoc sæculo ad praxim comparata. Hæc homini in terra constituto prælibat initium cælestium gaudiorum, dum, quod in æterna Angelorum societate ipsi agendum est, id inter homines constitutum agere docet, singulari quadam æternæ felicitatis

prærogatiua. *Ad hanc tamquam ad ſupremum culmen omnis ſapientiæ ac virtutis S. Dionyſius ita Timotheum exhortatur:* Tu verò, chare Timothee, circa myſtica ſpectacula, continua exercitatione & ſenſus relinque, & intellectuales operationes, & ſenſibilia, & intelligibilia omnia, & ea quæ ſunt & quæ non ſunt omnia, vt ad vnionem eius qui ſuper eſſentiã & notionem eſt, quantum fas eſt, ſine notione aſſurgas. *vbi de excellentiſſimo agit contemplationis modo, in quo conſideratis accuratè Perfectionibus diuinis, quatenus ad certam ſpeciem limitatæ ac inter ſe diſtinctæ offeruntur, mens aſſurgit ad aliquid ſublimius & illimitatum, omnibus iſtis infinitè præſtantius, illiq; ignoto modo ſe contemplatione & amore coniungit.*

Cap. 1. Myſticæ Theologiæ.

ἀγνώσιας.

Denique cognitio diuinarum Perfectionum eſt ſuprema ac prima omnis ſanctitatis & perfectionis vitæ regula naturæ rationali, Angelicæ pariter ac humanæ: quæ ſi perfecta ſit, ſola ſufficit ad ſummam maximarum virtutum perfectionem aſſequendam. Noſſe enim te, conſummata iuſtitia eſt, & ſcire iuſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis. *Quia ſcilicet cognitio Dei eſt ſuprema & abſolutiſſima perfectæ conſummataq; iuſtitiæ regula, eámque in affectu excitat, excitatam auget, auctamq; perficit. Et quid eſt illud,* Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM; *niſi hanc notitiam eſſe normam omnis rectitudinis, qua certiſſimè ad vitam æternam perducamur. Quid, quòd Apoſtolus toties tam arden-*

Sap. 15.

Ioan. 17.

ardentibus votis rogat & obsecrat vt fideles crescant in scientia Dei? *Quid, quòd tam seriò Abrahæ inculcatur,* Ambula coram me, & esto perfectus; *quid, inquam, indicatur aliud, nisi per assiduam diuinæ præsentiæ, ac diuinarum Perfectionum considerationem, virtutes ac vitæ perfectionem acquiri? Hinc in præsentia Dei præ oculis sibi perpetuò retinenda, Sanctorum studium ac industria plurimùm desudauit. Huc etiam pertinet diuinorũ Morum consideratio, quos sub diuinis Perfectionibus comprehendere possumus: ad quorum imitationem Christus Dominus crebrò suos hortatur:* Diligite, *inquit,* inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. *&,* Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. *Christum hac in re Apostolus imitatur, dum Ephesios & in ijs nos omnes, vt Dei simus imitatores, exhortatur.* Estote, *inquit,* imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. *Ex quibus efficitur, diuinarum Perfectionum considerationem regulam esse excellentissimam omnis perfectionis & sanctitatis; quæ si menti nostræ perfectè proposita foret, alia regula minimè esset opus.*

Rom. 15, 14. 1. Cor. 1, 5. Ephes. 3, 19. Philip. 1. Col. 1, 2. Genes. 17.

Matth. 5.

Ibidem. Lucæ 6.

Ephes. 5.

Porrò sicut diuinæ præsentiæ cognitio, ac diuinorum Morum operationumq; meditatio hominem adducit ad omnem virtutem ac vitæ perfectionem: ita econtrariò

Dei ignoratio, ac inconsiderantia fons est omnis vitij,
Psal. 13. *turpitudinis ac peccati, iuxta illud:* Dixit insipiens in
corde suo, Non est Deus. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. *Quis enim est tam proiectæ salutis, qui scelus vllum in se admittere non formidaret, si quantum id Deo displiceat, perpenderet, ac eum sibi præsentem, iramq; suam ac æternæ calamitatis fulmen minitantem apprehenderet?*

Ratio verò cur cognitio Dei prima sit regula virtutis, est manifesta. Quia perfectio hominis consistit in vnione cum Deo, primo suo principio, & fine vltimo. Hæc autem vnio cum Deo originem accipit à cognitione, quæ totius vnionis cum Deo est fundamentum. Nam, vt Dionysius ait, prima vnio cum Deo est per intellectum. Ex hac autem sequitur vnio per affectum, nempe per spem, charitatem & religionem: & vnio aliarum virium animæ cum eodem, quatenus earum operationes per affectum in Deum, id est, in Dei gloriam eleuantur ac diriguntur. Id ipsum in beatissimis cæli incolis obseruatu dignissimum est: illorum enim affectus omnes ac motus secundùm vnicam eamq; perfectissimã diuinæ cognitionis regulam efformantur. Ab hac aliæ omnes iustè sanctèq; viuendi regulæ participant rectitudinis rationem; ex hac omnis Christi doctrina ac vita immediatè profluxit; ex hac omnium Sanctorum documenta & exempla omnia dimanarunt. Quod etiam ex eo confirmari potest, quòd omnis lex & regula à lege æterna deriuentur. Atqui lex æterna

ex

ex essentia diuina resultat, sicut lex naturæ in homine & Angelo ex natura rationali. Ergo Diuinitatis cognitio est prima ac suprema regula omnis perfectionis.

Postremò, cum Dei notitia, sui consideratio est coniungenda, vt perspecta vtriusque distantia, hinc sua imperfectione ac tenuitate, inde Dei perfectione ac maiestate, quid cuique tribuendum sit, depulsis proprij amoris tenebris, clarissimè cognoscat. Ex mutua enim illa humanæ humilitatis ac diuinæ celsitudinis compositione, quid officij sui ratio tum erga Deum tum erga seipsum postulet, facillimè cognoscetur. A nobis malum habemus, & imperfectionem; à Deo omne bonum, & omnem perfectionem. Quapropter omnis amor Dei bonitati debitus, omnis honor perfectioni; nostræ verò malitiæ pœna, vilitati contemptus.

Porrò in Deo considerari possunt vel perfectiones intrinsecæ, quæ illi Maiestati inesse concipiuntur, vel extrinsecæ actiones in creaturas; & vtrarumque consideratio est nobis regula summæ sanctitatis. Harum quidem per modum exemplaris, quod iuxta Domini monitum proponitur nobis imitandum. Matth. 5. Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. *nempe in dilectione inimicorum, in patientia, longanimitate, misericordia, &c. quæ in operibus Dei eiúsque gubernatione elucent. Illarum verò varijs modis, prout illarum consideratione ad amorem, timorem, venerationem, humilitatem, aliasq; virtutes commouemur, vt infrà explicabitur. Itaque statui tractare de Perfectionibus diuinis, &*

simul

simul de Moribus diuinis qui nobis imitandi, tamquam diuinarum virtutum & perfectionum functiones. Et

Ratio inscriptionis.

quamuis hæ perfectiones, vt sunt in Deo, non distinguantur, sed vnica sint, summa, absolutissima & simplicissima perfectio; tamen quatenus menti nostræ obijciuntur, & à nobis concipiuntur, habent quamdam quasi formalem distinctionem, qua instar distinctarum formarum à nobis apprehenduntur, neque aliter in hac vita concipi possunt; cuius rei ratio infrà explicabitur. Quare cùm diuinæ Perfectiones, vt menti nostræ obijciuntur, multæ sint numero, & diuerso modo, & ad diuersas virtutes mentem moueant, numero multitudinis eas exprimimus, & huic Operi præfigimus epigraphen, de Perfectionibus diuinis, potiùs quàm de Perfectione diuina. Doctores Scholastici Attributa diuina vocare solent, vt insinuent inter illa ex parte rei non esse distinctionem, sed solùm ex nostra conceptione, dum vario modo varioq; conceptu ea Deo tribuimus.

Distributio Operis.

Hæ Perfectiones etsi modo vario proponi possint, & ad plures aut pauciores reuocari; pro nostro tamen instituto ad quatuordecim eas reducimus. Quarum quatuor, modorum instar aut conditionum generalium considerantur, tum circa essentiam, tum circa essentiæ attributa, vt Infinitas, Immensitas, Immutabilitas, Æternitas. Non enim solùm essentia diuina est infinita, immensa, immutabilis, æterna, sed etiam Potentia, Sapientia, Bonitas, Prouidentia, Justitia, Misericordia, Beatitudo. Quatuor verò nostro concipiendi modo se habent qualitatum

tatum instar absolutarum, absque respectu ad creaturas existentes, vt Omnipotentia, Sapientia, Perfectio, Sanctitas. *Reliquæ sex dicunt respectum ad creaturas existentes, vt* Benignitas, Dominium, Prouidentia, Misericordia, Iustitia, Finis vltimus. *Ad hæc omnia cetera facilè reducuntur. Nam ad Infinitatem pertinet quòd sit* incomprehensibilis. *Ad Immensitatem, quòd* illocabilis *&* incircumscriptus. *Ad Immutabilitatem & Infinitatem, quòd* simplex, *carens omni compositione.* Patientia *&* Clementia *ad Misericordiam,* Prædestinatio *&* Reprobatio *ad Prouidentiam, vtpote eius partes,* Ira *ad Iustitiam reuocatur.*

Partiemur hoc Opus in quatuordecim libros, secundùm numerum istarum quas enumerauimus Perfectionum; quorum alij alijs erunt longiores: sed commodè aliter non potuit fieri distributio. Modus tractandi non erit omnino scholasticus, sed nonnihil liberior, vt res illæ non solùm vtcumque intelligantur, sed amplo quodam ac splendido modo menti Lectoris obijciantur, prout idoneæ sunt non modò ad intellectum clarè instruendum, verùm etiam ad concitandum in animis affectum pietatis. Ita enim concipi debent, vt mentem admiratione, stupore, reuerentia, timore, amore, gaudio possint afficere. Quod non fit, cùm in minutijs ac subtilitatibus quibusdam, solùm ad disputationem comparatis, hæretur. Omnia tamen conabimur sic explicare & mentis oculis obijcere, vt quantum fas est, intelligi possit ratio singulorum, adhibita ratione naturali, & auctoritate sanctorum

Modus tractandi.

* * * Pa-

Patrum, ac præsertim S. Scripturæ, vt locus ingenio ac meditationi Lectoris relinquatur, neque mens multa lectione obruatur. Plus enim illustrat mentem, ac potentiùs mouet affectum intenta paucarum rerum consideratio, quàm multa lectio, longusq; multorum argumentorum discursus: qui tamen, vbi res postulabit, non deerit.

Conscriptus fuit iste Tractatus à me iam ante tredecim vel quatuordecim annos (exceptis duobus libris postremis, de Iustitia, & Vltimo fine, quos partim anno superiori, partim isto adieci) hortatu R. P. Francisci Flerontini tunc Prouincialis nostri, viri admodũ pij, & diuinarum rerum meditationi addicti. Cui cùm exemplar scriptum tradidissem, non magnopere mihi curæ fuit reliqua adiicere, & Opus in lucem dare, præsertim cùm multæ aliæ occupationes non deessent. Quo factum est, vt editio Operis, etsi exigui in hoc tempus extracta sit. Deum precor, vt Lectoribus lumen intelligentiæ & affectum pietatis excitet.

Facul-

Facultas R. P. Præpositi Prouincialis Prouinciæ Flandro-Belgicæ.

CAROLVS SCRIBANI Societatis IESV in Prouinciâ Flandro-Belgicâ Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi ab admodum R^do P. N. Mutio Vitelleſco Generali Præpoſito conceſsâ, Balthaſari Moreto Typographo Antuerpienſi facultatem concedo, mandandi typis Commentarium P. Leonardi Leſſij de Attributis diuinis, quem Theologi aliquot Societatis noſtræ probarunt. In cuius rei fidem his meâ manu ſubſcripſi, & conſueto officij ſigillo communiui. Antuerpiæ, III. Auguſti, anno M. DC. XIX.

Carolus Scribani.

APPROBATIO.

ISTE de Diuinis attributis Tractatus vtiliſſimus eſt, ad hoc ſeruiens, vt mens tam ſublimium rerum contemplatione in Dei admirationem atque amorem aſſurgat.

Guilielmus Fabricius Apoſtolicus & Archiducalis lib. Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

MATTHIAS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, Diplomate suo sanxit; nequis intra sacri Romani Imperij Regnorúmque & Dominiorum Cæsareæ Maiestatis hereditariorum fines, LEONARDI LESSII *Societatis* IESV *Theologi Opera*, citra voluntatem & consensum Balthasaris Moreti Typographi & Bibliopolæ Antuerpiensis, per decem annorum spatium, à prima cuiusque Operis editione computandum, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressa adducat, vel diuendat. Qui secùs faxit, præter librorum confiscationem, decem marcharum auri puri illatione mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Pragæ 1. Septembris, M. DC. XVII.

Signat.

MATTHIAS.

V. h. L. von Vlm.

Ad mandatum S. Cæs. Maiest. proprium.

Io. Baruitius.

SVMMA PRIVILEGII PRINCIPVM BELGARVM.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimi Belgarum Principes, Diplomate suo sanxerunt: nequis, LEONARDI LESSII *Societatis* IESV *Theologi De Perfectionibus Moribusque diuinis Libros quatuordecim*, præter Balthasaris Moreti voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressos, in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalésve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & alia graui pœna mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XVII. Nouemb. M. DC. XVIII.

Signat.

Steenhuyse.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER I.
De Infinitate Dei.

CAP. I. *Quid sit Infinitas, & quomodo Deo conueniat.* Pag. 1
CAP. II. *Deum ratione suæ infinitatis esse incomprehensibilem.* 11
CAP. III. *Ratione eiusdem infinitatis omnia de Deo affirmari quodammodo & negari.* 13
CAP. IV. *Continere eminenter quid postulet.* 15
CAP. V. *Modus apprehendendi infinitatem Dei.* 17
CAP. VI. *Quis fructus ex consideratione infinitatis colligatur.* 18
CAP. VII. *Recollectio precatoria de Infinitate.* 22

LIBER II.
De Immensitate Dei.

CAP. I. *Deum esse immensum.* 24
CAP. II. *Deum ratione immensitatis esse etiam extra mundum in immenso spatio.* 29
CAP. III. *De substantiali & intima præsentia Dei in rebus omnibus, & quis hinc fructus colligendus.* 32
CAP. IV. *Recollectio precatoria de Immensitate.* 35

LIBER III.
De Immutabilitate Dei.

CAP. I. *Deum esse immutabilem.* 37
CAP. II. *Libertatē arbitrij non officere immutabilitati, nec contrà.* 40
CAP. III. *Omnia sub Deo esse mutabilia.* 43
CAP. IV. *Recollectio precatoria de Immutabilitate.* 45.

LIBER IV.
De Æternitate Dei.

CAP. I. *Quid sit Aeternitas.* 47
CAP. II. *Æternitatem soli Deo propriè conuenire.* 49
CAP. III. *Deum ratione suæ æternitatis esse fundumentum temporis imaginarij infiniti.* 53
CAP. IV. *De fructu qui ex consideratione æternitatis percipitur.* 56
CAP. V. *Recollectio de æternitate.* 58

LIBER V.
De Omnipotentia Dei.

CAP. I. *Deum esse omnipotentem.* 61
CAP. II. *Quædam consectaria Omnipotentiæ diuinæ.* 63
CAP. III. *Quis fructus huius considerationis.* 67
CAP. IV. *Recollectio precatoria de Omnipotentia.* 69.

LIBER VI.
De Sapientia Dei, & simul de Veritate & Vita.

CAP. I. *In Deo esse perfectissimam sapientiam.* 80
CAP. II. *Aliquot considerationes, ex quibus magis eluceſcit infinita*

uis diuinæ sapientiæ. 73
CAP. III. De fructu huius considerationis. 80
CAP. IV. De Veritate. 82
CAP. V. De Vita. 86
CAP. VI. Recollectio precatoria de Sapientia. 87

LIBER VII.
De Bonitate Dei naturali.

CAP. I. Quid sit Bonitas & perfectio Dei. 90
CAP. II. Quo modo S. Dionysius explicet hanc bonitatem. 92
CAP. III. Recollectio precatoria de Bonitate naturali Dei. 93

LIBER VIII.
De Sanctitate Dei.

CAP. I. Quid Sanctitas, & quomodo sit in Deo. 96
CAP. II. Discrimen Sanctitatis diuinæ & creaturarum. 99
CAP. III. Tria Consectaria dictorum de Sanctitate. 100
CAP. IV. Recollectio precatoria de Sanctitate Dei. 101

LIBER IX.
De Benignitate & de Amore Dei.

CAP. I. Quid sit Benignitas. 106
CAP. II. Quinã effectus amoris diuini, & quis modus operandi. 107
CAP. III. De proprietatibus diuini amoris. 109
CAP. IV. Quinque res considerandæ in amore Dei erga hominem. 112
CAP. V. Recollectio precatoria de Benignitate diuina. 115

LIBER X.
De Dominio Dei.

CAP. I. Dominium iurisdictionis esse in Deo eminentissimè. 119
CAP. II. Omnem iurisdictionem creaturarum descendere à iurisdictione diuina. 121
CAP. III. De Dominio proprietatis, & duobus primariis eius titulis, Creatione & Conseruatione. 126
CAP. IV. Vtrùm ad conseruationem rerum sufficiat minor influxus Dei, quàm ad earũ creationẽ. 135
CAP. V. De reliquis duobus titulis, Redemptione & Vltimo fine. 152
CAP. VI. Quædam Consectaria Dominij diuini valdè notabilia. 157
CAP. VII. Recollectio precatoria de Dominio Dei. 161.

LIBER XI.
De Prouidentia Dei.

CAP. I. Deum habere omnium rerum prouidentiam: & quid sit Prouidentia. 164
CAP. II. Quæ sint Prouidentiæ diuinæ functiones. 167
CAP. III. De Conseruatione & Cooperatione. 168
CAP. IV. Quo modo Deus creaturis cooperetur. 174
CAP. V. De Prædefinitione seu decreto diuino. 179
CAP. VI. De Permissione. 182
CAP. VII. De malorum impeditione. 187
CAP. VIII. De gubernatione per motum cælorum. 191
CAP. IX. De fructu considerationis diuinæ prouidentiæ. 198

CAP.

CAP. X. *Recollectio precatoria de Prouidentia diuina.* 203.

LIBER XII.

De Misericordia Dei, & obiter de Patientia, Mansuetudine, & Clementia eiusdem.

CAP. I. *Quid sit Misericordia.* 208
CAP. II. *Deo perfectissimè competere misericordiam, eamq; duplicem vel triplicem.* 211
CAP. III. *De lapsu hominis: & cur homo, potiùs quàm angeli lapsi, redemptus.* 214
CAP. IV. *De incarnationis Verbi necessitate.* 218
CAP. V. *Quomodo facta sit hæc vnio.* 222
CAP. VI. *Vtrùm vnio hypostatica ponat aliquid creatum intrinsecum humanitati, nempe modum quemdam ex natura rei ab ipsa distinctum, qui anteà illi nō inerat, ratione cuius dicatur vnita Verbo.* 229
CAP. VII. *De magnitudine beneficij Incarnationis.* 251
CAP. VIII. *De beneficio Doctrinæ nobis per Verbū incarnatū collato.* 252
CAP. IX. *De beneficio Exemplorum omnis virtutis.* 256
CAP. X. *De beneficio Liberationis à peccato, & à morte æterna.* 260
CAP. XI. *De benef. Adoptionis.* 262
CAP. XII. *De beneficio Thesauri perpetui meritorum Christi.* 272
CAP. XIII. *De venerabili Eucharistiæ beneficio, vt est sacrificium: & quomodo peragatur.* 278
CAP. XIV. *Ad quid datū sit nobis hoc sacrificiū, & quantā vim habeat.* 280
CAP. XV. *De venerabili Eucharistia, vt est alimentū & Sacramentū.* 288
CAP. XVI. *De miraculis quæ concurrunt in venerabili Eucharistiæ Sacramento.* 290
CAP. XVII. *De modo quo beneficia sua contulit.* 309
CAP. XVIII. *De particularibus beneficiis.* 323
CAP. XIX. *Quid rependendum Deo pro tanta misericordia.* 329
CAP. XX. *De Patientia Dei, Mansuetudine, & Clementia.* 343
CAP. XXI. *Recollectio precatoria de Misericordia.* 346

LIBER XIII.

De Iustitia & Ira Dei.

CAP. I. *De varia Iustitiæ acceptione, & quadruplici debito.* 352
CAP. II. *Vtrū Iustitia respiciens imperfectum, sit propriè in Deo.* 357
CAP. III. *Vtrum in Deo sit propriè Iustitia vindex.* 363
CAP. IV. *De primo diuinæ Iustitiæ opere.* 368
CAP. V. *De secundo opere Iustitiæ diuinæ.* 369
CAP. VI. *De tertio opere diuinæ Iustitiæ.* 371
CAP. VII. *De quarto Iustitiæ diuinæ opere.* 375
CAP. VIII. *De plagis Aegyptiacis.* 379
CAP. IX. *De quinto opere diuinæ Iustitiæ.* 386
CAP. X. *Res humanas ministerio spirituum regi.* 390
CAP. XI. *De mensura peccatorum quæ*

quæ vindictam antecedit. 393
CAP. XI. De sexto Iustitiæ opere, quod est punitio spiritalis, & in primis de subtractione auxilij interioris. 400
CAP. XII. De subtractione auxilij externi. 406
CAP. XIV. De Excæcatione & Obduratione. 407
CAP. XV. Pœnam spiritalem sæpè non condonari cum aliis pœnis, & etiam in peccatis venialibus locum habere. 413
CAP. XVI. De septimo Iustitiæ opere, nempe Christi passione & morte. 417
CAP. XVII. De octauo opere diuinæ Iustitiæ, quod consistit in pœnis Purgatorij. 419
CAP. XVIII. De plagis nouissimis, nono Iustitiæ opere. 423
CAP. XIX. De tempore quod supererit vsque ad excidium mundi. 433
CAP. XX. De igne quo conflagrabit orbis. 435
CAP. XXI. De resurrectione mortuorum, eorumq; congregatione in locum Iudicij. 445
CAP. XXII. De comparitione Iudicis, eiusq; sententia. 453
CAP. XXIII. De sententiæ executione, & mundi innouatione. 466
CAP. XXIV. De Inferno & pœnis inferorum. 470
CAP. XXV. De pœnarum æternitate, & qua ratione iuste pro vno peccato mortifero Deus infligat pœnas æternas. 486
CAP. XXVI. In quo consistat malitia peccati, & quo modo mereatur pœnam infinitam, seu æternã. 491
CAP. XXVII. Nonnullæ Obiectiones contra malitiam peccati diluuntur. 512
CAP. XXVIII. Peccatum mortiferum multiplici ratione ingens malum esse, & ingentia mala inferre. 518
CAP. XXIX. De malis quæ peccatum infert post hanc vitam. 526
CAP. XXX. Quomodo ignis corporeus agat in spiritus. 538
CAP. XXXI. Recollectio precatoria de Iustitia. 545

LIBER XIV.

De Vltimo fine.

CAP. I. Deum esse vltimum finem, cuius gratia sunt omnia. 549
CAP. II. Vtrùm prima illa intentio, qua Deus ante omnem futurorum præuisionem statuit homines & Angelos facere participes gloriæ suæ, fuerit absoluta circa singulos in particulari, & circa mensuram gloriæ cuiusque. 556
CAP. III. Quod Deus necessario in omnibus operibus ad extra quærat gloriam suam: nec ideo minus ei deberi à creaturis. 576
CAP. IV. Quo modo natura ratione carens ordinetur ad gloriam Dei. 580
CAP. V. Quo modo natura rationalis ad gloriam Dei ordinetur. 584
CAP. VI. Recollectio precatoria. 58

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER PRIMVS

DE INFINITATE DEI.

CAPVT PRIMVM

Quid sit Infinitum, & quomodo Deo conueniat.



Duplex est aliquid dici *infinitum*: primo, per negationem entis; Secundò, in certo genere. Quod priore modo *infinitum* est, *absolutè* & omnibus modis infinitum est: quia totam entis amplitudinem, quæ in infinitum & sine termino excurrit, in se continet, eique se exæquat: adeò vt nulla species, nulla perfectio in tota entis amplitudine concipi possit, quæ in illo vel formaliter vel eminenter non contineatur. Quod verò *in certo genere infinitum* dicitur, tria requirit. Primò, Vt formaliter vel eminenter contineat omnem perfectionem, distinctionem & mensuram possibilem vel imaginabilem in illo genere. Secundò, Vt series illarum perfectionum excurrat crescendo sine termino. Tertiò, Vt in illa interminabili serie non possit assignari ali-

Dupliciter dicitur aliquid infinitum.

Infinitum absolutè.

Infinitum in certo genere tria requirit

quid determinatum, quod non infinitè superetur ab eo quod dicitur infinitum, vt sapientia infinita continet omnes sapientiæ species, gradus, mẽsuras & distinctiones, quæ sunt vel possunt esse, vel animo concipi, (quæ etiam sine termino excurrunt, siue intensionem, siue extensionem consideres) & extendit se ad omnia intelligibilia, simplicia & complexa, existentia & non existentia, præterita, præsentia, & futura. Pulchritudo infinita continet omnes species & gradus pulchritudinis, tam corporalis quàm spiritualis, existentes & non existentes, passibiles & imaginabiles, qui etiam sine termino excurrunt. Idem dicendum de infinita magnitudine, duratione, intensione, & multitudine. Infinita enim magnitudo continet in se omnes species & mensuras magnitudinum conceptibiles, quæ sine termino excurrunt: quia nulla tam magna concipi potest, quin possit dari maior. Infinita duratio continet omnes mensuras durationum sine termino excurrentes & crescentes. Infinita graduum intensio continet omnem mensuram perfectionis gradualis imaginabilem intra illam speciem: vt si esset lux infinita, contineret lucem 10. graduũ, & lucem 100. graduum, & 1000. graduum, & centum millium, & sic vlteriùs sine termino. Et multitudo infinita continet omnes numerorum species sine fine excurrentes & crescentes. Porrò omnia quæ in infinito continentur, sunt res positiuæ, determinatæ, & limitatæ, sed sine termino semper maiores & maiores, etiamsi maximis augmentis procedas singula augendo in millecuplum, vel per quadratam & cubicam rationem: neque vmquam poterit deueniri ad aliquid tam magnum, quod non infinitè excedatur. Ipsum verò quod *infinitum* dicitur, non semper est quid positiuum.

Infinitum positiuè.

Vnde rursum duplex *infinitum* distinguendum. Aliud enim est infinitum positiuè, aliud negatiuè. *Positiuè infinitum* est aliquid vnum & determinatum, & in modum rei vnius singularis & determinatæ conceptibile, sed adeò perfectum, vt infinita in se eminenter contineat, quorum nullum illi vmquam poterit exæquari, etiamsi sine fine in suo genere crescat; sicut de sapientia & pulchritudine infinitè explicatum est. Tale etiam infinitum est meritum Christi, quia in ratione meriti adeò est magnum & perfectum, vt determinatas meritorum mensuras sine numero excurrentes & crescentes contineat, nullaque possit adeò magna meritorum mensura fingi in aliqua pura creatura, quin infinitè à Christi merito vincatur. Nullum etiam adeò magnum præmiũ quin illi par esse queat.

Meritum Christi infinitum.

queat. Ad quod benè apprehendendum applicari potest multiplicatio graduum secundùm species numerorum, vt suprà ostensum.

Infinitum negatiuè non est per se res aliqua positiua & determinata, sed est multitudo rerum determinatarum, sine termino & statu excurrentium & excrescentium, siue in magnitudine, siue in duratione, siue in perfectione intensiua, siue in extensione obiectiua, siue in quauis alia rerum multitudine. Neutra ratio infiniti locum habet in rebus creatis. *Infinitum* enim *negatiuè*, cùm non habeat rationem rei vnius, & formaliter non sit quid positiuum & determinatum, non potest esse terminus creationis, quæ cùm sit actio positiua & determinata, ad aliquid positiuum & determinatum tendere debet, neque aliud mente concipi potest. *Infinitum positiuè* (de reali & physica loquor) est Deo proprium, ratione eminentissimæ perfectionis, per quam infinitas perfectiones continere ac producere potest. quod quo modo intelligendum, amplius explicabitur lib. v. De omnipotentia. Dixi esse multitudinem rerum determinatarũ, quia infinitum quod cernitur in partibus continui, non est propriè infinitum, cùm non constet partibus determinatæ quantitatis in infinitum excurrentibus, sed finitis. Est tamen quoddam genus infiniti, quod *comparatiuè infinitum* vocare possumus, quod etiam suo modo est infinitum positiuè: quia est res vnica ita perfecta, vt æquiualeat & melior sit infinitis rebus inferioris ordinis. Sic homo infinitè melior est bestia: quia etiamsi essent infinitæ bestiæ, imò infinitæ bestiarum species; tamen vnus homo melior & dignior esset omnibus illis simul sumptis. Simili modo bestia melior est infinitis plantarum speciebus. Sic etiam peccatum mortiferum est infinite peius peccato veniali: quia venialia quantumuis multa non possunt exæquare malitiam peccati mortiferi.

Infinitum negatiuè.

Comparatiuè infinitũ.

3 His positis, dicimus Deum esse absolutè infinitum, quia Scriptura diuina tribuit ipsi absolutam infinitatem? Psal. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* & Baruch 3. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Denique eadem infinitas insinuatur, vbicumque Scriptura extollit ipsius *magnitudinem*, vel immensitatem, hæc enim loca intelligenda sunt de infinitate absoluta quoad omnia, & non tantùm in certo genere: nimirum illum ita esse magnum in maiestate, potentia, sapientia, omniq; perfectione, vt nihil maius cogitari possit, etiamsi quis sine fine maiora & maiora animo concipiat. Si enim aliquid maius

cogitari posset, iam respectu illius non magnus esset Deus, sed paruus. Vnde non esset absolutè nec perfectissimè magnus, vt Scriptura intendit, sed solùm respectu aliquorum: neque verum esset, *quòd eius magnitudinis non sit finis.* Porrò *magnum* in Scriptura cùm Deo tribuitur, non solùm significat magnitudinem extensionis per omnia spatia, sed cuiuslibet perfectionis, vt sapientiæ, potentiæ, maiestatis, naturæ, &c. Nam in omnibus quoad omnia Deus magnus est & immensus. Vnde ad vnam vel alteram perfectionem restringi non potest: præsertim cùm omnia quæ Deo tribuuntur, κατ' ἐξοχὴν & ὑπεροχικῶς accipienda sint, vt passim S. Dionysius docet. Præterea eadem veritas insinuatur in Scripturis, vbicumque Deus dicitur *omnipotens.* Si enim omnia potest, omnia in ipso continentur, omnisque rerum perfectio in ipso præexistit. Omnis enim perfectio effectuum præexistit in causa, vel formaliter, vel eminenter. Si omnis rerum perfectio in ipsius potentia continetur, etiam continetur in essentia, cùm potentia non distinguatur ab essentia. Ipsa enim essentia, quatenus est productiua rerum, dicitur potentia non solùm in Deo, sed etiam in rebus creatis: & quamuis nostro modo concipiendi ponatur distinctum attributum, hoc non refert; quia concipitur vt quodammodò manans ab essentia, & ita tota eius vis est ex essentia.

Magnum cùm Deo tribuitur quid denotet.

Cap. 1. 2. 5. De diuinis nominibus.

Neque solùm ex infinitate potentiæ rectè colligimus absolutam infinitatem essentiæ, sed etiam ex infinitate cuiuslibet attributi. Sapientia enim, iustitia, misericordia infinita non est accommodata vel commensa nisi essentiæ infinitæ. Debet enim esse proportio inter essentiam & attributa, siue inter hæc sit aliqua distinctio formalis, vt quidam volunt, siue non sit; vt infrà ostendetur. Pari modo ex essentiæ infinitate optimè colligimus infinitatem attributorum, quia essentiæ infinitæ non respondent, neque commensa sunt attributa perfectionis finitæ. Vt omittam quòd attributa nostro modo concipiendo manent ab essentia, vel potiùs per ipsam simplicem essentiæ rationẽ Deo competant. Denique eadem infinitudo insinuatur Exodi 3. vbi Dominus Moysi roganti nomen Dei respondit: *Ego sum qui sum.* vel vt LXX. vertunt, Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, *Ego sum qui est.* Et paulò post: Sic dices ad eos: Ὁ ὤν, *Qui est misit me ad vos.* Hic Deus vocat se, *qui est*; tum quia sempiterne est, tum quia in ipso est plenitudo essendi, & ab ipso omne esse descendit, quasi dicat: Ego sum is qui numquã incœpit, numquam desinet, numquã mutabitur; sed sempiternè & immutabiliter est, & omne esse pleniſſimè

4

mè

mè continet & præhabet; & à quo omne esse descendit: vt exponit Dionysius De diuinis nominibus cap. 5.

5 Infinitudo itaque diuinæ essentiæ, est omnis perfectionis & entitatis simplicissima & eminentissima complexio. Dico *omnis perfectionis*, non solùm increatæ, sed etiam creatæ. Quidquid enim est bonitatis, pulchritudinis, perfectionis, entitatis in creaturis, id totum multò perfectiùs & copiosiùs continetur in Deo. Vnde meritò D. Gregorius Orat. in Natalitia de Deo loquens ait: Ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχῃ τὸ εἶναι, μήτε ἀρξάμενον, μήτε παυσόμενον, οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἀπερόντε καὶ ἀορίστου, *Vniuersum esse in seipso numquam inceptum, numquam desiturum, complexus continet, tanquam infinitum quoddam & interminatum essentiæ pelagus.* Optimè *pelagus essentiæ*; quia infinita essentiarum, specierum, & perfectionum multitudo & varietas ibi reperitur, & eminentissimè continetur. Ob eamdem causam à veteribus Philosophis vocatus est Deus τὸ πᾶν, id est, *vniuersum*, vt docet Eugubinus De perenni philosophia lib. 3. c. 8. quia vniuersa quæ aliquo modo esse participant, complectitur. Et in oraculo illo, *Magnus Pan mortuus est* (cuius meminit Plutarchus in lib. de Oraculorum defectu) Christus vocatur *magnus Pan*; vt quidam volunt, quia est omnium Dominus, & omnia in se continet: etsi alij aliter illud intelligant. Eódem iuxta multorum interpretationem pertinet illud quod Dominus ait Moysi Exodi 33. *Ego ostendam omne bonum tibi*, nimirum quia in Deo sunt omnia. Pulchrè in hanc sententiam Gregorius Nazianzenus in quodam carmine:

Quid infinitudo.

Deus vniuersum & omnia.

Σοὶ ἐνὶ πάντα μένει, σοὶ δ' ἀθρόα πάντα θοάζει.
Σὺ πάντων τέλος ἐσσὶ, καὶ εἷς, καὶ πάντα, & οὐδὲν,
Οὐχ ἓν ἐὼν, ὃ πάντα· πανώνυμε τί σε καλέσσω
Τὸν μόνον ἀκλήϊστον;

In te omnia permanent, ad te confertim festinant omnia.
Tu omnium finis, tu vnus, & omnia, & nihil rerum,
Cùm neque vnum sis, neque omnia, quem te appellem,
Qui solus innominabilis, & omninomius?

Dicitur esse *omnia*, quia omnia in ipso continentur, ita vt sit omnia formaliter vel eminenter. Dicitur esse *nihil rerum*, quia est supra omnia quæ à nobis concipi possunt. Simili modo dicitur *innominabilis*, & *omninomius*. etsi enim plurimis nominibus appelletur, vt à nobis aliquo modo concipi possit, nullum tamen nomen nullaque conceptio nostra illum exprimere potest prout est in seipso.

6 *Simplicissima complexio.* Non enim sicut mundus complectitur

Simplicitas diuinæ essentiæ.

omnem perfectionem rerum creatarum per diuersas sui particulas & formas: ita Deus per aliquam diuersitatem formarum vel partium continet omnia, sed per vnam simplicissimam rationem suæ Deitatis, per quam est omnia formaliter vel eminenter. Nam per rationem suæ Deitatis non solùm est Deus; sed etiam est omnipotentia, bonitas, sanctitas, iustitia, misericordia, immensitas, æternitas. Deinde per eamdem continet omne bonum Angelorum & hominum; & totius creaturæ non solùm existentis sed etiam possibilis. Plurimis id locis tradit S. Dionysius Areop. nam lib. De diuinis nom. c. 5. ita scribit: Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς ἔπως ὄντων, ἀλλ' ἁπλῶς καὶ ἀπεριορίστως ὅλον ἐν ἑαυτῷ τὸ εἶναι συνειληφὼς καὶ προειληφώς. *Deus non quouis modo est ens, sed simpliciter & incircumscriptè, totũ esse in se pariter cõplexus & anticipans. Anticipans*, Græcè προειληφὼς, quia priusquam haberent esse in seipsis, habebant esse in Deo. Et cap. 3. Ἓν δὲ λέγεται ὅτι πάντα ἑνικῶς ὄντα καὶ μιᾶς ἑνότητος ὑπερέχει. *Vnum dicitur, quia est omnia vnicè* (seu simplici modo) *secundùm excellentiã vnius vnitatis*, id est, est omnia per eminentissimam vnitatem & simplicitatem suæ essentiæ. & infrà: Ἐν ᾗ πάντα ἑνικῶς συνῆπται, καὶ ὑπερίδρυται καὶ προέστηκεν ὑπερουσίως. *In qua* (vnitate diuina) *omnia vnicè sunt coniuncta, superunita, & præexistentia supereſſentialiter.* Quibus verbis excluditur omnis distinctio actu non solùm realis, sed etiam formalis vel modalis inter essentiam & attributa diuina, & ipsorum attributorum inter se. Si enim per vnam eminentissimè simplicem vnitatem seu formam Deus est omnia, & omnia in illa simplici vnitate sunt eminentissimè coniuncta, vel potiùs vnum idemque; nulla est ibi formarum aut rationum formalium distinctio, nulla diuersitas inter rationem formalem quà Deus est, & quà sapiens est; siue quà Deitas, & quà sapientia est. Longè perfectius est & sublimius, omnia illa per vnam simplicissimam essentiæ rationem habere & esse, quàm per diuersas vel qualitates, vel formas, vel modos, qui essentiam veluti afficiant & modificent.

Deum per simplicissimam essentiam esse omnia.

Idẽm apertè docet S. Augustinus lib. 6. De Trinit. cap. 7. *Deus multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quidquid aliud, non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo eius est, quæ sapientia* (non enim mole magnus sed virtute) *& eadem bonitas quæ sapientia & magnitudo; & eadem veritas, quæ illa omnia: & non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.* At si esset aliqua inter illa distinctio, essentq; diuersæ rationes formales ex parte rei distinctæ, aliud esset 7

esset ibi esse beatum, esse magnum, esse sapientem: sicut aliud in nobis est esse longum, figuratum, rectum, curuum, quæ non distinguuntur nisi formaliter. Idem eodem lib. & aliis locis sæpè repetit. S. Anselmus in Monologio c. 15. demonstrat omnia illa quæ Diuinitati tribuuntur, significare non qualitatem, vel modum, sed substantiam eius, & ipsam esse omnia illa summo modo: *Quidquid igitur*, inquit, *eorum de illa dicatur, non qualis vel quanta, sed magis quid sit monstratur. Sed palàm est, quia quodlibet bonum summa natura sit, summè illud est. Illa igitur est summa essentia, & summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa æternitas, summa potestas, summa vnitas.* Et cap. 16. demonstrat quòd Deus sit hæc omnia per vnam simplicem rationem & considerationem: *Cùm igitur illa natura nullo modo composita sit, & tamen omnimodò tot illa bona sit; necesse est vt omnia illa non plura, sed vnum sint. Idem igitur est quodlibet vnum illorum, quod omnia sunt simul, siue singula: vt cùm dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat quod alia vel omnia simul, vel singula.* Omnia itaque attributa sunt in Deo vna simplicissima ratio: & quodlibet vt est in Deo, essentialiter continet aliud, & omnia simul; & ipsa essentia intimè & formaliter includitur in ratione singulorum. Explicat id exemplo à contrario: *Secundùm aliud*, inquit, *homo est corpus, & secundùm aliud est rationale, & singulum horum non est totum quod homo. Illa verò summa essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundùm alium modum aut considerationem non sit: quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum quod ipsa est*, &c. Itaque per idem formaliter est sapientia, per quod est iustitia; & per idem est iustitia, per quod misericordia: & quodlibet horum essentialiter est totum quod Deitas, & omnia quæ Deitas. Idem docet præclarè D. Bernardus Serm. 80. in Cantica: *Solâ summa & increata natura, quæ est Trinitas Deus, hanc sibi vendicat meram singularemq; suæ essentiæ simplicitatem, vt non aliud & aliud, non alibi & alibi, sed ne modò quidem & modò inueniatur in ea, nempe in semet manens, quod habet est, & quod est, semper & vno modo est. in ea & multa in vnum, & diuersa in idem rediguntur, vt nec numerositate rerum sumat pluralitatem, nec alterationem de variatione sentiat.* Et infrà: *Iam de magnitudine, bonitate, iustitia, sapientiaq; idem per omnia quod de Diuinitate sentimus, vnum in Deo sunt & cum Deo. Nec enim aliunde bonus,*

quàm

quàm vnde magnus: nec aliunde iustus aut sapiens, quàm vnde magnus & bonus: nec aliunde denique simul hæc omnia est, quàm vnde Deus; & hoc quoque non nisi seipso. Hic Bernardus penè simplicissimam essentiam, quæ Deus & Deitas est, ista omnia competere asserit. Vide eumdem lib. 5. De consideratione, paulò ante medium.

Probatur ratione.

Idem ipsa quoque ratio conuincit. Nam longè perfectius & 8 eminentius est, per vnam simplicissimam & illimitatam formam omnia ista habere, quàm per formas seu rationes diuersas, & quodammodò limitatas, vt optimè docet B. Bernardus Serm. illo 80. sub finem, estque per se euidens. at si esset aliqua distinctio in Deo inter attributa & essentiã, Deus non haberet omnia ista per vnam simplicissimam rationem formalem, sed per diuersas, & in ratione entis limitatas. Per aliam enim esset Deus, per aliam sapiens, per aliam iustus, &c.

Deinde si est aliqua distinctio actualis inter attributa & essentiam, quomodo non est ibi vera compositio? quomodo Deus non erit compositum quiddam ex multis distinctis & limitatis rationibus vel formis? Nec refert quòd inter illa non sit magna distinctio. Quando enim plura ad vnius integritatem constituendam concurrunt, ad compositionem sufficit quæuis illorum distinctio. Si enim est magna distinctio, efficiet vt magna sit compositio; si parua, efficiet vt compositio quoque sit parua, non tamen efficiet quin sit vera compositio repugnans simplicitati. Quid enim aliud est esse simplex, quàm nullo modo compositum ex rebus distinctis? Sic inter quantitatem & figuram, inter animam & animationem, inter formam & informationem est compositio, etsi minima sit, & solùm formalis distinctio. Cur non similiter inter diuinam essentiam & sapientiam, si inter illa est formalis distinctio? In rebus enim creatis, omnis distinctio actualis, vel est realis proprie, qualis est inter rem & rem; vel est modalis, qualis est inter rem & rei modum, vt optimè ostendit Suarez in sua Metaphysica: & vtraque sufficiens est ad veram compositionem. Cur non similiter in Deo sufficiens erit? Vt enim minima sit illa distinctio, erit tamen modalis; & attribuet essentiam veluti modi quidam & determinationes illius afficient.

Suarez disput. 7.

Tertiò, Si essentia diuina distinguitur formaliter à sapientia & ceteris attributis; ergo ipsa per se ipsam non est sapientia aut sapiens, sed per aliquid superadditum: imò nec sapientia erit. Nam rationes formaliter distinctæ de se mutuo in abstracto non dicuntur.

tur. Quantitas enim non est sua figura, nec anima est sua animatio, nec accidens sua inhærentia. Nec ergo Deitas erit sua sapientia, saltem propriè & formaliter. Itaque hæc locutio, Deus est sapientia, Deus est misericordia, exponenda erit per concretum, Deus est sapiens, Deus est misericors: quod detestatur D. Bernardus Serm. illo 80. in fine: vbi contra Gilbertum Porretanum ostendit, illas locutiones in abstracto esse propriissimas; & concreta potius esse exponenda per abstracta, quàm abstracta per concreta.

Quartò, Denique posita distinctione, non potest concipi quomodo non sit ibi vera productio, qua ab essentia emicent & pullulent veluti quædam illius proprietates & modi resultantes. Non enim ab extrinseco proueniunt, sed ab intrinseco, & ab ipsa essentia, in qua tamquam in radice continentur. Itaque cùm ab hac dependeant, & ab ea verè & propriè distinguantur; cur non dicentur propriè ab essentia produci, & ab ea oriri? at hoc nefas est dicere, cùm nihil ibi præter Filium & Spiritum sanctum sit productum. Omitto alia, quæ aduersus hanc imaginationem eminentissimæ illi simplicitati indignam adferri possent.

9 Nec obstat quòd diuina essentia & attributa, vt à nobis concipiuntur, nostrisque conceptibus obiiciuntur, ratione formali distingui videantur: id enim ipsorum simplicitati & perfectissimæ vnitati minimè officit. Ratio est, quia id non prouenit ex eo quòd inter illa sit aliqua in re distinctio vel diuersitas; sed ex mentis nostræ imbecillitate, quæ diuina concipere non potest prout in seipsis & in sua celsitudine existunt, seu secundùm altissimum modum & simplicitatẽ quam ex parte rei habent; sed solùm ex analogia ad res creatas, quatenus per eas aliquo modo repræsentari & adumbrari possunt. In rebus autem creatis, essentia distinguitur à suis perfectionibus quibus ornatur; & ipsæ perfectiones inter se distinctæ sunt. Hinc fit vt essentia diuina concipiatur à nobis tamquam distincta à sapientia, bonitate, iustitia, misericordia, ceterisque attributis: & hæc ipsa attributa concipiuntur tamquam distincta inter se: cùm tamen ibi nulla sit distinctio aut varietas, sed summa simplicitas. Nam Deus per simplicissimam suam essentiam formaliter est sapiens, bonus, iustus, misericors; atque adeo ipsa sapientia, bonitas, iustitia, misericordia, &c. Quatenus enim essentia diuina in Deo præstat id quod in rebus creatis præstat sapientia, siue in actu primo, siue in actu secundo, dicitur sapientia: vt verò eadem præstat id quod in nobis misericordia, iustitia, sanctitas, dicitur mi-

Cur diuinæ perfectiones concipiuntur vt distinctæ.

ſericordia, iuſtitia, ſanctitas, &c. Quod enim diuerſæ perfectiones formaliter præſtant in rebus creatis, idem in Deo præſtat formaliter vna ſimpliciſſima eſſentia; ſed modo eminentiſſimo & illimitato.

Ex quibus patet, etſi illæ perfectiones, quæ à nobis vt diſtinctæ & limitatæ concipiuntur, verè ſint in Deo; in ipſo tamen non eſſe vllo modo ex parte rei diſtinctas actu, aut limitatas in ratione entis, nec habere illum modum eſſendi in Deo, quo noſtris conceptibus obiiciuntur: nec etiá eſſe ſimiles vllo modo vt ſunt in Deo, & vt à nobis concipiuntur; ac proinde ex conceptuum diſtinctione non poſſe inferri diſtinctionem obiectorum ex parte rei.

Neque in rebus diuinis tantùm locum habet, vt ea quæ in re 10
non diſtinguuntur, in conceptu ſint diſtincta; ſed etiam paſſim in rebus creatis. Gradus enim ſuperiores & inferiores non diſtinguuntur actu ex parte rei, iuxta veriorem ſententiam, cùm etiam in rebus ſimpliciſſimis, vt in Angelo, anima, & ſimilibus reperiantur: ſed ſunt vna eademque natura conſiderata, vt cum pluribus vel paucioribus ſimilitudinem habet, vel vt principium diuerſarum proprietatum, quæ in pluribus vel paucioribus reperiuntur. Si enim natura Petri conſideretur vt eſt res vna demonſtrabilis, & ab omnibus aliis diſtincta, conſtituit gradum indiuidui: ſi vt ſimilis naturæ quæ in alijs hominibus, ſeu vt principium vtendi certo modo ratione (quod ſolis & omnibus hominibus competit) ſic conſtituit gradum ſpecificum naturæ humanæ: ſi vt principium ſentiendi (quod commune omnibus animantibus) conſtituit gradum animalis: ſi vt principium functionum animę vegetantis (quæ communes animalibus & plantis) conſtituunt gradum viuentis: ſi vt ſimilis aliis rebus corporeis, gradum corporis: ſi vt res per ſe exiſtens, ſicut omnes aliæ ſubſtantiæ, gradum ſubſtantiæ. Itaque vna eademque natura quamuis ſimpliciſſima, vario modo inadæquatè concepta & conſiderata, diuerſos gradus conſtituere poteſt, qui ſolùm noſtris conceptibus diſtinguuntur. Simili modo cùm vna eademque res diuerſi generis effectus vel actus habet (ſicut accidit in anima) concipimus in illa diuerſas potentias: cùm tamen valdè veriſimile ſit ipſam ſimplicem rei eſſentiam poſſe illos effectus vel actus producere.

Denique ſi ex diuerſitate conceptuum ſequeretur ſubeſſe di- 11
ſtinctionem formalem obiectorum ex parte rei: non ſolùm attributa diuina inter ſe diſtincta forent, ſed etiam gradus ſuperiores & inferiores, qui in ſingulis attributis concipiuntur. Item omnes rerum

rum notiones vel ideæ, & omnia iudicia de omnibus rebus futuris, & omnes actus liberi. Hæc omnia inter se formalem distinctionem haberent, & ita in Deo essent res infinitæ formaliter inter se distinctæ. Nec vlla creatura esset tam multiplex & varia, quàm sit ipse Deus; quod est absurdum. Longè enim eminentius Deoque dignius est, vt ipse per simplicem suam essentiam omnia illa sit, possit, & habeat, quæ creatura per distinctas perfectiones & actus.

CAPVT. II.

Deum ratione suæ infinitatis esse incomprehensibilem.

12 CONSIDERANDVM est, Deum quatuor modis dici incomprehensibilem, *loco, tempore, intelligentia,* & *amore*. *Loco*; quia nullus locus, nullum spatium tam magnum cogitari potest, quin Deus illud excedat, & extra reperiatur. *Tempore*; quia excedit omnia tempora, vtpote ante omnia tempora quæ mente concipi possunt, & omnibus temporibus in futurum posterior. *Intelligentia*; quia nullus intellectus creatus ipsum potest comprehendere, sic vt nihil Dei illum lateat. *Amore*; quia omnem amorem excedit, ita vt nulla mens creata illum pro dignitate amare possit. Omnes hi modi incomprehensibilitatis sequuntur ex eius infinitate: sed nos hîc potissimùm agimus de tertio, quo Deus dicitur *incomprehensibilis* omni intellectui creato. Hoc modo Dionysius & Damascenus Deum dicunt esse ἀκατάληπτον, ἀπερίληπτον, ἀπεριχώρητον. *Deus quatuor modis incomprehensibilis.*

13 Dico, *omni intellectui creato*. Nam suo intellectui Deus non est incomprehensibilis, sed perfectè (vt sic loquar) comprehensibilis. Totam enim profunditatem & immensitatem diuinæ essentiæ exhaurit diuinus intellectus, eique se exæquat, & eam intra se concludit. Nam infinitum infinito non est infinitum, sed quasi finitum. Quod alta mente intellexit S. Augustinus cùm ait: *Quapropter si quidquid comprehenditur, scientis comprehensione finitur: profectò omnis infinitas quodam ineffabili modo finita est; quia scientiæ ipsius comprehensibilis ratio est.* *Deus sibi est comprehensibilis.* Augustinus lib. 12. De ciuit. c. 19.

Porrò Deum menti creatæ incomprehensibilem esse, multis locis docet Scriptura: vt cùm dicit, illum *incomprehensibilem cogitatu.* & *incomprehensibilia esse iudicia eius.* &, *ipsum lucem inhabitare inaccessibilem.* Idem plurimis locis docet Dionysius, & maximè lib. De mystica Theologia: vbi totus est in eo, vt ostendat Deum esse infi- Ierem. 32. Rom. 11. 1. ad Tim. 6.

nitè eleuatum supra omnem essentiam, & supra omnem intellectum & cognitionem, omnesque cognitionis terminos, & supra omne id quod à creatura comprehendi potest: idque ὑπὲρ πλὴν ὑπερούσιον ἀπειρίαν, propter suam *supereßentialem infinitatem*. sic enim loquitur lib. De diuinis nominibus cap. 1. Idem docet S. Chrysostomus lib. De incomprehensibili natura Dei, & Damascenus lib. 1. De fide cap. 2. & alij omnes Patres & Theologi. Pulchrè Cyprianus libro, Quòd idola non sunt dij: *Mundi vnus est Rector, qui vniuersa quæ sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, sensu maior est: & ideò sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.* Vbi etsi loquatur de comprehensione corporali, cùm ait, *tactu purior est*; tamen cùm dicit *inæstimabilem*, significat incomprehensibilem intellectu & quauis facultate spiritali.

Cur Deus comprehendi nequeat.

Ratio est, quia vt Deus dicatur comprehendi, seu comprehensiuè videri, necesse est vt tam perfectè videatur, quàm visibilis est, adeò vt perfectio visionis exæquet perfectionem rei visæ, sic vt Deus non excedat visionem quasi maior, sed intra illam totus claudatur, & respectu illius non sit infinitus, sed quasi finitus; vt suprà ex Augustino ostensum. Hoc autem fieri non potest, nisi visio illa sit absolutè infinita, sicut Deus est absolutè infinitus. Atqui creatus intellectus cùm sit limitatus, non est capax visionis infinitæ. Ergo nullo modo potest Deum comprehendere. Confirmatur. Quia cùm Deus sit infinitè visibilis (id est numquam lumine finito tam perfectè videri possit, quin possit perfectiùs, & vt ita dicam, profundiùs ac penitiùs) opus est lumine infinito, vt videatur quantum visibilis est, & visio adæquetur obiecto. Atqui creatus intellectus non est capax luminis infiniti, nec tale lumen creatum possibile. Idem suadetur hoc modo. Deus est infinitè eleuatus super omnem naturam creatam, etiam intellectualem: ac proinde nec videri quidem simpliciter potest, vt est in seipso, nisi intellectus per lumen quoddam ordinis diuini (quod lumen gloriæ vocatur) infinitè eleuetur. *Infinitè* dico: quia per lumen ordinis naturalis, quantumuis magnum, numquam ad illam celsitudinem poterit pertingere. Hac eleuatione posita per lumen gloriæ, videbitur quidem Deus vtcumque clarè, non tamen poterit comprehendi: quia cùm vlteriùs per omnia sit infinitus, est etiam infinitè, vt ita dicam, penetrabilis. Non enim solùm est infinitè supra omnia eleuatus, sed etiam in sua illa altitudine & eleuatione stabiliter fixus permanens, 14

nens, est (vt ita dicam) infinitè profundus,& infinitè latus. Infinitè profundus, quatenus eius perfectio est veluti intensiuè infinita: infinitè latus,quatenus ex vi perfectionis intensiuæ se extendit ad infinitam entis latitudinem. Itaque vt perfectè tota vis eius penetretur, debet ita cognosci vt ad infinita se extendit, sic vt ex vi illius cognitionis distinctè, perfectè, & simul, videantur omnes ipsius conceptiones, omnia consilia, omnia decreta, & omnia quæ ipse potest facere, vel decernere, vel permittere, vel impedire. Quæ cùm infinities infinita sint, & in infinito profundo lateant: non possunt quouis lumine gloriæ videri, cùm hoc ad simplicem Dei visionem necessarium sit: sed vel requiritur lumen gloriæ infinitum, quod neque esse potest, neque à subiecto creato suscipi: vel certè requiritur lumen altioris ordinis, quàm sit lumen gloriæ, quale etiam dari non potest, cùm lumen gloriæ sit ordinis diuini ac planè supremi. Perspicuum est ergo, Deum à nulla creatura comprehensiuè cognosci posse, & omnem visionem Beatorum, etiamsi clara sit, infinitè ab ipsius comprehensione vinci & distare.

15 Quàm infinitam distantiam inter simplicem visionem & comprehensionem considerantes multi Patres, insinuant, Deum, vti in se est, à creatura, imò nec ab Angelis beatis videri posse: nimirum plenè, perfectè, comprehensiuè. Omnis enim visio Dei, etiam Angelica est imperfecta, & quasi per similitudinem respectu comprehensionis, quæ sola est completa Dei visio. Non enim ignorare poterant sancti Patres Ecclesiæ lumina doctrinam Catholicam clarè in Scripturis expressam, nos in futura vita Deum visuros clarè sicuti est, *facie ad faciem*, non *ex parte*, non *in ænigmate*, sed *sicut ab ipso cogniti sumus*, & *sicut ipse est*.

Chrysostomus. Theodoretus. Basilius. Epiphanius. Ambrosius. Hieronymus Gregorius Nyssenus. Mat. 5. & 18. 1. Cor. 13. 1. Ioan. 3.

CAPVT III.

Ratione eiusdem infinitatis omnia de Deo affirmari quodam modo & negari.

16 RVRSVS ex vi huius eminentis complexionis prouenire vt omnia de Deo affirmentur, & omnia rursus quadam ratione negentur, tradunt Theologi, & in primis S. Dionysius lib. De diuinis nominibus cap. 1. & 13. & lib. Mysticæ Theol. cap. 4. & 5. & alibi sæpè. *Affirmantur*, quia omnia sunt in ipso formaliter vel eminenter. Hinc dicitur potentia, sapientia, bonitas, veritas, lux, sanctitas, iusti-

Quomodo omnia de Deo affirmentur.

iustitia, misericordia, beatitudo, vita omnium viuentium, esse omnium existentium, omnium perfectio, pulchritudo, mensura, ratio, salus, conseruatio. Vnde D. Bernardus lib. 5. De consid. *Quid est Deus? voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, æterna beatitudo.* Et infrà: *Amat vt charitas, nouit vt veritas, iudicat vt æquitas, dominatur vt maiestas, regit vt principium, operatur vt virtus, tuetur vt salus, reuelat vt lux, assistit vt pietas*, &c. & S. Anselmus in Monologio cap. 15. vide suprà n. 7. Et quamuis plurima rerum nomina illi non tribuantur, ob imperfectionem quam inuoluunt; tamen omnes rerum species, & omnia individua sunt in ipso eminenter secundùm sua prototypa, & veluti primæua & æterna semina, ex quorum vi pullularunt; atque adeò sunt in ipso intrinsecè, non quidem secundùm suum esse formale & essentiale, sed secundùm esse suum eminens & supereſſentiale. Vnde ipse est omnia & singula eminenter & supereſſentialiter.

Quomodo omnia negentur.

Negantur de ipso omnia, quia ipse est supra omnem rationem, 17
& speciem creatæ menti conceptibilem. Sic Dionysius cap. vlt. De myst. Theolog. dicit Deum esse *non substantiam, non vitam, non lucem, non sensum, non mentem, non sapientiam, non bonitatem, non Deitatem, sed quiddam his omnibus eminentius & præstantius.* Ratio est, quia omnia ista, quatenus menti creatæ sunt comprehensibilia & nominabilia, habent conceptus obiectiuos limitatos in ratione entis: *limitatos*, inquam, non ex parte rei quæ concipitur, sed ex parte modi concipiendi. Vnde vt sic concipiuntur, non includunt formaliter alias perfectiones. Ratio enim substantiæ vt à creatura concipitur, non includit rationem sapientiæ, aut ceteras perfectiones, nec contrà; sed quæque suum limitatum conceptum habet. Deus autem est ratio prorsus illimitata; vnde formaliter vel eminenter includit omnem perfectionem conceptibilem. Hanc rationem insinuat Dionys. De diuinis nominibus cap. 13. Οὐδὲν τῶν ὄντων, ἢ τινι τῶν ὄντων σωνεγνωσμένον, ἐξάγει τῶν ὑπερκειμένων ὁ λόγον τῆς ἀγνώστου κρυφιότητος τῶν ὑπερπάντα ὑπερθέως ὑπερβεβηκότων. *Nihil eorum quæ sunt, aut eorum quæ alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud, omnem rationem & intellectum superans, superdeitatis supereſſentialiter supra omnia superexistentis.* Ex quo loco clarè probatur, Deum vt in se est, non posse videri per speciem creatam quæ illum obiectiuè repræsentet: quo modo videtur intelligendus S. Thomas 1. p. q. 12. art. 2. Notandus hîc mirabilis & plusquam huma-

humanus modus loquendi S. Dionysij, ad exprimendam suorum conceptuum sublimitatem, & eminentiam Diuinitatis infinitam supra omnia mente creata comprehensibilia. Simili modo idem Dionysius vocat sæpè Deum ὑπερούσιον ἐσσιν, *essentiam supereſſentialem*, nimirũ quia est essentia seu substantia eminentior omni essentia conceptibili à creatur. Rursus vocat illum ὑπεράγαθον ἀγαθότητα, καὶ ὑπέρθεον θεότητα, bonitatem & Diuinitatem omni bonitate & Deitate conceptibili eminentiorem. Simili modo exponenda sunt omnia nomina composita ex particula ὑπὲρ, vt ὑπερφωτος, ὑπεράρχιος, ὑπέρτελης, &c. id est, *omni luce, omni principio, omni perfectione excellentior*. Illud enim ὑπὲρ, & *super* in compositione designant excellentiam supra omnem modum intelligibilem menti creatæ apud Dionysium. Ob eamdem causam lib. De diuin. nom cap. 2. §. 1. vocat Deum πάντων θέσιν καὶ πάντων ἀφαίρεσιν, *omnium positionem, & omnium ablationem*, quia eminenter ponit omnia, tamquam omnia continens, & formaliter omnia aufert: quia ratio propria qua Deus est, excludit ab ipso omnem formalem rationem à creata mente comprehensibilem.

Vis particulæ ὑπὲρ. super.

18 Hinc patet, omnes perfectiones, quæ Deo tribuuntur absque Metaphora, dupliciter in ipso contineri, formaliter & eminenter. *Formaliter*, si spectentur secundùm proprium conceptum, quo à Deo & à Beatis concipiuntur, qui est illimitatus in genere entis. *Eminenter*, si considerentur secundùm conceptus proprios quos habent, vt à creaturis absque lumine gloriæ apprehenduntur; etsi enim res concepta sit propriè in Deo, non tamen cum eo modo & limitatione sub qua concipitur.

Perfectiones dupliciter existunt in Deo.

CAPVT IV.

Continere eminenter quid postulet.

VT meliùs intelligatur quomodo Deus omnia eminenter contineat, & omnia in ipso existant & præexistant, explicandum est, quænam ad eminentem complexionem seu continentiam requirantur.

Continere eminenter.

19 In rebus creatis vt aliud in alio eminenter contineri dicatur, duo requiri videntur. Primum est, vt id quod continet sit præstantioris naturæ quàm id quod continetur. Si enim non est præstantius, non est ratio cur illud dicatur esse in eo eminentiori modo quàm in seipso.

ipso. Vnde plantæ & animalia non dicuntur esse eminenter in semine, nec in causa sua vniuoca.

Quatuor modis aliud in alio vt præstantiori continetur. Vt in causa.

Alterum est, vt illud quod minùs præstans est, aliquo modo in illo præstantiori reperiatur. Hoc autem fit potissimùm quatuor modis. Primò, Si res per seipsam sit in alia tamquam in sua causa. Esse enim productiuum alterius, signum est, in eo id quod produci potest, contineri. Sic qualitates & accidentariæ perfectiones continentur in substantiis eminenter, ex quibus promanant: & res inferiores in virtute cælorum tamquam in causa vniuersali, radij in sole, folia in arbore.

Hic modus eò est perfectior, quò causa perfectiùs est productiua illius rei. Vnde cùm Deus res omnes producere queat perfectissimo modo (nimirum vt causa integra, & independens ab alterius ope, & solo voluntatis suæ nutu) idque secundùm naturam, formam, rationes indiuiduas, qualitates & modos omnes, consequens est, res omnes in ipso perfectissimè contineri.

Vt cognitum in cognoscēte.

Secundò, Si sit in alia per sui quasdam similitudines. Sic omnia inferiora dicuntur contineri eminenter in intellectu, cùm ea intelligit; quia sunt in ipso per suas notiones, quæ sunt expressæ species & imagines rerum intellectarum, per quas intellectus dicitur fieri ipsum intelligibile. Hoc modo Philosophi dicunt intellectum fieri omnia, & omnia in ipso existere. Ratione huius continentiæ intellectus est causa exemplaris rerum ab ipso foris productarum.

Vt vis particularis in vniuersali.

Tertiò, Secundùm vim agendi, vel extendendi se ad obiecta; vt cùm quidquid potest causa inferior, potest causa superior nobiliori modo. Hoc modo sensus externi continentur in interno eminenter, & sensus internus in intellectu. Nam intellectus percipit omnia quæ sensus interior, & nobiliori modo; & sensus interior quidquid sensus externi. Simili modo anima vegetatiua plantarum continetur in sensitiua animalium, & hæc in intellectiua, & prudentiæ instinctus animalium in prudentia humana.

Vt media in causa finali.

Quartò, Secundùm ordinationem & æstimationem, seu secundùm rationem boni & appetibilis. Sic media sunt eminenter in causa finali: quia solùm propter finem æstimantur, & ad illum ordinantur, & tota illorum bonitas ex fine pendet.

In Deo sunt omnia quadrupliciter.

Hi quatuor modi perfectissimè locum habent in Deo. Omnia 20
enim sunt in ipso perfectissimè & eminentissimè tamquam in *causa efficiente*, vt dictum est; & tamquā in *causa exemplari*, ratione idearum, quæ sunt viuæ notiones & similitudines rerum; *per quas & secun-*

secundùm quas ipse omnia produxit, vt ait Dionysius De diuin. nom. cap. 5. & tamquam in *causa finali*: omnia enim sicut naturâ sua sunt ab ipso, ita etiam sunt propter ipsum. Vnde omnia nobis ad ipsum referenda: alioquin parum boni ex rebus ipsis percipiemus. Denique tamquam causæ particulares in vniuersali. Hos modos insinuat Dionysius lib. De diuin. nom. c. 4. Ἐν αὐτῷ πᾶσα ἀρχὴ παραδειγματικὴ, τελικὴ, ποιητικὴ, εἰδικὴ, στοιχειώδης, καὶ ἁπλῶς πᾶσα ἀρχὴ, πᾶσα συνοχὴ, πᾶν πέρας. *In ipso*, inquit, *est omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, elementare; & simpliciter omne principium, omnis connexio, omnis terminus.* Vbi quinque Principiorum genera in Deo contineri ostendit, ita vt ipse sit principium omnis principij, & causa omnium causarum: nec tantùm res ipsas in Deo eminenter contineri, sed etiam omnia rerum principia, & omnes causas. Vnde passim vocat Deum ὑπεράρχιον ἀρχὴν, principium omni principio superius & eminentius. Idem significat Apostolus cùm ait: *Ex ipso, per ipsum, & in ipso, & ad ipsum sunt omnia.* Ad Rom. 11. sic enim citat ibidem Dionysius. *Ex ipso*, designat primam & originalem causam efficientem: *per ipsum*, exemplarem: *ad ipsum*, finalem: *in ipso*, causam sustentantem omnia veluti quidam fundus & fundamentum omnium, cui omnia innixa recumbunt.

CAPVT V.

Modus apprehendendi infinitatem Dei.

21 MAGNI interest ad fructum colligendum ex consideratione infinitatis Dei, vt quis amplo & illustri modo possit eam menti obiicere, & cum rerum creatarum angustiis conferre. Hoc vt melius fiat, considerandum est triplex interuallum infinitum inter Deum & hominem quemlibet. Primum est inter singulos homines & totum genus humanum, non solùm quod aliquando existet, sed etiam quod cogitatione fingi potest. Excedit enim tota illa multitudo singulos homines & numero & loco & æstimatione infinitè. quid obsecro est anima vna in tam immensa creatura? *Triplex interuallum infinitum.*

Secundum est inter totum genus humanum & totam multitudinem creaturæ rationalis possibilem. Cùm enim secundùm certam DD. sententiam, Angelorum species Deo possibiles infinita serie excurrant, idque assiduè crescendo in perfectione, sicut crescunt species numerorum sine fine; & sub singulis infinita sint indi-

uidua; quid est totum genus humanum, quod infimum locum tenet, ad illam infinities infinitam, & in infinitum perfectiorem Angelorum multitudinem? Sanè non est tanti, quanti vna arenula ad montem immensum.

Tertium est inter totam illam creaturæ possibilis infinitam congeriem, & Deum. Deus enim totam creaturæ possibilis præstantiam & æstimationem superat infinities infinitè. Primò, quia natura sua est infinitè excellentior. Nam tota creatura ad ipsum, est sicut imago picta ad exemplar; sicut character aquæ vel potiùs vacuo impressus, ad sigillum; sicut vmbra ad solem. Vnde etiamsi tota creatura possibilis simul existeret, nihilominùs Deo radium sui influxus subtrahente, statim in nihilum euanesceret, nec vsquam eius maneret vestigium. Secundò, quia quidquid in tota illa multitudine sparsim habetur boni, id totum in Deo est collectum in simplicem vnitatem, omissi impuritate & imperfectione detersa; ac proinde sine omni limitatione. Itaque cùm in Deo sit absque limitatione quam habebat in creatura, erit in eo infinitè meliùs quàm in creatura. 22

Alio modo potest concipi hæc infinitudo per quamdam abstractionem. Sicut enim humana natura abstracta ab indiuiduis more Platonico apprehenditur vt quid infinitum secundùm illam speciem (vtpote æquiualens infinitis indiuiduis, & infinitis communicabile) ita ipsum *esse* abstractum ab omnibus entibus per modum formæ, & per se subsistens apprehenditur vt infinitum absolutè in genere entis; cùm ipsius esse communione, omnia quæ sunt, rationem entis habeant. Hoc modo sæpè D. Thomas, & D. Dionysius vocant Deum, *ipsum esse*; quia est veluti forma quædam abstracta & separata ab omni ente limitato, per se subsistens, cuius communione & veluti attactu, omnia quæ sunt, essentiam & esse accipiunt. 23

S. Thom. 1. p. q. 3. a. 2. ad 3. & q. 7. a. 1. ad 3. q. 44. a. 1. in corp. Dionys. c. 5. De diu. nom. *Quòd Deus sit ipsum esse supereſsētiale omnium.*

CAPVT VI.

Quis fructus ex consideratione infinitatis colligatur.

MVLTIPLEX fructus ex hac consideratione capi potest, sed potissimùm quadruplex.

Primus est, vt summa reuerentia & humilitate cum Deo agamus, & coram ipso ambulemus. Quò enim maior Princeps, cum 24

quo

quo nobis loquendum vel versandum est, eò maiorem ei reuerentiam & submissionem exhibemus. Itaque cùm Dei Maiestas & excellentia per omnia sit infinita, infinita quoque reuerentia, honore, & submissione dignus est. Quæ cùm à creatura præstari nequeant, conuenit vt saltem præstat summam quam commodè potest, præsertim in oratione, quando cum ipso loquimur, & salutis nostræ causam agimus: sed potissimùm in sacrificio Missæ, vbi infinitæ illi Maiestati, infiniti pretij & immensæ dignitatis Hostia offertur.

Porrò ad reuerentiam excitandam duæ considerationes concurrere debent: nimirum excellentiæ alterius, & nostræ vilitatis, comparatione facta ad alterum. Si nos ipsos consideremus, videmus nos ex nobis nihil boni posse aut habere: imò nihil esse, nec quidquam à nobis habere præter defectum & peccatum. Itaque ex nobis nihil sumus nisi abyssus quædam vilitatis & miseriæ. Si consideremus nos quoad ea quæ accepimus à Deo; habemus quidem magna quædam bona, etsi miseriis, quæ ex nobis sunt, permixta: tamen respectu Dei, qui ex se est bonum infinitum, infinitè supra omnia creata eleuatum, bona nostra omnia sunt instar nihili. Itaque duplici nomine nos humiliare debemus coram illa infinita Maiestate, & illi summam reuerentiam exhibere. Primò, quia nos ex nobis nihil boni possumus, nihil sumus: illa ex se est omne bonum, & infinitum bonum, & potest omnia. Secundò, quia omne bonum nostrum quod ex Deo habemus, respectu boni quod ipse est, instar nihili reputatur. Hac consideratione vsus Abraham cùm ait: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.* & beata Virgo in suo Cantico, cùm ait: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*, seipsam summè deprimens, & Deum summè exaltans. Idem reuerentiæ & humilitatis affectus maximè est in Angelis sanctis, & omnibus Beatis; quia Dei Maiestatem, & suam quam ex se habent pusillitatem & ὑπεξίαν optimè norunt. Vnde Seraphim apud Isaiam c. 6. Deo astantes, velant faciem & pedes præ maxima reuerentia, vt Patres interpretantur.

Genes. 18.

Dionys. Cælest. Hierar. c. 13. Chrys. in c. 6. Isaiæ & alibi.

25 Secundus fructus est, vt Deum supra omnia sinceríssima charitate & beneuolentia amemus; quia propter suam infinitam excellentiam infinitè dignus est omni bono, omni gloria, omni laude, omni cultu, omni veneratione, omni obedientia & obsequio. Quò enim quid est excellentius, eò dignius vt ei tribuatur omne bonum ipsi congruens: hoc autem fit per charitatem & beneuo-

Athanas. in illud Matthæi 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.*

olentiam. Hac enim volumus alicui bonum, vt ei sit quàm optimè, quia dignus est tali bono. Hæc enim est iustissima ratio, cur talis beneuolentia sit impendenda. Etsi enim posset impendi etiam indignis, tamen non debetur sicut ijs qui digni.

Desiderium gloriæ Dei.

Quare cùm Deus sit infinitè dignus omni bono sibi congruente, infinita quoque ei beneuolentia & amor debetur. Ex hoc amore sequitur maximum desideriũ gloriæ Dei in creaturis, & promptitudo animi ad vitam suam, ad vires omnes & facultates expendendas, ad gloriam Dei maximam in creaturis procurandam, id est, vt omnes illum noscant, & infinitudinem maiestatis eius, immensitatem, æternitatem, potentiam, sapientiam, bonitatem, dominatum, prouidentiam, iustitiam, misericordiam, gloriam: vt ament, vt timeant, vt colant & laudent in omne ęuum: in his enim gloria Dei externa consistit. 26

Gaudium de bonis Dei.

Deinde ex hac beneuolentia nascitur maximum gaudium de bonis eius internis, id est, de perfectionibus iam dictis: nimirum quòd Deus noster sit tantus, tam infinitus, tam immensus, &c. Si filius tuus esset potentissimus, sapientissimus, pulcherrimus, beatissimus, non posset cor tuum capere magnitudinem gaudij & lætitiæ quam inde perciperes. Quantum ergo debes gaudere, cùm vides tuum patrem, tuum principium, tuum conditorem, quem supra omnia diligere & æstimare debes, infinitis bonis circumfluere? Ex gaudio, gratulatio, qua illi tamquam parenti optimo tantam maiestatem, tantam gloriam, tantas diuitias, tantam beatitudinem gratulamur, & omnem creaturam ad idem excimus & conuocamus, *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.* & quæ sequuntur. *Benedicere* creaturæ rationalis, est affectu & verbis benè precari: creaturæ irrationalis, est sua specie ad benedicendum prouocare.

Gratulatio.

Deus super omnia desiderabilia desiderandus.

Tertius est, vt Deum supra omnia diligamus amore vt sic dicam concupiscentiæ, siue vt eum super omnia desiderabilia desideremus; quia in ipso infinitè est, quidquid possumus concupiscere vt nobis benè sit. In ipso est omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnis quies, omnes diuitiæ, omnes thesauri, omnis nobilitas, omnis sublimitas, omnis maiestas, omnis gloria, omnis sapientia, omnis potentia, denique vita æterna, & in hac quidquid mens potest boni concipere, & infinitè amplius. 27

Amentia mundi.

Magna igitur amentia est, in rebus creatis diuitias, gloriam, sublimitatem, gaudium, delectationem quærere, cùm hæc omnia in Deo infinitè meliora consequi possimus. sicut si quis mallet vmbram 28

bram & rudem picturam magni alicuius regni, quàm ipsum regnum; aut si leue breueque vnius horæ somnium felicitatis, quàm solidam & veram felicitatem, amens meritò iudicaretur. Omnis gloria & opulentia quæ in hoc mundo potest haberi, nihil aliud est quàm somnium breuissimum, vmbra vel pictura rudis, ad illam gloriam & illas opes, quas in Deo possidebimus. Vnde Psal. 72. *Velut somnium surgentium, Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* quasi dicat: Sicut cùm quis expergiscitur, tota felicitatis imago, quam somniabat se habere, euanescet; ita tota felicitas & beatitudo huius sæculi in nihilum recidet post hanc vitam. tunc videbunt se velut somnio delusos fuisse. Et Psal. 38. *Verumtamen in imagine pertransit homo.* hoc est, Sicut imago, seu vmbra, vt ex Hebræo patet. quod ijsdem pænè verbis Iob 14. *Fugit velut vmbra.* & Apostolus 1. Cor. 7. *Præterit enim figura mundi huius.* vbi omnem humanam felicitatem comparat vmbræ & picturæ. Accedit quòd sectando ista temporalia & vmbratica, exponamus nos euidenti periculo amittendi illa solida, vera, & æterna; quod alterum summæ amentiæ est argumentum. Vnde S. Augustl. lib. 1. De serm. Domini in monte cap. 6. explicans illud: *Si sal euanuerit*, ait; *Ostendit Dominus fatuos esse iudicandos, qui temporalium bonorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri.* & Ecclesiastæ 1. *Stultorum infinitus est numerus.* quæ enim potest esse maior stultitia quàm præferre terrena cælestibus, momentanea æternis, modica infinitis, vmbratica veris, inania solidis? at infiniti homines hoc faciunt. meritò ergo stulti iudicantur, & omni luce bonæ mentis destituti.

Seruitus Dei nobilissima.

29 Quartus fructus est, vt cognoscamus seruitutem Dei esse nobilissimam, eamque rebus omnibus etiam sceptris & Imperijs anteponamus. quò enim Princeps aliquis est maior, eò nobilius est ei famulari, & obsequium præstare. Quare cùm Deus infinitè sit præstantior omnibus regibus terræ, infinitè quoque nobilius est ei seruire quàm alicui Principi huius mundi. Imò longè præstantius & nobilius est seruire Deo, quàm esse Monarcham totius orbis: sicut nobilius est esse aulicum & familiarem potentissimi Principis, quàm esse pastorem ouium: longè præstantius est coniungi cum Deo, ab eoque recipere diuina, quàm præesse rebus humanis, & humana in homines transfundere.

Seruitus Dei consistit in quatuor rebus.

30 Consistit autem hæc seruitus in quatuor. Primò, In cognitione

Dei, & eorum quæ ad ipsum pertinent. Hoc enim est fundamentum obsequij totius & famulatus. Secundò, In officiis charitatis & beneuolentiæ, dum de bonis ipsius gaudemus, & illa ex intimo animi affectu ipsi gratulamur; dum eius gloriam promouere omni studio conamur, animam, corpus, curas & cogitationes ipsius dignitati tuendæ & amplificandæ deuouentes. Sic boni aulici suo Principi toti addicti faciunt: illius enim virtutes & potentiam vbique extollunt, vt omnes in eius amorem & obsequium alliciant, nec sustinent ipsius nomen à quoquam lædi. Tertiò, In officiis religionis, dum illum colimus sacrificiis, cerimoniis, hymnis, laudibus, precibus, votis. Hoc est officium Angelorum & Sanctorum in cælo, qui toti in eo sunt, vt Deum honorent, laudent, benedicant. Itaque perfecta seruitus Dei est vita æterna & beatitudo nostra. Quartò, In custodia mandatorum, & in officio virtutis; dum aliquid boni facimus, vt mandatis eius pareamus, vel vt ipsi gratificemur. Hoc autem esse maximi momenti ex eo patet, quòd minimum Dei bonum, quà Dei est, sit pluris æstimandum, quàm bonum totius creaturæ, quà creaturæ est. atqui omne bonum opus factum eo intuitu, vt per hoc Deo gratificemur, eiusque voluntatem impleamus, est bonum Dei; ergo pluris æstimandum quàm omne bonum creaturarũ, quatenus ad ipsas creaturas pertinet. Hinc fit vt Deus pro singulis operibus bonis promittat nobis vitam æternam, atque adeò seipsum cum omnibus bonis suis; tantum nobis effectu rependens, quantum nos ei affectu boni volumus. Damus ei affectu totum bonum suum; reddit ille nobis effectu idem bonum? illius enim amor efficax, noster inefficax. 31

CAPVT VII.

Recollectio precatoria, de infinitate.

DOMINE Deus meus, Deus magne & terribilis, Deus immensæ maiestatis! Tu pelagus infinitum essentiæ, bonitatis & beatitudinis, omne esse, & omne bonum in te concludens, & ab æterno eminenter anticipans, & præhabens, tamquam fons totius entitatis. Tu fundamentum possibilium omnium, esse supereſſentiale omnium quæ sunt, & quæ non sunt: sine quo non solùm nihil potest esse actu, sed nec potestate; nec vllam habere rationem conceptibilem, vel intelligibilem. Tu omnium principium, omnium finis, 32

finis, omnium conditor & formator, omnium sustentaculum, omnium locus, omnium æuum, duratio, terminatio, ordinatio,
33 connexio, concordia, consummatio. In te omne bonum Angelorum pariter & hominum, atque totius naturæ, quæ est, & quæ non est. In te omnis gloria & dignitas, omnes diuitiæ & thesauri, omnes voluptates & consolationes, omnes deliciæ, omnia gaudia, omnes beatitudines. Tu Deus meus & omnia mea, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.

34 Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara sint mihi omnia tua; & tu Deus meus plus quàm omnia. Quid enim sunt cetera omnia ad excellentiam bonorum tuorum? Fumus sunt, vmbra sunt & vanitas omnes diuitiæ & deliciæ, omnisque gloria huius mundi, quæ miserè oculos mortalium fascinant, ne vera illa bona, quæ in te sunt, cognoscere & persequi valeant. Et sicut qui dormiunt, inani imagine diuitiarum, voluptatum & honorum delusi, nihil horum inueniunt cùm excitantur; sed cum dolore animi vident se miserè deceptos: ita accidet omnibus huius mundi amatoribus, vitæ istius per mortem corporis discusso somno, mente in lucem alterius sæculi expergiscente.

35 Nihil igitur illorum amem aut æstimem, sed te solum & bona tua, quæ in te recondita, quæ tu ipse es, quibus fruentur æternùm, qui hisce caducis contemptis, tibi inhæserint. Amem te supra omnia, & semper seruiam tibi: quia infinitè melior es omnibus, & dignus, vt omnis amor, omnis beneuolentia, omnis benedictio, omnis gratulatio, omnis gloria, omnis seruitus tibi ab omni creatura in omnem æternitatem deferatur & impendatur.

DE

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER SECVNDVS, DE IMMENSITATE DEI.

CAPVT PRIMVM.

Deum esse immensum.

Quid sit immensitas.

INFINITATEM essentiæ diuinæ sequitur *Immensitas*, quæ nihil est aliud, quàm vbique & absque termino sui in omnem dimensionem diffusio, non per partes; sed, vt ita dixerim, per totalitates, quod insinuat Cyprianus lib. Quòd idola dij non sint, cùm ait: *Deus vnus est, & vbique totus diffusus. Vbique*, id est, per totum mundum, & extrà mundum per immensum vacuum, vt cap. 9. ostendetur. *In omnem dimensionem*; in longum, latum, profundum, sursum, deorsum, & in obliquum. Secundùm nostrum modum apprehendendi loquor. *Non per partes*; si enim daretur corpus immensum, id quidem esset vbique, & omnia occuparet loca imaginabilia, sed non esset in singulis locis totum, sed solùm per suas partes; in paruis quidem secundùm paruas, in magnis secundùm magnas; in indiuisibilibus solùm secundùm quid sui indiuisibile. At non sic Deus vbique est, sed per se totum; ita vt in omnibus punctis

punctis spatij indiuiduis totam essentiam, potentiam, bonitatem, sapientiam, & omnem perfectionem omnesque suas opes & gaudia habeat: ita vt non sit maior, aut potentior, aut beatior, aut liberior in spatio immenso, quàm in puncto indiuisibili. *Diffusionem* intellige, non per aliquam ex arcto & contracto in amplum expansionem, sed per indiuisibilem & continuam præsentiam, qua omnibus locis, spatijs, & rebus est intimè præsens: quæ continuata præsentia non nisi per modum diffusionis cuiusdam à nobis exprimi vel concipi potest.

2 Porrò hæc immensitas apertè nobis traditur in Scripturis, Psalmo 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* quibus verbis significatur non solùm immensitas extensionis, sed etiam infinitudo essentiæ. nam de magnitudine essentiæ, sublimitatis & maiestatis loquitur. Et Psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* vbi ostendit Propheta, nusquam posse constitui creaturam, vbi iam non sit Deus; idque confirmat, quia ipsa vbique debet ab ipso teneri & conseruari in esse. Iob 11. *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari.* Hìc apertè insinuat, Deum excedere omnem mensuram, & expandi in immensum, cùm superet ea quæ mens concipit vt maxima. 2. Paralipom. 6. *Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quantò magis domus ista quam ædificaui* (non te capit.) Ieremiæ 23. *Numquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* & Apostolus ad Ephes. 4. *Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Baruch 3. *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* quasi dicat: Cùm ipse immensus sit, domus quoque eius immensa esse debet. *Quare ipse sibi ante omnia erat & mundus, & locus, & omnia*; vt quodam loco rectè dixit Tertullianus. Eadem immensitas significatur Isaiæ 66. *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Si cælum sedes Deo, extat ergo toto, vt ita dicam, pectore supra cælum. Hunc locum pulchrè prosequitur Petrus Damianus Epistola 4. cap. 6.

Traditur in S. Scriptura.

Lib. contra Praxeam cap. 5.

3 Eadem immensitas videtur insinuari ab Apostolo cap. 3. ad Ephesios, cùm ait: *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profun-*

fundum. sic locum istum exponit Ambrosij Commentarius. Nos enim Dei immensitatem, nisi per dimensiones illas concipere non possumus. Simili modo exprimitur Iob 11. & Psal. 138. vt videre est in locis iam allatis, ad quæ loca videtur Apostolus respexisse. Maximi refert ad perfectionem vitæ, & in primis ad reuerentiam tantæ maiestatis, & ad internam cum illa coniunctionem & consuetudinem (vt quæ nobis sit intimè præsens, & coniunctissima) magnitudinem & immensitatem eius firmiter animo concipere, & veluti ante oculos positam habere. Idcircò Apostolus optat vt Ephesij eam cum omnibus Sanctis & viris perfectis animo comprehensam teneant. Possunt tamen etiam esse alij illius loci sensus, inter quos mihi maximè placet iste: vt *longitudo* sit Dei longanimitas & patientia, qua tot sæculis sustinuit peccatores exspectans eos ad pœnitentiam: *latitudo* sit eius charitas, qua omnes gentes, etiam inimicos, complectitur: *sublimitas*, gloriæ celsitudo, quam diligentibus se præparauit: *profundum*, damnatio & miseriarum abyssus impijs præparata.

Eamdem veritatem tradunt passim SS. PP. Dionysius De diuin. nom. cap. 9. Μέγας μὲν ὢν ὁ Θεὸς ὀνομάζεται, καὶ τὸ ἰδίως ἑαυτὸ μέγα τοῖς μεγάλοις ἑαυτὸ μεταδιδοὺς, καὶ παντὸς μεγέθους ἔξωθεν ὑπερχόμενον, καὶ ὑπερεκπεριέχον, πάντα τόπον περιέχον, πάντα ἀριθμὸν ὑπερβάλλον, πᾶσαν ἀπειρίαν διαβαίνον. *Magnus appellatur Deus, secundùm sibi propriam magnitudinẽ, quæ magnis omnibus de se cõmunicat, & omni magnitudini extrinsecùs superfunditur, & supra-expanditur, omnem complectens locũ, omnem excedens numerũ, omnem transiliens infinitatem.* 4

Explicatur locus Dionysij.

Cur Deus dicatur magnus.

Hîc varias assignat causas cur Deus dicatur magnus. Primò, Quia omnis magnitudinis causa. omnia enim magna, ipsius largitione habent quòd magna sint: at propter quod vnumquodque tale, illud magis. Secundò, Quia non solùm magnis omnibus coextenditur, sed etiam extrinsecus sine termino supra-circumfunditur & expanditur, sicut lumen circumfunditur pilæ vitreæ ad solem pendenti. Tertiò, Quia omnem ambit locum; intellige, non solùm verum (id enim etiam cælum extimum, vel eius conuexa superficies facit) sed etiam imaginarium, quantumuis magnus extra cælum locus cogitetur. Quartò, Quia omnem excedit numerum: nam & numeri magni dicuntur. Hanc numerorũ magnitudinem excedit magnitudine potentiæ, sapientiæ, bonitatis, & extensionis: plura enim potest, plura nouit, pluribus æquiualet, pluribus coëxistere & coëxtendi, ac plura intra sinum amplitudinis.

nis suæ admittere potest, quàm numero aliquo, quantumuis magno, possint comprehendi. Quintò, Quia omnem transit infinitatem. Est autem infinitas quintuplex. Primò, In substantiis, quatenus species rerum excurrunt in infinitum, aliæ aliis sine termino perfectiores; sicut numeri absque termino sunt alij aliis maiores. Secundò, In magnitudine. Tertiò, In duratione. Quartò, In numeris. Quintò, In qualitatibus, & in perfectione intensiua. Hanc omnem infinitatem Deus sua magnitudine transit, sese illi veluti coëxtendens & superextendens, eamque intra se complectens, & totam ambiens: complectitur enim in se, & superat omnẽ dimensionem, omnem æternitatem, omnem multitudinem, omnem perfectionem intensiuam imaginabilem; & omnes rerum species sub multis generibus substantiarum & qualitatum in infinitum excurrentes. S. Athanasius in Symbolo vsu Ecclesiæ approbato, *immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus*; addit *non tamen tres immensi, sed vnus immensus*, nimirum quia vna est & eadem trium personarum immensitas.

Infinitudo quintuplex.

Athenagoras Oratione pro Christianis: *Deus est ingenitus, & omnia quæ ipsius sunt: mundum verò ita excedit vt impleat vndequaque quidquid supra ipsum est, nec locum vllum se vacuum relinquat.*

S. Gregorius lib. 2. Mor. cap. 12. *Ipse manet intra omnia & extra omnia, ipse supra omnia, & infra omnia; superior per potentiam, inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interiùs penetrans; nec alia parte superior, alia inferior; aut alia parte exterior, alia interior: sed vnus & idem, totus vbique præsidendo sustinens, & sustinendo præsidens; circumdando penetrans, penetrando circumdans.* Pulcherrimè & verissimè.

S. Isidorus lib. 1. De sum. bono c. 2. *Immensitas diuinæ magnitudinis ita est, vt intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum: & ideò interiorem, vt omnia contineat; ideò exteriorem, vt incircumscripta magnitudinis suæ maiestate omnia concludat. Per id ergo quòd est exterior, ostenditur esse creator; per id quòd interior, gubernare omnia demonstratur.* Omitto alios.

7 Idem ratione conuinci potest. Primò, Si enim non esset immensus, posset eo aliquid maius cogitari, id est, aliquid patentius, magisque in omnem partem expansum & diffusum. Secundò, Posset aliquid esse extra Deum: sicut si mundus haberet animã, posset aliquid esse extra animam mundi, quod ab ea non foueretur aut

Probatur ratione.

conseruaretur. Tertiò, Si non esset immensus, deberet poni commensus mundo; quia nulla conuenientior mensura extensionis ei tribui potest: sicut anima est commensa suo corpori, nimirum quia est tota vbi est aliquid corporis, non vltrà, non extrà, non citrà. Quartò, Poterit moueri loco, & incipere esse in spatio, vbi nunc non est; sicut mundus potest loco moueri per immensum inane ad quoduis punctum, quantumuis distans à superficie conuexa cæli; & deserere locum, vbi nunc est. *Locum* voco non quantitatem, sed designationem & situm, à quo res dicitur esse hîc, ibi, illic, isthic, qualis est etiam extra cælum, & vbicumque aliquid creari potest. At hæc omnia quàm sint incongrua Diuinitati, satis constat tum ex Scripturis allatis, tum ex ipsa Diuinitatis notione, quam omnes ita concipiunt, vt nihil extra illam, quod ab illa non penetretur & ambiatur, cogitari queat, cùm omnia ab illa essentialem dependentiam habeant; multò magis quàm notiones animi ab anima, & forma aquæ impressa, à sigillo imprimente.

8 Ratio à priori nostro modo concipiendi est, quia cùm sit infinitus substantia & entitate, debet etiam esse infinitus quantitate seu extensione: sicut enim quantitas siue extensio sequitur entitatem rei, ita modus quantitatis, modum entitatis. quare cùm entitas sit modi-nescia & infinita, talis etiam erit extensio; ac proinde immensa. Ex hac immensitate prouenit vt Deus dicatur *esse vbique*, 9 & *illocabilis*, & *incircumscriptus*. *Vbique* enim esse dicitur, quia substantialiter præsens est omni loco, omni spatio, & omni omnino rei existenti, ita vt nulla omnino res sit, quamtumuis parua vel vilis, intra quam Deus secundùm essentiam suam totus non reperiatur præsens: nec vllus possit designari locus vel spatiũ, siue intra mundum siue extra, vbi similiter ipse totus totaq; eius substantia præsens non existat. Dicitur *illocabilis*, quia nullo loco vel spatio circumscribi potest. Quantumuis enim magnum spatium cogitetur, non minùs est extra illud, quàm intra: quam ob causam incircumscriptus, & Græcis ἀπερίγραπτος & ἀπεριόριστος dicitur. Sic S. Athanasius in rescripto ad Liberium dicit, *Deum esse incomprehensibilem loco*. & Damascenus lib. 1. De fide cap. 16. dicit *Deum esse incircumscriptum, & non esse in loco, sed ipsum sibi esse locum.* quod intellige de loco quo circumscribatur, in tali enim loco non est: alia tamen ratione, nimirum ob præsentiam substantialem, dicitur esse in omni loco.

CA-

CAPVT II.

Deum ratione suæ immensitatis esse etiam extra mundum in immenso spatio.

10 Ex supradictis testimoniis & rationibus apertè colligitur, Deum non solùm esse in hoc mundo, sed etiam extra mundum per immensa spatia diffusum; sicut lumen quoddam non solùm totum occupans mundum, sed extrorsum in omnem partem se absque termino extendens. Sicut enim coëxistit non solùm durationi huius mundi, sed etiam infinitæ durationi, quæ hunc mundum anteceſſit; ita etiam coëxtenditur non solùm spatiis huius mundi, sed etiam immensis interuallis quæ sunt extra mundum, nimirum simul & semel omnia locorum & temporum interualla occupans & adæquans. Vnde sicut ante mundum nullum potest signari momentum, quantumuis à principio mundi distans, in quo non sit Deus: ita extra mundum, nullum potest fingi animo punctum, quantumuis à mundo remotum & disiunctum, vbi pleniſſimè cum tota sua maiestate, potentia, & gloria non sit Deus.

Deum esse in spatiis extra cælum immensis.

11 Porrò talia puncta signari posse absque falsitate, non videtur dubitandum. Posset enim Deus à parte cæli conuexa extrorsum extendere funem ad quamuis distantiam; verbi gratia ad 1000. leucas, & ad illud punctum mouere hunc mundum; vel ibi creare aliquam creaturam, vel alium mundum, qui distet ab hoc mundo 1000. leucis. Idem dicendum de quauis alia distantia. Ergo ibi re vera est. Vbi enim potest operari, ibi natura priùs oportet esse præsentem. Sicut enim operari supponit esse; ita operari hìc, supponit esse hìc: nisi fingamus è longinquo virtutem emittere, & per medium diffundere, sicut sol calefacit inferiora; quod est absurdum de Deo imaginari. Oritur enim iste modus operandi ex eo quòd causa sit limitata, nec possit per se adesse. Vnde proximè aliquid producit per quod veluti per quamdam manum & virtutem à se diffusam, vsque ad effectum continuetur, & se extendat. Vnde quò longiùs procedit, eò hic modus operandi est imbecillior. Denique nullum ibi est subiectum in quo virtus diffusa recipiatur, neque probari potest, aliquid agere posse in distans, nisi agat etiam in medium, producendo in illud aliquid subseruiens actioni distanti. Confirmatur, quia si ibi non esset, posset eò moueri: nam mun-

Posse signari spatia & puncta distantia extra cælum.

dus eò moueri poteſt,& ſic Deus acquireret nouum ſitum,nouum vbi,quod eſt contra ipſius immutabilitatem.

Quomodo ibi ſint ſpatia.

Dices, Quomodo eſt in ſpatiis illis extramundanis, cùm ibi nulla ſint ſpatia, niſi fictitia & imaginaria? Reſpõdeo,Negando,non eſſe 12
ibi vlla vera interualla aut ſpatia.Sicut enim ſi aër eſſet diffuſus in immenſum,vel lumen per ſe ſubſiſtens eſſet immenſum,veriſſima ibi eſſent ſpatia : ita ſi ſpiritus aliquis ſit in immenſum diffuſus extra mundum in omnem partem, erunt vera & realia ſpatia,non corporalia, ſed ſpiritalia, etſi inter ſe non realiter diſtincta, quia ſpiritus non diffunditur per partes, ſed per ſuas, vt ita dicam,totalitates. quare cùm Deus ſit immenſus & in immenſum diffuſus, etſi non ſint ibi vlla interualla creata aut corporalia, ſunt tamen increata & ſpiritalia (quibus tamen corporalia poſſunt coëxtendi)

Immenſitas diuina primæuum ſpatium.

quæ non niſi ratione ab immenſitate Dei diſtinguuntur.Ipſa enim immenſitas diuinæ ſubſtantiæ & ſibi & mundo ſufficiens eſt ſpatium & interuallum capax omnis naturæ creabilis tam corporalis quàm ſpiritalis. Sicut enim eſſentia diuina eſt primæua eſſentia, origo & fundamentum omnis eſſentiæ & entis conceptibilis, ita immenſitas diuina eſt primum & intimum interuallum ſeu ſpatium, origo omnis interualli, & ſpatium omnium ſpatiorum, locus omnium locorum, ſedes & baſis primordialis omnis loci & ſpatij. Indicat hoc Arnobius l. 1.aduerſus Gentes,cùm ait:*O maxime, ô ſumme rerum viſibilium & inuiſibilium procreator*,&c. *Prima enim tu cauſa es, locus rerum ac ſpatium, fundamentum cunctorum quæcumque ſunt, infinitus, ingenitus,immortalis*,&c. Hîc apertè dicit Deum eſſe *locum ac ſpatium* rerum. & Dionyſius cap. 1.De diuinis nominibus dicit Deum eſſe σωεκτικὴν φρουρὰν καὶ ἕδραν ἁπάντων, id eſt *cuſtodiam & domicilium omnia conſeruans & continens*. & c.10.dicit,eſſe ἕδραν παντοχόθι κλίνων, καὶ πυθμένα πάντων. id eſt, *ſedem & fundum, in quo omnia firmantur & recumbunt*. Itaque quando 13
dicimus Deum eſſe extra mundum, per infinita ſpatia diffuſum, aut eſſe in ſpatiis imaginariis, non volumus dicere Deum eſſe in aliqua re fictitia, veluti in chimera; vel eſſe in aliquo ſpatio re à ſe diſtincto; ſed eſſe in ſpatio, quod ipſius immenſitas formaliter extendit, cui infinitum ſpatium creatũ poteſt coëxtendi. Sicut enim mundus non eſt in aliquo ſpatio creato, præterquam in ſua intrinſeca quantitate & extenſione: ita Deus non eſt in aliquo ſpatio reali, præterquam in eo quod ipſius immenſitas conſtituit, in quo etiam veluti priore & intimo ſpatio eſt ipſe mundus, & tota eius

ex-

extensio. Quare triplex spatium distingui potest, creatum, increatum, & imaginarium. *Creatum* constat extensione corporali, quali extẽditur quaquauersum mundus. *Increatum* est ipsa Dei immensitas. hæc est primum, intimum & fundamentale spatium, cui omne aliud spatium innititur. *Imaginarium* est quod mens nostra non valens aliter concipere Dei immensitatẽ, imaginatur. Sicut enim non possumus concipere Dei æternitatem, nisi imaginando tempus infinitum; ita nec Dei immensitatem nisi concipiendo spatium infinitum. Quare cùm Deus dicitur esse in spatiis imaginariis, nihil aliud significatur, quàm illum re vera existere, vbicumque animo spatium aliquod fingi potest.

14 Hæc sententia est verè Deo digna, & omnes tollit difficultates quę contra illud spatiũ obiici solent. Hoc significãt Patres dum dicunt, Deum ante mundum aut extra mundũ non fuisse, aut esse, nisi in semetipso. Sic Tertull. contra Praxeam c. 5. *Ante omnia erat Deus, solus ipse sibi & mundus, & locus, & omnia.* Minutius Felix in Octauio: *Palàm est, parentem omnium Deum nec principiũ habere nec terminum, qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo,* &c. S. Augustin. in illud Psal. 122. *Qui habitas in cælo,* &c. *Sed dicet aliquis: Antequam faceret Deus sanctos, vbi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.* S. Bernardus lib. 5. De consideratione: *Non est quòd quæras vltrà vbi erat* (nimirũ ante mundum:) *præter ipsum nihil erat, ergo in seipso erat.* Quæ loca intellige non tantùm de existentia obiectiua quæ erat in suo intellectu, sed de existentia naturali in sua immensitate veluti in spatio sibi accommodato.

15 Neque hæc & similia testimonia Patrum repugnant sententiæ eorum, qui dicunt Deum esse in spatiis imaginariis, vt quidam volunt. Non enim mens eorum est, Deum esse ibi tamquam in aliquo reali à se distincto; aut id quod imaginatione sola est, posse realiter continere Deum: sed tantùm volunt tali modo loquendi & concipiendi clariùs & distinctiùs explicare immensam Dei diffusionem, quæ se extendit ad omne punctum & spatium, quod mens extra cælum fingere potest. Et sanè mirum est, hanc sententiam impugnari, cùm illi ipsi, qui aliter sentire videri volunt, fateantur Deum esse præsentem in omni puncto, quod extra cælum mens potest designare, ne cogantur fateri eum illuc posse moueri. Itaque in re, nulla est hîc dissensio Patrum & antiquorum DD. Scholasticorum, qui docent Deum ibi esse tantùm in semetipso; à Caietano, Maiore, Molina, & aliis, qui dicunt illum esse

esse in spatiis imaginariis, id est vbicumque mens aliquod spatium concipere potest.

CAPVT III.

De substantiali & intima præsentia Dei in rebus omnibus: & quis hinc fructus colligendus.

RATIONE immensitatis fit, vt Diuinitas per suam essentiã om- 16
nia peruadat, & omnibus rebus sit intima, & intimè præsens
Ieremiæ 23. ac coniuncta loco seu spatio, iuxta illud: *Cælum & terrã ego impleo, dicit Dominus.* Si *implet*, ergo ipse ibi per se præsens est, sicut lumen cælos & aërem suo modo implens, ibi per se intimè præsens est. Et Actorum 17. *Non longè est ab vnoquoque nostrûm: in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus. In ipso*, non solùm tamquã in causa efficiente, sed etiam tamquam in sede, fundo, & basi nos capiente, sustentante, conseruante & vndique ambiente. Si enim solùm de efficientia vel conseruatione actiua loqueretur Apostolus, non efficaciter probaret, illum non longè esse ab vnoquoque nostrûm, nam sol longissimè distans à terra, in ea tamen lumen, calorem, & res innumeras producit & conseruat. Plus ergo voluit, nimirum nos in ipso esse & viuere, sicut in domicilio & fundo firmissimo, vt loquitur Dionysius lib. De diuinis nominibus cap. 1. & 10. Arnobius, & Tertullianus suprà. Porrò vbi Diuinitas est, ibi etiam sunt tres Personæ cum tota potentia, sapiẽtia, bonitate, maiestate, ceterisque perfectionibus suis. Quæ sanè consideratio mirè excitat animum ad reuerentiam. Addo, Deum cum omnibus suis bonis quadam ratione magis esse præsentem cuique rei, quàm ipsa sit præsens sibi ipsi: nam totus est præsens & intimus cuilibet particulæ & indiuisibili puncto rei: ipsa verò res non est singulis partibus suis præsens tota, nec vna pars est præsens intimè alteri parti, nec vlla pars toti. Vnde etiam anima præsentior est corpori, quàm corpus sibi.

Ex quibus perspicuum est, hanc præsentiam esse perfectissimam, 17
adeò vt perfectior nulla fingi possit. Quo fit, vt hæc præsentia multùm distinguatur ab illa, qua Deus dicitur esse vbique per potentiam & *inspectionem*, vulgò *per præsentiã*. *Per potentiam* dicitur esse vbique præsens; tum quia vbique dominatur, & iurisdictionem ac imperiũ obtinet, ita vt de omnibus possit disponere: tum quia vbique

que operatur omnia conseruans & gubernãs. Per *inspectionem*, quia omnia in conspectu eius sunt posita: & ipse omnia clarissimè semper & vbique intuetur. Hi duo modi existendi in rebus, per se non postulant intimam præsentiã essentiæ: quia etiamsi per essentiam solùm esset præsens in cælo, tamen concipi posset esse vbique per potentiam & inspectionem. Itaque hæc præsentia, quæ illi conuenit ratione immensitatis, est longè perfectior, cùm requirat intimam essentiæ coniunctionem, & indistantiam. Addo, hanc præsentiam talem esse, vt per eam Deus necessariò sit futurus omnibus rebus substantialiter & intimè præsens, etiamsi fingatur ipse non esse rerum auctor, & illæ ab alio principio ponantur productæ: quia ipse omne spatium imaginabile necessariò occupat, siue ibi sit res aliqua creata, siue non.

18 Hoc tamen diligenter considerandum est, etiamsi Deus omnibus rebus sit intimè præsens, easque suo substantifico influxu tangat & conseruet, ab illis tamen non posse tangi, ac proinde nec inquinari; sicut anima à corpore tangitur & inquinatur, dum eam incipit informare. Nam ita præsens est loco, seu lõcali præsentia & indistantia, cuilibet rei, vt tamen naturæ gradu & celsitudine infinitè distet, in seipsum collectus, & firmissimè in sua puritate subsistens, ab omnibus segregatus. Vnde simul & coniunctissimus est & remotissimus, præsentissimus & secretissimus, vnitissimus seu collectissimus & diffusissimus. Et quamuis infinitis modis per suos influxus ad creaturas descendat, manet tamen in sua celsitudine & immobili identitate stabiliter fixus, vt S. Dionysius ait. Lib. De cæleſt. hierarch. cap. 1.

19 Ex his sequitur primò, Posse nos Deum in omnibus rebus intueri, non solùm vt in effectu, vestigio, aut imagine, sed etiam vt ibi reipsa latentem, occultatum, & veluti sipario quodam creatæ naturæ velatum. Sunt enim omnia creata veluti tenuia integumenta, magnum illud arcanum & Sanctum sanctorum velantia. amoue cortinas, & vide quid intus lateat; illud nudum & purum intuere. Loquor de intuitu mentis per contemplationem, cuius homo in hac vita est capax. *Intuendum esse Deum in omnibus.*

20 Sequitur secundò, Posse nos omnia intueri in Deo. Omnia enim ab ipso & intimè penetrantur, & profundissimè sustentantur, & exteriùs diffusissimè circumdantur. Vnde totus mundus ita est in Deo, sicut paruula spongia in vastissimo mari. Mare enim exteriùs immensa vastitate sua illam ambit & circumfundit; interiùs intimè penetrat & humectat, & sua vi sustentat. Vel sicuti globulus vi- *Omnia in Deo.* Augustinus l. 7. Confess. cap. 5.

treus in lumine ſolis: lumen enim interiùs totum globulum penetrat, & exteriùs ambit, in immenſum ſe diffundens circumquaque.

Gaudium de eius præſentia.

Sequitur tertiò, Maximum debere nos concipere gaudiũ, quòd 21
tantum theſaurum intra nos, nimirum in anima noſtra, in corde noſtro, in omnibus animæ viribus, in omnibus corporis particulis habeamus: nimirum Deum ipſum, Patrem, Filium, Spiritum ſanctum, cum tota potentia, ſapientia, bonitate, omnibuſq; perfectionibus & diuitiis ſuis: præſertim cùm & bonorum ipſius ſimus capaces, & ipſe propenſiſſima voluntate in nos ea cupiat diffundere, ſi nos ad excipiendum præbeamus idoneos. Cùm enim ita nobis ſit intimus, facilè poteſt nos perficere. ſinat tantùm ſua dona in nos effundere, ſtatim implebitur ſplendoribus anima noſtra, & vita æterna in nos dimanabit: ſicut ſi anima noſtra eſſet omnipotens, nihil eſſet procliuius quàm vt corpus noſtrum ſtatim perfectum & glorioſum euaderet. Quis iſta perpendens, gaudio non exultet, omni mœrore depulſo? Adhuc enim modicum, & immenſum illud bonorum pelagus in animas noſtras exundabit, eaſq; dulcedinis ſuæ, & omnium gaudiorũ ſuorum participes faciet: ſi tamen nos dignè ad hoc comparauerimus, contemptis tranſitoriis ad æterna ſuſpirantes. Orietur etiam ex eadem conſideratione ingens in periculis omnibus fiducia. Si enim Deus non ſolùm intra nos eſt, intimè nos penetrans & ſuſtentans, ſed etiam vndique exteriùs circumdat & ambit, quis poterit nobis nocere, niſi ipſe id peculiariter permittat? Quòd ſi permiſerit, certè de manu ipſius patienter & libenter debemus accipere, qui facit vt diligentibus ipſum omnia cooperẽtur in bonum; qui ſi quid aduerſi permittit, boni noſtri cauſa permittit.

Fiducia.

In præſentia eius verſandum.

Sequitur quartò, Debere nos ſemper tamquã in præſentia Dei, 22
cum magna reuerentia verſari. Eſt enim nobis præſentiſſimus, omnes noſtras cogitationes intuens, omnes affectus peruidẽs, omnium corda & renes perſcrutans, & expeditam habens omnipotentiam ſuam ad nos æterna pœna ſubitò mactandos, ſi eum auſi fuerimus offendere. Sicut enim intolerabilis eſt temeritatis, in præſentia Principis pro tribunali ſedentis, & pœnam mortis minitantis, violare eius legem; ſic multò magis intolerabile eſt, in præſentia Dei æternam mortem intentantis, & valentis ſtatim inferre, audere eius præcepta contemnere: quod facit omnis qui peccat mortifere. Vnde qui attentè hanc Dei præſentiam conſiderat, eamque ſemper ob oculos habet, numquam audebit illum offendere: ſed aſſiduè ad eius amorem & timorem excitabitur. Magnum itaque

hac

hac in re ponendum ſtudium, magnaq; exercitatio, vt Deum ſemper nobis præſentem, omniaque noſtra intuentem ſtatuamus.

23 Sequitur quintò, Reuocandas eſſe cogitationes noſtras, quas extrorſum per creaturas diſperſas habemus, eaſque ad noſipſos conuertendas; deinde in fundum animi deſcendendum, ibidem hoc immenſum arcanum reperturi. Quorſum enim per creaturas extra nos palabundi quærimus, quod intra nos in Deo multò felicius & vberiùs obtinere poſſumus?

CAPVT IV.

Recollectio precatoria, de immenſitate.

24 MAGNVS es, Domine, & laudabilis valdè, & magnitudinis tuæ non eſt finis, excelſior cælo, latior mari, profundior abyſſis, implens omnia, circumdans omnia, & tamquam ſphæram modicam totum hoc vniuerſum palmo circumplectens. Tu ſphæra incomprehenſibilis, cuius centrum vbique, ambitus & circumferentia nuſquam, vt quidam Philoſophus rectè dixit, ſi ſano ſenſu intellexit.

25 Omnia locorum ſpatia occupas intra & extra mundum, fundamen ipſe, ſedes & ſpatium omnis ſpatij, extendens & ſubſtituens primò, omnium ſpatiorum & interuallorum tam poſſibiliũ quàm realium immenſitatem, tamquam prima omnium baſis, cui omnia innixa. Neque enim cælum dumtaxat extendis, & huius mundi capaciſſimã vaſtitatem: ſed miro quodam modo etiam hoc ipſum ſpatium in quo mundum ipſum condidiſti, expandis, non alio ſanè interuallo quàm magnitudinis tuæ. Hæc eſt prima & fundamentalis capacitas, ſpatioſitas, ſeu laxitas, in qua omne aliud ſpatium conſtare debet, & cuius ratione immenſum ſpatium creatæ menti eſt imaginabile: ſicut æternitas tua eſt prima & originalis duratio, om-
26 nis durationis concepibilis fundamentum. Neque ſolùm in immenſum diffuſus, interuallum ſubtendis & extendis immenſum; ſed etiam in omnibus & ſingulis huius vniuerſi rebus & locis, in omnibus punctis deſignabilibus totus es collectus, totus cõpletus, totus præſens, totus interior, cum vniuerſa potentia, ſapientia, bonitate, ceteriſque perfectionibus tuis, & cum omnibus donis &
27 opibus tuis, quibus creaturam tuam beare & ornare potes. Lates intra ſingula totus, aſſiduè omnia creans, formans, conſeruans &

tenens intrinsecus in luce ipsius esse, ne in suas tenebras & in nihilum relabantur; & ad te conuertens per instinctum boni.

Conuerte, obsecro, cor meum ad te introrsum in fundum ani- 28
mæ meæ, vbi silente creaturarum strepitu, & importunarum cogitationum cessante tumultu, tecum commorer, te semper præsentem cernam, te amem & venerer, & vocem tuam audiam, tibi miserias exilij mei exponam, & solatium apud te inueniã. Numquam præsentiæ tuæ me capiat obliuio, lux mea, dulcedo animæ meæ: numquam obliuiscar tui, sed semper quocumque me conuertero, mentis meæ oculis obuerseris. Totus enim vbique præsens es, & radios præsentiæ tuæ diffundis per singula. Sicut enim inuisibilis anima in hominibus se foris aperit per motus & operationes, quæ exteriùs parent in corpore, sic vt ipsius præsentiam clarè cognoscamus: ita tu, qui omnium es vita superuitalis, & omnium esse supereſſentiale, te satis manifestè prodis per ipsam creaturarum speciem, in qua elucet admirabilis sapientia & potentia tua. Quid enim 29
aliud est omnis creatura, quàm impressio quædam & imitatio æternorum conceptuum mentis tuæ? Tu enim sigillum primæuum & vniuersale, creatura verò veluti ἀποσφράγισμα seu forma ex impressione sigilli resultans; non in solida aliqua materia, quæ detracto sigillo valeat speciem retinere; sed quasi in fluxa & euanida, in nihilo. Vnde ne ad momentum quidem constare potest, si sigillum abfit, sed assidua præsentia & impressione est opus. Agnoscam igitur præsentiam tuam in omnibus, qui in singulis delitescens, esse & speciem omnibus assiduè suppeditas.

Da mihi præterea, vt comprehendam cum omnibus Sanctis, quæ 30
sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum Diuinitatis tuæ; vt à me totus cogitatione & affectu deficiens, in illud pelagus immergar, ibique perdam meipsum & creata omnia, nihil aliud attendens, nihil aliud sentiens, amans, desiderans aut requirens amplius; sed in te solo requiescens, & omne bonum in te possidens & perfruens. Sicut enim essentia tua infinita est & immensa, ita omne bonum, quod in te est, infinitum pariter & immensum est. Quis adeò auarus est, vt infinitum & immensum bonum ei non satis sit? Nihil ergo extra te quæram aut desiderem, sed tu mihi sis instar omnium, & supra omnia, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

DE

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER TERTIVS, DE IMMVTABILITATE DEI.

CAPVT PRIMVM.

Deum esse immutabilem.

1 TERTIO loco occurrit *immutabilitas*. Hæc pendet ex infinitate & immensitate. Nam quà immensus est, non potest moueri loco; quà infinitus in toto genere entis, non potest ei vlla fieri accessio; complectitur enim omnia: & quia hæc omnia continet per essentiam, non potest quidquam perdere, sicut nec suam essentiam amittere. Est igitur prorsus immutabilis & substantia, & loco, & intelligentia, & affectu, & omni modo intrinseco. S. Thomas Dei immutabilitatem probat tribus rationibus. Primò, Quia Deus est purus actus, nihil habens admixtum potentialitatis; cùm potentia imperfectionem dicat, & melius sit esse actu quàm potentia. quidquid autem mutatur, est aliquo modo in potentia ad id ad quod mutatur. Secundò, Quia est omnino simplex, & expers omnis compositionis. In eo autem quod mutatur, necessariò est aliqua compositio, dum successiuè res est sub diuersis terminis,

vno recedente, & altero succedente. Tertiò, Quia est infinitus, comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis.

Hanc immutabilitatem multis locis insinuat Scriptura. Numerorũ 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur.* Psal. 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Idem es* nempe quoad omnia quæ in te sunt; nihil tibi accedit, nihil deperit; Malachiæ 3. *Ego Dominus, & non mutor.* id est, non sum mutabilis. Quæ enim Deo tribuuntur, κατ' ἐξοχὴν accipienda sunt. de- [illegible] excellentiori modo exponi in Deo, quàm in creaturis, à quibus accepta. Sic immortalitas in Deo significat omnimodam immutabilitatem. 1. ad Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali & inuisibili, soli Deo honor & gloria.* & cap. 6. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem.* Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* 2

Omnia in Deo ab omni æternitate perfectissimè

Ex hac immutabilitate sequitur primò, Quidquid in tota æternitate Deo posset accedere sapientiæ, considerationis, consilij, amoris, gaudij, felicitatis, voluptatis, id totum ex omni æternitate in eo fuisse simul collectum, & firmissimè in omnem æternitatem in ipso permansurum. Tanta enim in ipso est omnis boni plenitudo, vt nulla fingi possit accessio; tanta firmitas, vt nulla diminutio. 3

Sequitur secundò, Cùm Deus mundum creat, cùm res administrat, cùm immutat, cùm genus humanum delet, cùm peccatores punit, cùm tam multa, tam varia, tanta vt videtur solicitudine per Prophetas loquitur; cùm naturam nostram assumit, & homo esse incipit; cùm per eam tam mirabilia & multiplicia operatur; cùm tam grauia patitur, cùm crucifigitur, resurgit, ascendit in cælum, & Spiritum sanctum ad nos mittit; non ipse vllam vicissitudinem seu mutationem cogitationum, consiliorum aut voluntatum subit; non affectu vllo nouo tangitur, sed omnino immutabilis in sua simplicissima identitate & primæuo statu fixus supra omnia perseuerat. Simul & semel ante omnia sæcula concepit & statuit omnia quæ suis temporibus in lucem & existentiam sunt emersura. Ex vi huius antiqui & æterni decreti, omnia suis momentis promuntur. 4

Apud illum, ait S. August. l. 1. Conf. 6. cap. 6. *rerum omnium instabilium stant causæ; & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origi-* 5

origines, & omnium irrationabilium & temporalium sempiternæ viuunt rationes. &, vt ait Boëtius,

——— *immotus manens dat cuncta moueri.*

S. Prosper Sententia 145. *Aeterna & incōmutabilis est voluntas eius, nec consilio alternante variatur: in qua simul est quidquid in rebus creandis vel ordinandis præcessit aut sequitur.* Eodem pertinent quæ scribit D. August. l. 1. Confess. c. 4. *Immutabilis mutans omnia, numquam nouus, numquam vetus, innouans omnia, & in vetustatem deducens superbos, & nesciunt; semper agens, semper quietus, colligens & non egens, portans & implens & protegens; creans & nutriens & perficiens. Quæris cùm nihil desit tibi; amas nec æstuas, zelas & securus es, pœnitet te, & non doles; iraſceris & tranquillus es, opera mutas, nec mutas consilium; recipis quod inuenis, & numquam amittis; numquam inops, & gaudes lucris; numquam auarus, & vsuras exigis. Supererogatur tibi vt debeas, & quis habet aliquid non tuum? reddis debita nullis debens, donas debita nihil perdens,* &c.

6 Sequitur tertiò, Omnem cogitationem, omne consilium, omnem voluntatem, omnem amorem, omne odium, omnem complacentiam & displicentiam, omne gaudium, omnem felicitatem, omnis boni fruitionem, quæ modò in Deo est, ab æterno in ipso fuisse, & in omnem æternitatem fore absque omni variatione, accessione, & imminutione. Vnde ex mundi creatione, ex Angelorum & hominum obsequiis, cultu, honoribus, laudibus, nihil illi accedit felicitatis, nihil gaudij intrinsecus. Neque ipse hæc fecit commodi aut solatij sui causa, sicut homo facit domum, & conquirit familiam & famulos: aut sicut Rex instituit regna, prouincias, ciuitates, vt potentiam suam augeat, rebus alienis & quæ extra ipsum sunt, ad hoc adscitis: sed fecit vt affluentiam bonorum suorum communicaret, & quodque illorum, prout capax est, suarum diuitiarum particeps efficeret: sicut sol non illuminat aërem, vt sibi prosit, sed vt rebus inferioribus benè sit.

7 Itaque etsi totus mundus periret, & omnes Angeli & homines æternis pœnis addicerentur, ipse nihil inde incommodi acciperet, sed æque beatus in seipso, sibi ipse plenissimè sufficiens ad omnem voluptatem & felicitatem, permaneret. Sicut si Monarchæ totius orbis paruula aliqua villa periret cum mancipiis aliquot, nihil inde sentiret damni aut mœroris. Hinc Iob 35. dicitur: *Si peccaueris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua acci-*

Nihil decederet Deo etsi omnia perirent.

accipiet? & Psalmo 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ratio est, Primò, quia cùm ipse sit bonum infinitum, totum bonum creaturæ comparatione ipsius est instar nihili. Sap. 11. *Tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.*

Deinde, quia cùm omnia in ipso sint eminenter, nihil ipsi perire potest: etsi enim res in se pereant, manent tamen semper apud ipsum in eius sapientia & potentia, vbi non minùs eas contemplatur & illis delectatur, quàm si foris existerent. Sic omnia possibilia illi existunt & viuunt.

Ex quibus perspicuum est, Primò, neminem sibi debere blandiri quasi multum pro Deo fecerit, aut suis laboribus ei aliquod beneficium præstiterit. Nam præterquam quòd hæc & infinita alia Deo ex gratitudine debeamus, ipseque à nobis optimo iure posset exigere: omnia ista nihil ipsi prosunt, sed nobis & proximis nostris. Secundò, frustrà insanire eos, qui suis maledictis & blasphemiis Deo nocere, mœrorem inferre, & de illo se vlciscì putant. Qui caput rupi illidit, non illam lædit, sed seipsum perimit. Quidquid in illam incommutabilem rectitudinem illisum fuerit, confringi necesse est. Omnis peccator dum legem illius violat, in illam impingit: quàm grauiter se læserit, apparebit omnibus in die iudicij, singulis in morte.

CAPVT II.

Libertatem arbitrij non officere immutabilitati, nec contrà.

Obiectio. VIDERI possit obstare huic immutabilitati, quòd diuina natura ex se non sit determinata ad actus liberos, sed omnino indeterminata & indifferens, verbi gratia, ad volendum mundum hunc & nolendum. Si enim est indifferens, ergo accedente velle aut nolle, mutabitur; aliter enim nunc se habebit quàm anteà: anteà enim erat indifferens ad vtrumlibet, nunc verò est determinata ad alterum, verbi gratia, ad velle.

Responsio. Sed hæc indeterminatio non obstat, quia in tota retrò æternitate, vel temporis imaginarij infinitate, non potest dari vllũ instans, in quo dici possit, Nunc diuina voluntas ad velle hunc mundum est indeterminata. Quamdiu enim essentia diuina fuit, etiam diui-

na voluntas ad hoc velle & ad omnes alios actus suos liberos determinata fuit. Itaque hæc determinatio non successit indeterminationi, ac proinde nullam mutationem induxit. Ad omnem enim mutationem requiruntur duo instantia sibi succedentia, in quorum priore res sit sub vno contradictorio, in posteriore sub altero: vt cùm quis ex non volente fit volens, aut ex volente non volens. Cuius ratio est, quia cùm omnis mutatio simplex per se primò & intrinsecè sit inter contradictoria, & contradictoria non possint simul (id est, eodem instanti) eidem inesse; necesse est vt diuersis instantibus insint, quorum alterum alteri succedat. Quare cùm nec in tempore, nec in æternitate possint assignari duo instantia sibi succedentia, in quorum altero diuina voluntas sit indeterminata, aut non volens hunc mundum; in altero sit volens; perspicuum est, nullam in ea ex hoc capite poni mutabilitatem.

I Omni mutatione requiri duo instantia.

9 Dices, In priori instanti naturæ, iuxta nostrum modum concipiendi, diuina voluntas est indeterminata, & carens velle; in posteriori autem est determinata, & iam habens velle; ergo saltem ratione successionis horum instantium erit mutatio. Respondeo, Illa instantia non esse instantia durationis, sed rationis; & illud prius & posterius non dicere ordinem successionis, sed causæ & effectus, vel cuiusdam dependentiæ, iuxta modum quo hæc in diuinis locum habere possunt: & vt quidam dicunt, non est ibi prius in quo, sed à quo. significatur enim solùm quidam ordo dependentiæ inter rationes conceptibiles in Deo. Secundùm autem talia instantia, & tale prius & posterius, non fit mutatio, quia posterior terminus non excludit priorem, sed simul tempore insunt eidem. Confirmatur; quia si res diceretur mutari ex eo quòd ipsa vt prior natura, caret aliqua forma (de carétia negatiua intellige,) vt posterior natura, illam verè habet, eidem simul eodem temporis instanti inesſent contradictoria. nam mutatio debet esse inter contradictorios terminos.

Instantia naturæ non sufficiunt ad mutationem.

10 Ex his satis liquet, nullam in Deo ratione actuum liberorum factam esse mutationem, nec propter illos Deum vlla ratione posse dici mutabilem. Si tamen Deus non determinasset se ex omni æternitate, non posset se determinare in tempore absque aliqua sui mutatione: quia darentur duo instantia durationis, in quorum priore Deus esset indeterminatus, & carens volitione; in posteriore determinatus ad volitionem, eamque habens; verumque esset dicere, Deus ex non volente factus est volens; quod absque aliqua

mutatione fieri non posset. Nam etsi fortè non physicè, tamen moraliter nunc se aliter haberet quàm anteà habuerat: quia velle aliquid, est denominatio intrinseca.

Deus ad omnia se determinauit.

11 Hinc sequitur, Deum ex omni æternitate, & ante infinitum tempus se determinasse ad omnia futura & non futura, deque omnibus perfectissimè deliberasse & statuisse, decernendo non solùm quid reipsa fieri vel non fieri, permitti vel non permitti debeat, sed etiam quid quauis hypothesi imaginabili facta, futurum vel permittendum; non futurum aut non permittendum esset. Quæ determinatio est prorsus admirabilis, & infinities infinitam diuinæ voluntatis vastitatem & amplitudinem indicat: nam circa vnamquamque rem infinitæ hypotheses fieri possunt. loquor de hypothesi considerata cum circumstantiis necessariis in particulari, vt inclinet voluntatem ad agendum vel non agendum: sapiens enim non se determinat in rebus agendis, nisi spectatis omnibus circumstantiis. Nullo igitur instanti in tota æternitate fuit in voluntate diuina aliqua indeterminatio aut indifferentia, vt ei possit succedere determinatio; sed omnia instantia, & ipsam temporis imaginarij infinitatem determinatio plenissima anticipauit & præuenit, estque tam antiqua & æterna, & immutabilis, quàm ipsa diuina essentia.

Postulat Diuina essentia statim determinari.

12 Et quamuis diuina essentia ex se, vt est prior ratione actu libero, non sit determinata, sed indifferens, vt dictum est; tamen ex natura sua postulat vt statim hoc ipso quo est, ad omnia determinetur, ita vt ne momento quidem esse possit absque determinatione in alteram partem, nimirum ad velle aut nolle; ad velle permittere, aut nolle permittere; siue absolutè, siue sub aliqua hypothesi. Non enim omnia vult aut non vult absolutè, sed quædam solùm sub aliqua conditione. Idem dico de voluntate permittendi. Ratio cur hoc postulet, est, quia manere indeterminatum, est imperfectionis: prouenit enim ex eo quòd res non sit satis examinata, neque satis constet, vtrùm hæc an illa pars magis expediat, vnde timetur ne in futurum aliquid occurrat, ratione cuius nos electionis facta pœniteat. Sed nihil horum habet locum in Deo, qui ex omni æternitate plenissimè omnia considerauit, perinde ac si infinito tempore omnia & singula expendisset; & nouit clarissimè quid ex singulis sequi possit, & quid reipsa, si hoc vel illud ponatur, sit secuturum. Itaque nulla est ratio, cur voluntatem suam circa aliquod obiectum suspendat. Accedit quòd ex hac

suspen-

suspensione & indifferentia necessariò sequeretur mutabilitas, vt ex antè dictis constat.

CAPVT III.

Omnia sib Deo esse mutabilia.

13 Esse natura sua immutabile, ita Deo est proprium, vt nulli creaturæ sit communicabile. Cùm enim nulla creatura possit esse immensa, sed necessariò sit limitatæ quantitatis, & limitatum spatium occupet, necessariò etiam est mutabilis loco, & ex vno in alium transferri potest; vt videre est in Angelis, qui tamen sunt
14 perfectissimi. Pari modo cùm nulla res creata habeat omnem perfectionem cuius est capax per suam essentiam, necesse est eam perfici qualitatibus sibi congruentibus. Sic Angeli habitibus & actibus tum intellectus tum voluntatis perficiuntur: ac proinde secundùm has poterit in eis esse mutatio. Sic ex bonis facti sunt mali liberæ voluntatis electione, estque in illis cogitationum & volitionum multiplex & ferè assidua alternatio, prout varia de rebus agendis se offerunt. Denique etiam secundùm esse substantiale sunt omnia mutabilia: quia sicut ex libero Dei influxu acceperunt esse, ita eodem influxu cessante necessariò desinerent, & suum esse amitterent.

15 Hinc Apostolus 1. ad Timoth. 6. ait, *solum Deum habere immortalitatem*, nimirum perfectam & independentem, ita vt nulla ratione possit vitam amittere. Et sancti Patres docent, Angelos esse quidem immortales, non tamen natura sua, sed gratia Conditoris. Damascenus l. 2. De fide c. 3. *Immortalis est Angelus, non natura, sed gratia. Nam omne quod cœpit, desinere suapte natura potest.* Cyrillus l. 8. Thesauri c. 2. *Etsi Angelus immortalis quædam res est, propter voluntatem & gratiam Saluatoris: tamen quia ortum habuit, & esse cœpit, occidere quoque potest, & non esse.* Et infrà: *Solus enim Deus propriè immortalis est, quia naturaliter id habet; cetera per gratiam, sicut creaturæ.* & Iustinus in Responsione 13. quæst. ad Gentes: *Solum Deum dicimus obtinere immortalitatem, quia ex sua ipsius natura, non ex aliena voluntate hæc illi adest.*

16 Neque his obstat, quòd DD. Scholastici passim docent Angelos natura sua immortales: quia loquuntur de immortalitate, facta comparatione ad causas creatas. Cùm enim mortale & immortale

dicant ordinem ad causam intrinsecam vel extrinsecam, quæ possit vel non possit mortem inferre; dupliciter potest aliquid dici mortale & immortale, facta nimirum comparatione ad duplicem causam, potentiam inquam Dei, & potentiam creaturæ. Itaque si fiat comparatio ad potentiam Dei, sic nulla res creata natura sua est immortalis; ac proinde spectata conditione naturæ est mortalis, quia ex natura sua habet vt pendeat ex libero influxu Dei, ac proinde vt possit desinere esse. Sicut enim ex natura sua per se considerata habet vt possit esse: ita etiam vt possit non esse: quod posse non est aliud, quàm non-repugnantia. Hoc modo intelligendi sunt SS. Patres, cùm dicunt, nihil creatum esse natura sua incorruptibile aut immortale, & omnia sicut inceperunt esse, ita posse desinere.

Quomodo Angeli natura sua sint immortales, & quomodo mortales.

17 Si verò fiat comparatio ad causam creatam; non solùm Angeli sunt immortales natura sua, sed etiam animæ rationales, & corpora cælestia, & fortè etiam elementa, præsertim si sint naturæ simplices. nihil enim horum perimi potest vi creata. Omne enim quod vi causæ creatæ perimi potest, debet esse tale vt possit in se ab illa causa recipere impressionem alicuius qualitatis vel formæ, quæ simul consistere non possit cum forma quæ illi inerat. Itaque debet esse compositũ ex materia & forma, eiusque materia debet esse capax illius impressionis; vt patet in omnibus alterationibus & corruptionibus, quæ à causis naturalibus inferuntur. Vnde perspicuum est, nullam substantiã simplicem, qualis est natura Angelica, & anima rationalis, ac fortè substantia cælorum & elementorum, ab vlla vi creata perimi posse, cùm ista non constent aliquo subiecto quod possit recipere aliquam impressionem, quæ cum illorum natura consistere nequeat.

18 Hæc tamen omnia, facta comparatione ad potentiam diuinam, sunt natura sua mortalia & corruptibilia, quia nullam habent firmitatem aut soliditatem, nisi ex Dei voluntate, & assiduo influxu: quem influxum, quia liber est Deo, & liberaliter, nullo præuio ipsorum merito confertur, sancti Patres *gratiam* vocant.

19 Hinc infertur, omnes Sanctos & Beatos, si naturam eorum spectes, posse amittere suam beatitudinẽ, gloriam, ac immortalitatem, & relabi ad nostras miserias; deinde posse peccare & amittere suam sanctitatem, ac damnari; imò posse amittere ipsam naturã, & conuerti in nihilum: quorum omnium assidua consideratio est illis causa summæ humilitatis & subiectionis erga Deum, & continuæ gratiarum actionis. Solus Deus supra omnia positus, omnia continens

nens & conseruans, nihil suorum bonorum amittere potest; nihil ab alio accepit, sed à seipso omnia habet; nemini obnoxius, nemini debitor, nisi gratuita & liberali promissione sua. Ipsi gloria, ipsi imperium, ipsi gratiarum actio ab omni creatura in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

De aliis fructibus qui ex consideratione immutabilitatis Dei colligi possunt, dicemus lib. IV. De Æternitate.

CAPVT IV.

Recollectio precatoria, de immutabilitate.

20 TIBI *Regi sæculorum immortali & inuisibili, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, soli Deo* & Domino meo *honor & gloria* ab omni creaturâ in terra & in cælo, & supra omnem creaturam in altissima & inaccessibili luce sapientiæ & Diuinitatis tuæ. Tu omnis immortalitatis & stabilitatis auctor, tu gluten & nexus omnium. 1. ad Tim. 1. Iacobi 1.

21 Per te Angelicæ naturæ & animæ rationales immortales & inexterminabiles constant. Per te cælorum firmitas, qui *solidi velut ære fusi sunt*. Per te *terra in æternum stat*, suis librata ponderibus in medio vniuersi, tamquam centrum immobile. Per te elementorum & materiæ indissolubilis natura. tam potenti manu his omnibus speciem impressisti, vt nulla arte eradi; tam validè contines intrinsecus, & cohærere facis, vt nulla vi possint disipari. Iob 37. Eccl. 1.

22 Neque tantùm immortalitatis & stabilitatis es auctor; sed etiam omnis motionis tam spiritalis quàm corporalis prima & suprema origo. Nihil enim fit visibiliter in hac totius creaturæ veluti amplissima Repub. quod non ab inuisibili aula summi Imperatoris, secundùm ineffabilem distributionem donorum & gratiarum, præmiorum & pœnarum, bonorum & malorum, & ceterarum huius vitæ vicissitudinum, vel iubeatur vel permittatur. Prosper Sententia 58.

23 Apud te rerum omnium mutabiliũ immutabiles sunt rationes, & omnium temporalium æternæ stant origines. Semel ante sæcula omnia statuisti de omnibus, semel dixisti, & ex vi huius statuti promuntur & dispensantur sæcula, & quæ per sæculorum decursum suis momentis & locis in lucem veniunt. Ordo temporum apud te sine tempore est; nec aliqua tibi sunt noua, qui iam ab æterno fecisti omnia quæ futura sunt. *Fecisti*, inquam, in prædestinatione tua,

in decreto tuo iubente vel permittente, & in præscientia tua infallibili omnia intuente vt præsentia.

Apud te est omnis boni plenitudo, præexistens & anticipata ante 24
omnia sæcula, cui nulla accessio, nulla fieri potest detractio. Simul habes ab initio quidquid per infinitum sæculorum decursum accedere potest; nec quidquam potes amittere, quia per essentiam tuam habes & es omnia. Non eges obsequiis nostris, neque ex salute nostra tibi aliquid commodi, vel ex damnatione aliquid incommodi prouenire potest. Et quamuis totus periret mundus, tu tamen nihil amitteres, neque beatitudo vel gloria tua idcircò minora forent, aut aliquid detrimenti caperent.

Amas tamen nos æterno & infinito amore; & nihil non agis vt 25
salui simus, & beatitudinis tuæ participes; & cùm à te recesserimus, non deseris nos, sed multis modis reuocas, sicut benignus parens filios fugitiuos, veniam promittens, ne in æternum exitiũ ruamus.

O immensam spiritus tui dulcedinem, qui tanta nobiscum vte- 26
ris benignitate, non solùm nihil tale promeritis, sed ingratis, sed rebellibus, sed assiduè te offendentibus, & malum pro infinitis beneficiis tuis rependentibus!

Illumina tenebras nostras, lux primæua; absterge ab oculis men- 27
tis nostræ nugacem nugarum huius mundi fascinationem, sensum simplicem peruertentem: vt quantum inter caduca & immortalia, inter fluxa & permanentia, inter bona huius sæculi & futuri intersit, clarè perspiciamus, vt illis contemptis hæc persequamur, hæc assequamur, his inhæreamus. Aufer à nobis mentis inconstantiam, ne in bono proposito fluctuemus, neve vmquam deseramus quod semel à nobis benè occœptum. Nihil enim magis noxium ad profectum, quàm instabilitas animi nusquam consistentis, & leui momento huc illuc instar arundinis impulsi.

Tange apicem animæ nostræ radio lucis tuæ, & mentem no- 28
stram trahe sursum ad te, supra omnium mutabilium sphæras, supra solis annique vias, supra omnia bona creata, & vinculo charitatis insolubili adstringe tibi, vt neque mors, neque vita, neque paupertas, neque diuitiæ, neque gloria vel ignominia, neque voluptas vel afflictio; neque sublimitas vel profundum, neque ipsæ inferorum portæ & vniuersa diaboli tormenta valeant eam conuellere, aut à te separare.

DE

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER QVARTVS, DE ÆTERNITATE DEI.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Æternitas.

1 AETERNITAS sequitur immutabilitatem, & non nisi ratione ab ea distinguitur. Nihil enim est aliud, quàm duratio rei immutabilis, principio & fine carens: duratio autem nihil est nisi esse rei continuatum & permanens. Definitur à Boëtio sic: *Aeternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* quæ definitio potiùs est causalis & fundamentalis quàm formalis. Vbi quatuor consideranda. Primò, Quòd sit *possessio vitæ.* quo significatur perfectus quidam habendi modus, per quem vita non expectatur, sed tenetur præsens, non habetur in spe, sed reipsa obtinetur. *Vitæ* potiùs possessio quàm existentiæ; tum quia vita est perfectissimum esse, ac proinde in eius possessione meritò ponitur æternitas, quæ est perfectissima duratio: tum quia æternitas à nobis non concipitur nisi comparatione motus; in vita autem apprehenditur motus quidam & actuositas. *Definitio æternitatis.*

Se-

Secundò, *Interminabilis vitæ*; nimirum non solùm in futurum, 2
vt in posterum non possit terminum accipere; sed etiam retrò in præteritum, vt numquam illa vitæ possessio potuerit incepisse. Debet enim vtrimque esse interminabilis, vt sit integra & non dimidiata æternitas. Hinc mundus, Angeli, Sancti & Beati omnes non sunt æterni seu ἀΐδιοι, sed ἀιωνίοι; quia infinitis retrò sæculis non fuerunt, in posterum tamen infinitis sæculis permansuri.

Tertiò, Quòd *hæc possessio sit tota simul*; nimirum quia non ha- 3
bet partem post partem, sed omnem suam extensionem habet collectam in momentum; ita vt omni momento habeat totum simul vnitum, quidquid per infinitos sæculorũ tractus habet extensum. Sicut enim immensitas Dei totam Dei magnitudinem, quæ absque termino in omnem partem diffunditur, colligit in punctum, vt non minus habeat in puncto loci, quàm in spatio immenso: ita æternitas durationem Dei, & (vt ita dixerim) ætatem seu vitam, quæ infinito tempori coëxtenditur, colligit in momentum, ita vt totam possideat in momento. Sicut enim immensitas se habet ad punctum loci, ita æternitas ad punctum temporis: postulat enim æternitas, vt omnis apprehensio, omnis cogitatio, omne consilium, omne iudicium, omnis voluntas, omne decretum, omnis amor, omne gaudium, omnis felicitas, omnis complacentia & displicentia, denique omnes actus intellectus & voluntatis, qui successu temporis infiniti in Deum cadere possent, fuerint in illo, & sint perfectissimè quoad is momento, omnibus retrò sæculis & in posterum futuris designabili. Non ita fit in creatura: nemo omnes cogitationes, omnes affectus, omnia gaudia, omnes voluptates, quas per longi temporis interuallum successiuè habere potest, simul possidet.

Comparatio immensitatis & æternitatis.

Cogita, quanta mens sit Deus, quàm vasta, quàm capax. Finge, 4
per infinitum tempus quotidie ei occurrere nouas veritates, nouas sapientiæ notiones, noua gaudia: quàm infinitus horum esset numerus per infinitum tempus? Iam cogita, illum hæc omnia simul & semel comprehendisse, & possidere ab illo æternitatis nunc, ex quo fuit Deus. Non enim fuit Deus, quin statim simul hæc omnia comprehensa possideret.

Quartò, Quòd *hæc possessio sit perfecta*; nimirum, tum quia pror- 5
sus & ab intrinseco est inamissibilis (quod enim potest amitti, non perfectè possidetur) tum quia complectitur omnes motus vitales, ita vt non solùm possideatur vita interminabilis quoad rei essentiam,

tiam, sed etiam quoad omnia quæ in illa considerantur. Vnde Angeli, etiamsi essent ab æterno, non tamen propriè haberent æternitatem; quia non possident perfectè vitam suam totam simul, sed solùm essentiam & actus beatificos. Ex his patet, æternitatem tria postulare: primò, vt sit duratio: secundò, vt sit immutabilis, seu tota simul: tertiò, vt ab intrinseco, seu ex vi illius esse in quo fundatur, careat principio & fine. Vnde hoc modo breuiter definiri potest: *Est duratio tota simul, ab intrinseco carens principio & fine.*

CAPVT II.

Æternitatem soli Deo propriè conuenire.

6 Ex his quæ Capite superiore dicta sunt, consequens est soli Deo competere propriè æternitatem. Primò, Quia solus initio caret durationis, solus numquam incepit, solus omne tempus & interuallum durationis occupat & ambit. Hinc vocatur *antiquus dierum*, apud Danielem cap. 7. quia (vt Dionysius cap. 10. De diuin. nom. exponit) *ipse est omnium æuum & tempus, ante dies, ante æuum, ante tempus.* quod intellige de omni tempore, etiam comprehensibili à creatura. Parum enim esset, ipsum fuisse ante tempus reale, quod nondum sex annorum millia compleuit; cùm etiam Angeli plurimis sæculis, iuxta Patrum quorumdam sententiam, ante illud tempus fuerint, Deumque laudauerint: sed fuit etiam ante omne tempus imaginabile, quantumuis illud longum concipiatur. Accipe ante conditum mundum tot sæcula quot sunt arenæ in littore maris; Deus iam erat: accipe totidem myriades sæculorum; Deus anteà erat: hunc immensum sæculorum numerum in se multiplica; adhuc Deus infinitis sæculis est antiquior.

Origenes. Greg. Nazianzenus. Basilius. Hilarius. Ambrosius. Hieronym. Damascenus.

7 Dicitur *omnium æuum & tempus*, quia omne æuum ex ipsius duratione pendet, & omne tempus ex ipso fluit, qui æuo & tempori suum esse tribuit & consitinuat. Vnde cap. 5. idem Dionysius ait: Αὐτός ἐστιν ὁ αἰὼν πρὸ αἰώνων, ὁ ὑπάρχων πρὸ αἰώνων. *Ipse est æuum æuorum, existens ante omne æuum.* & paulò antè: Ἀρχὴ καὶ μέτρον αἰώνων, καὶ χρόνων ὀντότης, καὶ αἰὼν πρὸ ὄντων. *Ipse est principium & mensura æuorum, & temporum entitas, & entium æuum.* quæ omnia causaliter intelligenda.

8 Omnis verò creatura initium habet, quia non ex substantia Dei, sed ex nihilo est. Imò secundùm sanctorum Patrum sententiam,

nec æterna retrò esse potest. Docent enim, creaturam suo Conditori non posse esse coæternam. S. Augustinus lib. 12. De ciuitate c. 15. *Tempus quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum. Ac per hoc etiamsi immortalitas Angelorum non transit in tempore, tamen eorum motus quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum transeunt, & ideò Creatori coæterni esse non possunt.*

Augustinus. *Creaturam non posse esse æternam.*

Fulgentius. Fulgentius lib. De fide ad Petrum c. 3. *Hic Deus qui sine initio semper est, quia summè est, dedit rebus à se creatis vt sint, non tamen sine initio: quia nulla creatura eiusdem naturæ est, cuius est Trinitas vnus Deus, à quo creata sunt omnia.* Hic indicat, creaturam non posse carere initio duratiõis, quia non est naturæ diuinæ, sed ex nihilo.

Ambrosius. S. Ambrosius l. 6. Hexaëmeron c. 1. *Quid tam inconueniens, quàm vt æternitatem operis cum Dei omnipotentis coniungeret æternitate?*

Basilius. S. Basilius l. 2. contra Eunomium pag. 8. *Nos autem æternitatem creaturis tribuere, & Creatorem hac confessione priuare, eiusdem amentiæ dicimus.* Ante probauerat Filium esse æternum, hinc infert, non esse creaturam, vt volebat Eunomius. Rationem adfert: Quia sicuti repugnat Creatori non esse æternum; ita creaturæ repugnat esse æternam. Dicit esse eiusdem amentiæ: non quia vtrumque est hæreticum, sed quia vtrumque ex natura rei inuoluit repugnantiam.

Damascenus S. Ioannes Damascenus l. 1. De fide c. 8. distinguens generationem & creationem, dicit, *generationem carere principio temporis, & esse æternam, quia opus est naturæ, & ex substantia Patris procedit. Creatio verò*, inquit, *cùm sit opus diuinæ voluntatis, non est coæterna Deo: quia quod ex non ente ad esse producitur, non est aptum natum esse coæternum ei quod principio caret, & semper est.*

Quidam putant, Damascenum solùm velle dicere, creaturæ non esse necessarium aut connaturale, esse ab æterno. sed praua translatione decipiuntur. Illud enim ἐ πέφυκε, non rectè vertitur, *non est natura comparatum*, vel *natura non postulat*: sed *non potest*, ἐ δύναται. vt passim Argyropylus apud Aristotelem vertit. vnde significat repugnantiam ex natura rei. Simili modo idem Damascenus paulò ante dixerat, quòd diuina natura ἐ πέφυκε ὑπομένειν πάθος ἢ ῥεῦσιν. vbi non vult dicere, ei non esse naturale, sustinere passionem & defluxionem, sed ipsam non esse aptam seu capacem passionis. Ex quibus patet, ex sanctorum Patrum sententia repugnare naturæ creatæ, vt sit coæterna suo Conditori. Et quamuis difficile sit huius rei causam adferre, eò quòd rationem infiniti non satis perspectam

9

ſpectam habeamus: tamen per ſe eſt rationi valdè conſentaneum, ne creatura vlla in re poſſit æquari ſuo Conditori, nec poſſit ei dicere, Ante me non exitiſti: tam antiquus ſum quàm tu, & Filius tuus. Deinde ratio creaturæ videtur inuoluere, vt anteà non fuerit. Hinc Patres Græci definiunt creationem, ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι προαγωγὴν, *ex non ente ad eſſe productionem.*

Creatio quid. Damaſ. l. 1. c. 8. Athanaſ. Orat. 4. contra Arrianos. Baſil. l. 2. contra Eunomium.

10 Et S. Auguſtinus lib. contra Felicianum Arrianum c. 7. ex definitione creaturæ probat Filium non eſſe creaturam. *Creatura*, inquit, *eſt ex eo quod adhuc non eſt, aut aliquando non fuit, rei cuiuſlibet corruptibilis, quantum in ſe eſt, Patris omnipotentis Dei voluntate facta ſubſtantia. Hæc definitio vtrùm in Filium Dei cadat, videamus &c.* Itaque omnes iſti volunt, de ratione creationis & productionis ex nihilo eſſe, vt res producta aliquando non fuerit. Et ſanè ſi Arriani putaſſent creaturam poſſe eſſe Deo coæternam, facilè dixiſſent, Filium eſſe quidem creaturam, ſed creaturam æternam: & ſic amouiſſent à ſe præcipuam ſui erroris inuidiam. Maximè enim offendebat, quòd dicerent, fuiſſe aliquando tempus, nempe imaginarium, quo Filius non erat: idque putabant omnino ſequi ex ſua ſententia, qua ſtatuebant eſſe creaturam. Præterea ſi aliquid fuiſſet à Deo conditum ab æterno, eius creatio non fuiſſet peracta momento, ſed æterno tempore durare debuiſſet; nec Deus potuiſſet rem illam in nihilum redigere, aut influxum ſuum ſubtrahere, niſi poſtquã res illa æterno tempore duraſſet. quod ſanè videtur abſur-
11 dum, nec mens vllo modo poteſt concipere. Denique ſicut creaturæ repugnat immenſitas, per quam coëxtendatur omnibus ſpatiis locorum; cur non etiam æternitas, per quam omnibus ſpatiis temporum? quia par eſt ratio; imò hoc videtur conceptu difficilius.

Nec obſtat, quòd Deus ab æterno habuerit omnem ſuam potentiam, & potuerit habere voluntatem illam liberam creandi; vbi autem adeſt poteſtas & voluntas, ibi quoque ſit effectus. Nam ſimili modo in omni parte ſpatij per totam immenſitatem locorum adeſt illi ſua omnipotentia & voluntas libera, & tamen non poteſt creari aliqua creatura, quæ totum illud immenſum impleat. Cauſa eſt, quia id repugnat naturæ creatæ. Recte tamen conuincit illud argumentum, in quouis momento temporis imaginarij quantumuis hinc retrorſum diſtante, potuiſſe fieri creaturam, & antè: ſicut in quouis puncto loci imaginarij poteſt fieri, & vlteriùs. Et hoc ſufficit ad ipſius omnipotentiam immenſam & æternam aſſerendam.

Secundò illi soli competit propriè æternitas, quia solus ex se vitam habet interminabilem. Omnis creatura ex se potest desinere & in nihilum euanescere; tota ipsius duratio assiduè ex Deo pendet. Deus ex se, id est, non aliunde. ipse enim est prima & fundamentalis vita & duratio, fons omnis vitæ & durationis. Vnde Dionys. cap. 5. De diuin. nominib. in fine: Διὸτι ἐξ αὐτοῦ τὰ ὄντα, καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ μέτρα τῶν ὄντων, καὶ τὰ μετρήματα δι' αὐτοῦ, καὶ ἀπ' αὐτοῦ. *Quare ipsum æuum, & omnia quæ sunt, & mensuræ rerum, & quæ sub mensuras cadunt, per ipsum & ab ipso sunt.* 12

Tertiò, Quia solus totam vitam simul possidet; in creaturis non est tota simul. Etsi enim in Angelis sanctis & Beatis visio beatifica & fruitio tota simul sint, alij tamen actus intellectus & voluntatis, locutiones & auditiones non sunt simul, sed alij aliis in infinitum succedunt. Vnde D. August. lib. 1. Confess. cap. 6. *Summus enim es, & non mutaris, neque peragitur in te hodiernus dies: & tamen in te peragitur, quia in te sunt & ista omnia: non enim haberent vias transeundi, nisi contineres ea. Et quoniam anni tui non deficient, anni tui hodiernus dies: & quàm multi iam dies nostri & patrum nostrorum per hodiernũ tuum transierunt, & ex illo acceperunt modos, & vtcumq; extiterunt, & transibunt adhuc alij, & accipient, & vtcumque existent.* Psal. 101. *Tu autẽ idem ipse es, & omnia crastina atque vltrà, omniaq; hesterna & retrò, hodie facies, hodie fecisti. Quid ad me, si quis non intelligat? gaudeat & ipse, dicens: Quid est hoc? gaudeat etiam sic & amet, non inueniendo inuenire potiùs te, quàm inueniendo non inuenire te.* Hìc per *hodie* intelligit *nunc* æternitatis, quod numquã est crastinum, numquam hesternum, numquam præteritum, numquam futurum; sed semper hodiernum, semper præsens, semper *nunc*, in quo Deus omnia peragit & omnia peregit tam futura quàm præterita. Idem in Psal. 2. explicans illud, *Ego hodie genui te: In æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit; nec futurum, quasi nondum sit.* quare per verbum *hodie* intelligit eo loco æternitatem, quæ tota est simul ac præsens. D. Bernardus Serm. 80. in Cantica: *Tempora sub ea* (natura diuina) *transeunt, non ei; futura non expectat, præterita non recordatur, præsentia non experitur.* 13

Quartò, Quia solus totam vitam suam *perfectè* possidet, tum quia solus *totam simul*, vt dictum est; tum quia possidet illam *per essentiam & à se*, creatura autem per participationem à Deo. Hinc ille integrè & illimitatè vitam habet tamquam totam vitam, & ipsum omnis vitæ fontem possidens: creatura limitatè, & certis 14

ter-

terminis circumscriptam, quasi vitæ quamdam particulam & scintillam. Explicat hoc fusè D. Dionysius cap. 6. De diuinis nominibus.

CAPVT III.

Deum ratione suæ æternitatis esse fundamentum temporis imaginarij infiniti.

15 SICVT Deus per essentiæ suæ infinitatem est fundamentum omnis creaturæ possibilis, & per immensitatem omnis loci & extensionis possibilis; ita per æternitatem fundamentum omnis temporis & durationis successiuè possibilis. Nisi enim illa essent in Deo reipsa, hæc non haberent vllo modo esse obiectiuum & intelligibile: nam etiam in esse obiectiuo habent essentialem dependentiam ab illis perfectionibus diuinis. Ideò enim infinitæ sunt rerum species possibiles, quia essentia diuina per suam infinitatem infinitis modis est communicabilis: ideò spatium immensum est imaginabile, quia diuina essentia per suam immensitatem illud quasi expandit; vel potiùs, quia ipsa est spatium immensum fundamentale, cui aliud scilicet corporeum coëxtendi potest. Denique ideò tempus retrò infinitum cogitari potest, quia æternitas Dei est infinita duratio, cui tempus successiuum infinitum potest coëxtendi (intellige, quantum est ex parte æternitatis) vnde ipsa conceptum obiectiuum temporis infiniti substituit. *Fundamen omnis durationis.*

16 Itaque Deus non solùm est causa existentium, vt actu sunt; sed etiam est fundamentum possibilium & totius esse, speciei, modi, quem singula habent in esse obiectiuo. Quæ sanè consideratio mirificè extollit diuinæ essentiæ maiestatem & magnitudinem infinitam. sic enim ab illa non solùm dependent omnia quæ actu sunt, sed etiam omnia quæ actu non sunt; nec solùm secundùm esse actuale, sed etiam solùm esse possibile & intelligibile, licet diuerso modo. nam secundùm esse actuale pendent à libero eius influxu, ac proinde à libera eius voluntate nulla naturali necessitate: secundùm esse possibile pendent ab eo naturali necessitate ante omne decretum liberum. qua de re plura infrà Libro v. De Omnipotentia.

Hinc vlteriùs fit, vt sicut infinitudo essentiæ non potest concipi à nobis, nisi in ordine ad species rerum possibiles; nec immensitas,

nisi respectu spatij imaginarij possibilis, ita nec æternitas nisi comparatione temporis imaginarij infiniti.

Æternitas longissima est & breuissima.

Ex dictis sequitur primò, Æternitatem simul esse & longissimam & breuissimam. *Longissimam*, virtute & coëxtensione; quia infinitis temporum spatiis se exæquat. *Breuissimam*, quia in puncto temporis habet omnia quæ per infinitum tempus habere potest. Itaque sicut tempus est *nunc volans* (nihil enim de tempore est, nisi ipsum *nunc*, sed illud semper fluit, estque omni momento aliud & aliud) ita æternitas est *nunc stans*. nam in ea omnia sunt simul, & semper in eodem consistunt statu. Sub ipsa volant omnia tempora, & præteruntibus aliis succedunt alia; & omnis creata natura suos accessus & recessus patitur, amissis antiquis noua acquirens. Hinc tempus & temporalia omnia sunt sicut flumen quoddam, æternitas sicut rupes firmissima, sub qua flumen raptim transit: omnes aquæ partes successiuè adlabentes rupem subeunt, & transeunt, nec vmquam redeunt; rupes autem semper eodem loco manet. Sic omnia temporalia alia post alia succedunt & transeunt sub æternitate, numquam reditura vt rursus fluant. Est enim æternitas similis puncto, circa quod describitur circulus: sicut enim punctum illud respondet toti circumferentiæ, & singulis eius punctis, ita æternitas respondet & assistit toti tempori, & singulis eius momentis. 17

Temporalia sunt instar fluminis, æternitas instar rupis.

Est similis puncto in circulo, & centro in medio circulari.

Efficit bonum infinitè melius, & malum infinitè peius.

Sequitur secundò, Æternitatem omne bonum, quod affecerit, efficere infinitè melius, idque dupliciter: Primò, Ratione durationis; quia tribuit ei durationem infinitam, atque adeò infinitum esse. Esse autem eò melius est, quò maius, siue intensiuè maius sit, vt cùm res in se est perfectior; siue extensiuè, vt cùm diffunditur per subiectum maius, vel per maius tempus. quæ ergo infinitè durat, infinitè melior est. Exemplum: Voluptas vnius diei magnum bonum est, magnique penditur; voluptas vnius hebdomadæ, pluris penditur; vnius anni, pluris; centum annorum, longè, pluris; 1000. in decuplum pluris; & sic deinceps, quò diutiùs durat, eò æstimatur amplius. ergo quæ durat infinitè, infinitè pluris æstimabitur. Idem dicendum de gloria, diuitiis, pulchritudine, ceterisque bonis. contrarium accidit in pœnis: æternitas enim pœnam facit infinitè peiorem & molestiorem. Secundò, Ratione collectionis illius boni; quia totum commodum, quod res illa infinito tempore successiuè adferre potest, colligit in vnum, & simul conferri, percipi ac gustari facit: vt si tota voluptas, quam lautum 18

tum conuiuium per partes & successiuè adferre potest tempore infinito, colligeretur in vnum, & tota simul æterno tempori tribueretur, esset infinitò melior & maioris æstimationis. Simili modo æternitas in malis, nempe in pœnis, colligit illas quodam modo in vnum, & simul sentiri facit. etsi enim simul non existant, tamen facit simul apprehendi, & sic infinitum quemdam dolorem animo inurit.

CAPVT IV.

De fructu qui ex consideratione æternitatis percipitur.

19 QVADRVPLEX potissimùm fructus nobis hinc colligendus. Primus est, Incomprehensibile quoddam gaudium beneuolentiæ & congratulationis in Deum, ex prædictorum perpensione nascitur. Cùm enim omnia ipsius bona, quæ per se infinitæ sunt perfectionis intensiuæ, etiam æternitate intimè veluti imbuta cogitamus; consideramus in illis nouam quamdam infinitatem, eamque geminam. Vnde triplicem in illis contemplamur infinitatem: Primam, ratione perfectionis intensiuæ: Secundam, ratione durationis infinitis tum retrò, tùm in futurum sæculis: Tertiam, ratione collectionis in vnum; quia æternitas totum commodum quod infinito tempore successiuè ex aliquo bono percipi po- 20 test, colligit in vnum. Hac ergo triplici ratione gaudendum nobis est, & congratulandum Deo nostro de quouis ipsius bono, tum essentiali, tum personali. Gratulandum Patri, quòd sit fons Diuinitatis & processionum diuinarum; quòd talem & tantum genuit Filium, quòd immensum spirauerit amorem: quòd hos produxerit non à 100. vel 1000. annis, sed ex omni æternitate: quòd in omnem æternitatem producat. Filio, quòd tanti Patris sit Filius; quòd omnium Patris bonorum in solidum particeps; quòd vnà cum Patre sit fons Spiritus sancti; quòd hæc bona habeat ex omni æternitate in omnem æternitatem; quòd non successiuè, non partitè, sed tota simul completissimè. Pari ratione gratulandum Spiritui sancto. Denique simul gratulandum omnibus & singulis diuinis personis, quòd bono fruantur infinito, quòd eo fruantur ex omni æternitate in omnem æternitatem, quòd totum gaudium simul percipiant & sentiant, quod per totam æternitatem successiuè sentiri posset. *Gaudium & gratulatio.*

Secun-

Secundus est, Maximum gaudium concupiscentiæ, nimirum 21
quod ex tanti boni certa & cita expectatione nascitur. Cùm enim
consideramus, totum illud bonum Dei æternum, nostrum esse,
nobis promissum, & à nobis in æternum & totum simul possiden-
dum; non possumus non maximo gaudio affici. Si enim dilectores
mundi de istis infimis & momentaneis bonis ex inopinato oblatis,
sæpè ita gaudent, vt vix se capiant; quantum nobis gaudendum de
bonis summis, infinitis, & sempiternis, quorum suauitas tota simul
percipietur? Et quamuis non fuerimus ab æterno, tamen possiden-
tes Deum, fruemur in eo etiam æternitate, quatenus infinitis retrò
sæculis extitit, mente nos retrorsum & antrorsum extendentes;
sicut & tota immensitate fruemur, in immensum illud pelagus
nos immergentes. Vnus enim spiritus erimus cum Deo. Sensum
igitur & gustum habebimus diuinorum, sicut & ipse Deus habet,
etsi dispari gradu. Ibi possidebimus diuitias infinitas, non decem,
centum, vel mille annis, sed infinitis sæculis; non sensim & suc-
cessim commoda & oblectationem earum percipientes, vt fit in
hoc mundo; sed affatim, accumulatim, & omnibus simul fruentes.

Triplex æstimatio in bonis quibus fruemur in futura vita.

Itaque triplicem habebunt æstimationem, & tripliciter infinitam. 22
primò, ratione obiecti, seu bonorum ipsorum: secundò, ratione du-
rationis æternæ in possidendo & fruendo: tertiò, ratione collectio-
nis in vnum; quia totum commodum quod æterno tempore ex il-
lis percipi potest, simul collectum & cumulatum erit in vnum.

Tertius est, Maximus timor æternæ damnationis; quia in hac est 23
infiniti & æterni illius boni iactura, & summi æternique tormenti
perpessio. Nullum malum pœnale maius, grauius, acerbius animo
concipi potest. Nulla enim iactura comparari potest cum iactura
boni infiniti & æterni, quod in æternum erat possidendum. Nul-
lum sensuum tormentum conferri potest cum tormento ignis in
æternum duraturo. His accedit æternus carcer, æternæ tenebræ,
æterna sitis, æternus vermis, æternus fœtor, æternus horror, æter-
nus luctus, æterna comploratio, & quidquid malorum cogitari
potest, ibi erit, & æternum erit. Quis æternitatem in istis omnibus
considerans non exhorrescat? Quis mundi vanitatem, diuitias, vo-
luptates, honores ad momentum captare velit, cum tanto æterno-
rum malorum periculo? Ponamus mala ista solùm mille annos
duratura; nihilominùs ingens esset fatuitas, pro momentaneis &
infimis rebus, pro modica & breui voluptate, periculo tanti & tot
annorum tormenti se exponere. Quantò ergo maior erit fatuitas,
si cen-

Æternitas in pœnis.

si centum millium annorum pœna foret? Quanta si centuplo diuturnior? & sic deinceps sine termino, quò productior statuetur pœna, maior quoque censebitur fatuitas, eius periculo se obiicere. Cùm ergo certissimum sit, pœnas istas omnes fore sempiternas, necesse est, infinita quadam amentia & fatuitate teneri eos, qui futurorum securi, quotidiè peccata peccatis adiiciunt, & certissimo æternæ damnationis periculo se exponunt. Nullam ego animo concipere possum maiorem fatuitatem, nullam pernicioſiorem insaniam, qua tamen illi sponte tenentur: quia si vellent parumper considerare quid sit æternitas, facilè ea liberarentur, & ad sanitatem redirent. Neque ad hoc opus est totius æternitatis sublimis consideratio; sed dimidiatæ dumtaxat, quæ in futurum extenditur, popularis & attenta cogitatio. Hæc enim æternitas, etsi dimidiata, tamen tanta est, vt nulla sæculorum multitudo quidquam ad illam sit aliud quàm momentum. Constitue montem arenarum qui impleat totum orbem, vnde singulis sæculis vna tollatur arenula; quot sæculorum myriadibus opus erit vt totus absumatur? quis hoc numeret aut animo comprehendat? & tamen cùm totus fuerit post innumera sæcula consumptus, nihil detractum æternitati, sed solùm erit initium, sicut antè. Denique post omnia sæcula imaginabilia & comprehensibilia ab homine, vel ab Angelo, nihil ademptum erit æternitati, sed semper erit initium. Hæc cogitatio quotidie nobis animo versanda; quia nulla ad omnes tentationes vincendas, ac pericula peccatorum cauenda potentior, nulla efficacior. Vnde monet Sapiens Ecclesiastici 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua* (æternitatem pœnarum & præmiorum) *& in æternum non peccabis*. Tantum enim timorem homini incutit, vt omne peccatum mortiferum tamquam summum malum, vtpote summi mali certissimam causam, summè detestetur ac fugiat.

Fatuitas omnium maxima.

24

Quartus est, Contemptus huius mundi. Qui enim æterna considerat, clarè videt quàm parui & nullius momenti sint omnia temporalia, si cum æternis comparentur. Nam quidquid transit, hoc ipso quo desijt, perinde est ac si numquam fuerit. Fruatur quis omnibus mundi voluptatibus, omnibus honoribus, omni gloria, omni imperio plurimis annis: priuetur posteà istis omnibus, nihil habebit ex omnibus commodi, nihil restabit illi nisi mœror, & tristis memoria se bonis istis omnibus orbatum esse, quæ eò erit acerbior, quò bona illa visa sunt illi dulciora. quò enim suauior est pos-

Contemptus temporaliũ.

25

sessio, hoc amarior est amissio; vt vel ob hanc vnicam causam, etsi alia non subesset, temporalia sint contemnenda. Quod verò æternum est, numquam amittitur, numquam amitti potest. vnde est infinities melius & optabilius re temporali, etsi aliam præ illa excellentiam non haberet. Accedit, quòd temporalia non simul sua commoda adferant, sed sensim; priore enim commodo euanescente succedit aliud: bona æterna simul sua commoda præstant. Vnde & hac ratione temporalia ab æternis infinitè superantur.

CAPVT V.

Recollectio de Æternitate.

Psal. 89. PRIVSQVAM *montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à sæculo vsque in sæculum tu es Deus.* Tu enim principium & artifex omnium; vnde & ante omnia. Non naturæ aliqua necessitate impulsus hanc rerum vniuersitatem, hoc magnum palatium cum incolis & opibus suis effudisti (sicut sol lumen effundit) vt opus tuum tibi coæternum esse possit: sed liberrima voluntate, vt summus artifex, finxisti & ædificasti. Antiquior ergo es opere isto, quod nondum sex annorum millibus constitit. Sed quot, obsecro, sæculis antiquior? neque illud omnino absurdè quæritur, quasi ante hunc mundum sæcula nulla fuerint, in quibus tu existeres, & bonis tuis fruereris. 26

Etsi enim ante cæli & terræ conditionem, solis & lunæ conuersiones, quæ nostros dies, menses & annos metiuntur, ex quibus quantæ sint rerum nostrarum minutæ durationes cognoscimus, non fuerint; dubium tamen non est (nisi de vocibus contendere velimus) quin durationes & spatia aliqua fuerint quasi dierum, mensium, annorum, & sæculorum, sub quibus isti motus extendi & transigi potuisset, si tunc extitissent: sicut nec modò, absoluto mundi huius curriculo, cessantibus cælorum motibus, durationes omnes & spatia temporum abolebuntur. Capiamus ergo retrò ante conditum orbem, centum millia sæculorum; iam tunc eras Deus. Capiamus totidem sæculorum milliones; iam ibi eras, æquè magnus, æquè potens, æquè sapiens, æquè beatus. Denique sine fine maiorem & maiorem sæculorum numerum retrorsum mens concipiat; & inueniet te cum omnibus bonis & gaudiis tuis infinitis sæculis adhuc priorem & antiquiorem. 27

Tu

28 Tu enim es hypostasis,& principium, & mensura omnium sæculorum;tua æternitate prior omnibus sæculis & superior,sub quo omnia voluuntur sæcula. Sicut enim tua immensitate extendis, ambis, & contines omnia spatia locorum: ita tua æternitate anticipas, protendis,& ambis omnes durationes & moras temporum, tamquam omnium radix & origo. Sub te omnia inchoantur principia, omnes accedunt profectus, omnis transigitur vita, omnes procurrunt motiones,omnis perstat existentia, omnes proueniunt termini,omnes clauduntur fines.

29 O æternitas, omnis boni primæua & interminabilis complexio; omnis vitæ insenescibilis tota simul & perfecta possessio; omnis beatitatis sine principio & fine superpleniſſima fruitio! Tibi nihil præteritum, nihil futurum; tibi nulla accessio, nulla decessio fieri potest. Nam altitudine tui *nunc*, quod infinitum tempus ambit, omnia simul colligis; in illo omnia tenens præsentia,vt nec fugere possint in præteritum, nec de nouo in futurum aduenire. Omnia enim præsentia, præterita & futura præcipis & anticipas; & tibi iam præsentia erant priusquam futurorum notionem haberent. Etsi enim quæcumque aliquando futura sunt, ab æterno futura fuerint; nisi tamen ea sciuisses, & vel facere vel permittere voluisses,ab æterno non futura fuissent.

30 In tuo *nunc* omnia semel constituta & decreta; omne consilium de omnibus captum & conclusum. Nihil de nouo restat deliberandum, nihil non plenissimè expensum: omnia definita & decisa, quæ vel fient vmquam, vel non fient. Ibi quoque & nos numerati & appensi sumus, & librata sunt omnia opera nostra. Ibi nobis pœna vel gloria æterna præparata: ibi vel regnamus cum Sanctis omnibus in gloria, vel incendiis inferorum cum impiis & dæmonibus ardemus. Æternitas præscientiæ & decretorum tuorum anticipat omnia: & quidquid vmquam in tempore futurum est,ibi iam factum est.

31 O æternitas! abyssus gaudij Sanctis, abyssus miseriarum & dolorum impiis! Sicut enim omne bonum facis infinitè melius & optabilius, ita omne malum efficis infinitè peius & molestius. Quæ mens magnitudinem tuam capere, quod robur animi pondus tuum sustinere queat? Tu omnem superbiam retundis, omnem duritiem frangis, omnem animositatem reprimis, omnes peccatores perturbas,omnes pios in afflictione recreas,& ineffabili gaudio perfundis. *Momentaneum enim & leue tribulationis huius*, 2. ad Cor. 4.

supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Pro *momentaneo malo* rependetur æternum bonum; pro *leui tribulatione*, pondus gloriæ immensum; pro *afflictione terrena*, gloria in sublimitate. Væ miseris peccatoribus, qui momentaneum & leue huius vitæ solatium, æterno illi gloriæ ponderi anteponunt: qui æternum malunt subire supplicium, quàm momentaneo huius vitæ carere commodo: qui terrena ista præferunt cælestibus, infima sublimissimis, momentanea sempiternis.

O æternitas! tu semper menti meæ obuerseris, tu intimis mihi 32
sensibus inhæreas, tu omnium mearum actionum & totius vitæ sis regula. Omnia temporalia, siue bona siue mala, præ te contemnam & nihili ducam. Tu mihi in omni afflictione sis solatium, & in omni tentatione præsidium, & in omni prosperitate monitorium. Tibi verò προαιωνίῳ & διαιωνοτόκῳ principio, quod omni principio antiquius, tibi æuorum parenti, sæculorum Regi, temporum dispensatori, ætatum prouectori, omnis permansionis & durationis basi, & beatæ æternitatis largitori, omnis honor & gloria in omnem æternitatem, Amen.

DE

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER QVINTVS, DE OMNIPOTENTIA DEI.

SVPERIORIBVS quatuor Libris breuiter actum est de quatuor perfectionibus diuinis quæ circa ipsam essentiam instar modorum concipiuntur: sequitur nunc vt agamus de illis quę concipiuntur instar qualitatum, nec tamen inuoluunt respectum ad creaturas vt existentes; quales sunt maximè istæ quatuor, Potentia, Sapientia, Bonitas seu Perfectio, & Sanctitas, de quibus agemus quatuor Libris sequentibus.

CAPVT PRIMVM.

Deum esse omnipotentem.

1 OMNIPOTENTIA Dei plurimis locis traditur à Scriptura diuina. nam plusquam 70. locis vocatur *omnipotens*. Idem multis aliis locis disertè asseritur, vt Matth. 19. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Marci 10. *Omnia possibilia sunt apud Deum.* & c. 14. *Pater, omnia tibi possibilia sunt.* Luc. 1. *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Idem patet ex Symbolo: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem,*

tentem, creatorem cæli & terræ. Estque hic articulus fundamentum nostræ Religionis, cùm præcipua eius dogmata eo nitantur, vt dogma de creatione mundi, de eiusdem conseruatione & gubernatione, mysterium Incarnationis, Eucharistiæ, Resurrectionis, Visionis beatificæ, & similia.

Idem colligi potest ratione. Primò, Ex eo quòd totum hoc vni- 2
uersum omnia rerum genera complectens fecerit. Vnde euidenter patet, illum alia similia sine fine efficere posse. sicuti pictor, qui vnam formam potest excellentissimè depingere, potest etiam quasuis alias quas animo complecti potest: & architectus, qui vnam palatij ideam potest animo concipere, & opere exhibere, potest etiam alias quasuis.

Secundò, Ex modo faciendi, tum ex parte actionis, tum ex parte termini. Ex parte actionis; quia summa facilitate, nimirum solo verbo & iussu. *Ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* nihil facilius verbo. Hæc summa facilitas, signum est summæ potentiæ, ac proinde omnipotentiæ. Ex parte termini; quia ex nulla materia, sed ex nihilo: quod numquam Philosophi potuerunt vel animo concipere. quare & ex hac parte, eius potentia limite caret. Ex parte enim formæ, res in infinitum multiplicari possunt: vt si architectus posset extruere domos sine materia, vel ipsam materiam primitus excitare, nullus posset eius arti statui terminus: nam sine fine plures & plures domos posset extruere. Quòd enim plures nequeant fieri, defectu materiæ prouenit. Est igitur hoc signum euidens omnipotentiæ. Nec enim maior fingi potest, quàm quæ totum ex nihilo facit. Confirmatur, Quia quò res longiùs distat ab esse, eò maiore opus est potentia vt trahatur ad esse: atqui longissimè distat ab esse, quod non latet in potentia materiæ, sed in puro nihilo, solaque potentia obiectiua; ergo opus est maxima potentia, quæ sola est omnipotentia. Psal. 148.

Tertiò colligitur ex infinitate essentiæ: potentia enim sequitur 3
essentiam. Nam vel est ipsa rei essentia, considerata vt est effectiua; vel quiddam sequens essentiam per modum naturalis proprietatis. Ergo cùm essentia sit penitus infinita, potentia quoque omnino infinita erit: sunt enim hæc inter se commensa.

Quartò, Ex participabilitate essentiæ. tanta enim est potentia, quanta est essentia in ratione participabilis ad extra: sed essentia infinitis modis est participabilis seu imitabilis, idque secundùm singulos gradus rerum, qui sunt, esse, viuere, sentire, intelligere. ergo

poten-

potentia est infinita. Vide S. Thomam l. 2. contra Gentes c. 22. vbi similes aliquot rationes eleganter adducit.

Quintò, Ex ratione sapientiæ. quia tanta est potentia, quanta est sapientia. Quidquid enim per suam sapientiam potest concipere vt operabile, per suam potentiam potest efficere. sicut perfectus pictor, quidquid potest imaginari, potest exterius depingere. Atqui infinitas rationes, & species rerum infinita illa sapientia concipit: ergo potest omnes illas producere.

CAPVT II.

Quædam consectaria Omnipotentiæ diuinæ.

4 Ex his sequitur primò, Deum posse omnia efficere per seipsum, quæ potest per creaturas. Omnes enim vires & facultates quæ sunt in creaturis, sunt ab ipso, & in ipso eminenter existunt. Cùm igitur ipsius potentia omnem creaturæ potentiam eminenter contineat; omnia potest, quæ omnis creatura potest, idque modo longè perfectiore. *Deus potest per se facere quidquid per creaturas.*

5 Sequitur secundò, Cùm Deus dicitur *omnipotens*, & *omnia posse*, &c. τὸ *omnia* non solùm designare ea quæ sunt reipsa, aut quæ ab his fieri possunt; sed omnia absolutè, quorum conceptui non repugnat esse; qualia sunt omnia, non solùm quæ à mente humana & Angelica, sed etiam quæ ab ipsa Dei sapientia infinita concipi possunt. At hæc quàm sunt infinita? quàm mirabilia & exotica, & omnem captum mentis humanæ & Angelicæ excedentia? Quàm mira & multa sine termino fingit mens humana? quantò mirabiliora & peregriniora, & plura mens Angelica? sed in infinitum magis miranda & plura mens diuina? Hæc omnia solo verbo, solo nutu potest in opus explicare, & foris reipsa repræsentare. Sicut enim diuina sapientia est regula diuinæ potentiæ, ita etiam nullus alius limes ei statui potest. Confirmari hæc possunt ex illo dicto Angeli, Lucæ 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*; id est, nulla res quæ animo concipi queat, aut verbo exprimi, vt Doctores passim exponunt. Vnde certissima & ab omnibus recepta sententia est, eaque fide tenenda, vel fidei proxima, *Deum posse quidquid non inuoluit contradictionem.* id est, quidquid non includit non esse simul cum esse. *Non esse* enim formaliter tollit *esse*, ac proinde simul cum illo stare non potest: idque adeò est *Potest omnia facere quæ ipsius sapientia potest extra se concipere.*

cui-

euidens, vt sit principium omnis ratiocinationis, in quod omnis ratio omnisque disputatio vltimò resoluitur, vt in Metaphysica traditur. Omne igitur conceptibile potest Deus, tam negatiuum quàm positiuum; sed negationem & positionem eiusdem simul connectere non potest: quia hæc essentialiter se mutuò tollunt.

Potest alia facere.

Sequitur tertiò, Deum præter ea quæ reipsa fecit, posse facere alia sine fine. Primò, Potest facere alios mundos innumerabiles similes & æquales huic mundo. at quanta res est mundus iste, quàm immensa? quantus terræ circuitus & profunditas? quanta latitudo maris & aquarum copia? quanta vastitas aëris? quanta cælestium corporum amplitudo? Terra secundùm veriorem sententiam Geographiorum continet in ambitu milliaria 19080. vnde profunditas vsque ad centrum est milliarium plusquam trium millium. Cælum lunæ, vt tradunt Astronomi, distat à terræ centro milliaribus 120630. cælum solis plusquã quatuor millionibus: stellæ fixæ plusquam 80. millionibus milliarium. tanta etiam ab his dicitur esse cæli octaui spissitudo. vnde conuexum eiusdem cæli distat à terra plusquam 160. millionibus milliarium. Milliare voco 1000. passus, id est spatium quinque millium pedum. Quanta tunc & quàm incomprehensibilis illorum pernicitas? Sol singulis horis conficit plusquam 1160000. milliaria, id est, vndecies centena millia, & sexaginta millia, vel vt Arithmetico more loquar, vnum millionem, & centum sexaginta millia milliarium: qui etiam maior tota terra dicitur 166. Stellæ circa Æquinoctialem, vt quæ in cingulo Orionis, singulis horis plusquam 42. milliones percurrunt. quis tantam velocitatem animo conçipiat? Nam tanta est hæc velocitas, vt per eam intra spatium Salutationis Angelicæ septies terra circuiri posset. Vnde sequitur, si aliqua stella (quarum minima adspectu notabilis, maior est tota terrã decuplo octuplo) in aëre tanto impetu moueretur, vniuersas vrbes & domos mox dissipatum iri, imò totum mare & montes radicitus euulsos in puluerem soluendos & accendendos, non valentes tantam vim & distractionem perferre. Supra istos cælos sunt tres alij (posteriores Astronomi ex quadruplici motu Firmamenti quatuor statuunt) nimirum Crystallinum, Primum mobile, & Empyreum, quod est sedes Beatorum, quod secundùm Astronomos multò longiùs abest à Firmamento, quàm Firmamentum à terra. Quis ista considerans non obstupescat? & tamen has tam immensas moles Deus vno verbo fecit & formauit, & continet in natura, & ita velociter currere

Vide Clauiũ in Sphæram.

6

rere iussit: & eadem facilitate posset plures mundos & huic æquales condere. Non opus erat istis maiora considerare ad omnipotentiam Dei percipiendam, cùm nec ista mens capere queat: nihilominùs potest Deus longè maiora. Itaque

7 Secundò, Potest alios mundos maiores isto condere, seruata proportione singularum partium, idque sine termino: verbi gratia, vt singulæ partes sint centuplo vel millecuplo maiores partibus huius mundi, terra terrâ, mare mari, sol sole, cælum cælo; idque in quauis alia proportione sine fine. Vnde tota mundi huius machina ad potentiam Dei est instar paruæ pilæ: potest enim Deus facere mundum adeò magnum, vt totus hic mundus ad illum comparatus sit instar grani milij, & in illo tantam multitudinem Angelorum, vt hic numerus Angelorum qui modò existit, sit instar pugilli ad arenam maris. *Potest alios hoc mundo maiores.*

8 Tertiò, Potest etiam facere alios mundos specie ab hoc distinctos, & præstantiores; idque sine termino. similiter Angelos specie distinctos, & præstantiores. De Angelis est ferè communis sententia DD. De mundi partibus est eadem ratio. sicut enim in spiritibus sunt gradus infiniti, cur non similiter sint in corporibus? Constat sanè esse gradus in corporibus: nam aqua præstantior est terrâ, & aër est præstantior aquâ; & inter cælos est ordo naturalis dignitatis. Quis dicat hunc ordinem sistere in supremo cælo, nec posse corpus præstantius à Deo fieri? aut non posse fieri elementa alia nostris analoga? Nullo modo dubitandum est, quin in thesauris diuinæ sapientiæ lateant & alia elementa, & alij cæli nostris analogi & præstantiores. cuius etiam signum est tanta diuersitas terrarum, liquorum, vaporum vel spirituum nostra elementa æmulantium, quæ tamen inter se specie differunt. Idem dicendum de corporibus mixtis, metallis, lapidibus, gemmis, plantis, animalibus. Quidquid autem latet in sapientia, etiam latet in potentia: quidquid enim potest concipere, potest & facere. Vnde non fecit hunc mundum & cetera quæ in ipso sunt, quasi nihil posset præstantius aut maius, sed quia hic sufficiebat ad finem sibi propositum, qui est declarare potentiam, sapientiam, & bonitatem suam; quod hic mundus tamquam specimen eximium diuinæ artis & potentiæ satis præstat. Tale enim opus tam varium, tam immensum, & in omnibus partibus suis absolutum, non potuit fieri nisi à potentia, sapientia, & benignitate infinita. Sicut pictor vel architectus, qui etsi infinita possint opera facere, tamen suffi-

Potest alios mundos specie distinctos

cienter artem suam declarant in vno aliquo magno opere, si illud faciant excellentissimo modo, quo intra suam speciem fieri potest.

Infinita individua. Replicationes infinitæ.

Quartò, Potest sub singulis speciebus infinita individua, & rursus singula individua replicare infinities, id est, sine vllo termino. Itaque ex vno homine potest facere maximum exercitum, implere omnia regna & vrbes omnes, ex vno pisce implere totum mare, & flumina omnia; ex vna arbore omnia siluarum spatia, omnesque montes vestire. 9

Modus existendi spiritalis.

Quintò, Potest corporibus dare modum existendi incorporalem & inuisibilem, vt ex augustissimo Eucharistiæ mysterio constat. Itaque cælum, terram, maria cum omnibus insulis, regnis, oppidis, populis, atque adeò totum mundum potest ponere in grano milij absque vlla partium imminutione, perturbatione, aut offensione. Deficit mens ista perpendens, nec tantam sustinere potest diuinæ potentiæ maiestatem.

Possibilitas intrinseca rerum.

Sequitur quartò, In obiecto omnipotentiæ diuinæ duplicem 10
considerari posse possibilitatem: intrinsecam & extrinsecam, remotam & propinquam. *Intrinseca possibilitas* est aptitudo ipsius rei, seu non-repugnantia ad existendum. Eadem dici potest possibilitas remota. ratione enim huius dicitur res possibilis, etiamsi non consideretur vlla potentia qua possit produci: sicut color est in se visibilis, etiamsi nullus sit visus qui possit illum videre. Hanc possibilitatem habet res quodammodò à Deo, non quidem per actionem aliquam liberam vel necessariam, qua Deus rem illam in esse possibili producat (esse enim possibile quà tale, non potest esse terminus productionis, nec potest habere causam effectiuam) sed habet eam à Deo tamquam à causa quasi exemplari. Essentia enim diuina, quatenus est tali modo imitabilis & communicabilis, est ratio per modum radicalis ideæ, cur humana natura sit possibilis, & habeat tale esse obiectiuum & potentiale. Idem censendum de reliquis omnibus possibilibus. Itaque ipsa essentia est prima radix omnis esse obiectiui, & possibilitatis intrinsecæ omnium possibilium: & omne esse obiectiuum possibilium pendet ab essentia diuina tamquam à prima & originali omnium idea, à qua singula suam speciem & rationem conceptibilem in suo gradu & ordine variè limitatum habent, modo iam explicato.

Pendet ab essentia diuina

Possibilitas extrinseca.

Possibilitas extrinseca est, quam res habent ratione omnipotentiæ diuinæ, per quam possunt produci, & accipere esse actu. *Extrinsecam* voco, quia non concipitur vt quid intrinsecum rebus, 11

sed

sed vt denominatio extrinseca à potentia diuina. Eadem dici potest possibilitas propinqua: quia posita diuina potentia, res statim potest fieri, nec aliquid aliud ad eius productionem requiritur, quàm voluntas producentis.

Itaque omnia possibilia continentur in essentia diuina tamquam in originali radice, & quasi in exemplari, virtuali, & radicali: in sapientia tamquam in exemplari formali, in quo etiam existunt obiectiuè modo perfectissimo & illustrissimo: magis enim ibi fulgent, quàm in suis naturis creatis. In potentia, tamquam in causa effectrice. Etsi enim hæc non distinguantur ex parte rei: tamen vt à nobis concipi possunt, necessariò illa distinguimus, & conceptibus distinctis apprehendimus.

Ex his considerationibus patet, quanta sit diuinæ potentiæ magnitudo & amplitudo, cùm se extendat ad omnia quæ sapientia diuina extra se potest concipere: quæ eadem omnia in ipsa essentiæ infinitate eminenter continentur.

CAPVT III.

Quis fructus huius considerationis.

12 Ex horum consideratione sequuntur tres potissimùm in nobis affectus. Primò, Maximæ cuiusdam reuerentiæ & submissionis. vnde Apost. Petrus Epist. 1. c. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.* Quis enim cogitans suam imbecillitatem & illius omnipotentiam, non submittat se illi in omnibus, tamquam habenti in nos summum ius & summam potestatem? Sit quis maximæ sapientiæ & sanctitatis, & reliquis omnibus perfectionibus ornatus; si tamen in nos nihil iuris aut potestatis habeat, non magnopere illum curamus, aut eius reuerentia mouemur: si autem summam simul in nos habeat potestatem, & pro arbitrio possit de nobis disponere, etiamsi multis aliis ornamentis careat; summam tamen submissionem & reuerentiam ei exhibemus. Exemplo sunt qui agunt cum maximis Principibus: quanta reuerentia & submissione se gerunt coram illis? Itaque consideratio diuinæ potentiæ hunc affectũ excitat quàm maximè. *Triplex ex his affectus. Reuerentia.*

13 Secundò, Excitat affectum timoris. Vnde Scriptura passim commemorat diuinam potentiam eiusque stupenda opera, vt homines ad timorem excitet. & Dominus Luc. 12. *Dico autem vobis amicis* *Timor.*

amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Vbi ter repetit hunc timendum, idque cum noua asseueratione *Ita*, Græcè ναὶ, id est, certè, profectò; indicans quantopere Deus sit timendus ratione illius potestatis. Et sanè quis non timeat eum, qui tantam pœnam potest irrogare, & æterno tempore continuare? Intolerabilis & incomprehensibilis est pœna ignis, quam vel ob vnicum peccatum mortiferum infligit; sed hanc potest sine termino augere, pro numero & magnitudine peccatorum quæ quisque admisit. Vnde potest esse tanta, vt omnis pœna ignis huius vitæ (etiamsi quis in maximo rogo, vel in ardentissima fornace nudus iaceret) mitis, blanda, imò ludus & iocus ad illam habeatur. Itaque si is qui habet vnum peccatum mortale, punitur pœna ignis, vt ex Scripturis constat; quanta erit pœna eorum qui 100. qui 1000. qui decem aut centum millia peccatorum mortiferorum habebunt? talis enim est proportio pœnarum, qualis est culparum. sicut & in præmiis ea erit proportio præmiorum, quæ meritorum. Si ergo tuæ culpæ excedunt culpas alterius in centuplum; centuplo quoque erit grauior pœna tua: iuxta illud Apocal. 18. *Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum.*

Fiducia. Tertiò, Excitat affectum fiduciæ. Si enim omnipotens nobis assistit, qui omnium causarum creatarum, omnium hominum & dæmonum continet habenas, ita vt nec in minimum motum possint absque eius nutu emicare; cur timeamus aliquam creaturam? Nihil enim nobis potest inferre incommodi, nisi ipse annuerit: non annuet, nisi id nobis possit esse vtile ad vitam æternam. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, vt ait Apost. ad Rom. 8. Deinde, cur non libentissimè feramus id quod ipse vult nos ferre? hac cogitatione armatus B. Franciscus Xauerius, securus stabat inter gladios & fremitus Barbarorum. Ad eamdem fiduciam excitat nos Dominus Matth. 6. v. 25. vsque ad finem. & Luc. 12. v. 6. *Nónne quinque passeres veneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos.* Ad timorē quoque & fiduciam ex consideratione potentiæ diuinæ pulcherrimè nos excitat Psal. 32. *Exultate iusti in Domino. rectos decet collaudatio.* & cetera quæ sequuntur vsque ad finem. 14

CA-

CAPVT IV.

Recollectio precatoria, de Omnipotentia.

15 O Adorandam, tremendam, & religioso silentio venerandam omnipotentiam tuam, Domine Rex sæculorum, qui omnia per te potes, quidquid possunt omnes creaturæ tuæ; à quo omnis potentia, omnis vis, omnis energia rerum omnium est instituta & dependens; qui omnia ex nihilo solo verbo condidisti, & condita eodem substantifico influxu conseruas, ex omnipotentiæ tuæ manu ea veluti suspensa tenens, ne in suum nihilum relabantur; coram quo totus mundus est instar pilæ modicæ, & omnes Gentes instar stillæ roris antelucani. Qui reipsa potes efficere & præstare, non solùm quidquid omnes homines & Angeli animo concipere, sed etiam quidquid sapientia tua infinita potest excogitare: par enim est potentia tua sapientiæ tuæ, & æquè latè se extendunt & diffundunt; cùm hæc sola sit illius regula & mensura. quam enim aliam habeat mensuram potestas immensa, nisi immensam? Inde non minùs ea tenes & possides quæ non sunt actu in esse producta, quàm quæ esse & speciem exteriùs acceperunt. Delitescunt enim in thesauris potentiæ & sapientiæ tuæ, & ad minimum nutũ tuum in esse foras prosilient, & dicent, Adsumus ad obsequiũ tuum. Non indiges laudibus & obsequiis nostris: si enim velis, infiniti tibi mox suppetent famuli, qui incomparabiliter te meliùs colant, & omni laude celebrent.

Ad Heb. 1, 3
Isa. 40, 12.
Sap. 11, 23.
Lucæ 1, 37.
Baruch 3, 34

16 Infere animo meo profundissimam reuerentiã & humilitatem in consideratione tantæ potentiæ tuæ: tu enim de me & de omni creatura tua potes disponere & statuere pro arbitrio tuo; nec quisquam tibi potest dicere, Cur sic facis? tua enim sunt omnia, & opera manuum tuarum. Semper te mihi præsentem cogitem, & extenta manu omnipotentiæ tuæ, æternæ damnationis fulmen minitantem, si sanctissimas Leges tuas violauero. Adde etiã fiduciam & securitatem cordi meo in te, vt neminem timeam præter te, nec vlla creatura me à charitate tua abstrahere valeat. Quid enim sunt cetera omnia coram te, aut quid mihi absque tuo nutu possunt nocere? Quòd si ab aliquo me affligi permiseris, hoc ipsum mihi in salutem vertas, & ad æternam vitam cooperari facias. Amen.

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER SEXTVS,

DE SAPIENTIA DEI ET SIMVL DE VERITATE ET VITA.

CAPVT PRIMVM.

In Deo esse perfectissimam sapientiam.

S. Tho. 2.2. q.9.a.2.

SAPIENTIA propriè est notitia veritatis, non quæuis, sed per supremas & primas causas. Qui plurima nouit experientia, vel ex effectis, vel ex causis propinquis & creatis, dicitur quidem experiens, gnarus, doctus, multiscius, non tamen propriè *sapiens:* quia altissimas causas non contemplatur, neque ex illis notitiam suam ducit. 1

Sapientia Dei.

In Deo igitur est sapientia, quia omnia nouit per supremas causas, nimirum per notitiam essentiæ suæ, quæ est omnium suprema causa efficiens, finalis, exemplaris & fundamentalis. Comprehendendo enim essentiam suam, hoc ipso ex vi illius comprehensionis cognoscit distinctissimè & clarissimè omnia possibilia (sub quibus continentur etiam omnium possibilium complexiones) 2

quæ

quæ nimirum ipse per se facere potest; & illa comprehendendo, cognoscit vlteriùs omnia in particulari, quæ singula illorum facere vel pati possunt, & in quibus deficere. Neque hoc solùm, sed etiam quid singula in quauis occasione essent factura, si talis vel talis occasio daretur. Neque in his sistit, sed etiam clarè intuetur quid reipsa in omnem æternitatem sit euenturum, quibus momentis, qui-
3 bus locis, quibus occasionibus, & aliis circumstantiis. Ratio est, quia in Deo cognitio abstractiua possibilium cùm sit infinitæ perfectionis & efficaciæ in attingendo obiecto, hoc ipso quo obiecta illa reipsa sunt futura, fit intuitio existentium; nec opus est alia vi aut conatu. Vnde patet, omnem intuitum futurorum esse ex vi comprehensionis essentiæ, nec aliud requiri, quàm positionem obiectorum. Tunc enim cognitio quæ priùs seu in priori signo rationis erat abstractiua, transit in intuitiuã ex vi suæ perfectionis. Docet hoc apertè Dionysius De diuin. nomin. cap. 7. *Non enim*, inquit, *ex rebus ipsis res discens, nouit eas diuina mens; sed ex seipsa, & in seipsa, secundùm causam, omnium scientiam & notionem & essentiam præhabet, & antè comprehendit: non singulis secundùm cuiusque speciem intendens, sed secundùm vnicam causæ complexionem cuncta sciens & continens, sicut & lux secundùm causam in seipsa tenebrarum notionem anticipat, non aliunde quàm ex luce tenebras noscens.* Hic manifestè tradit, Deum ex vi cognitionis essentiæ tamquam causæ omnium,
4 scire cetera. quod confirmatur verbis sequentibus: *Seipsam igitur diuina sapientia noscens, sciet omnia; materialia sine materia, & indiuisè diuisibilia, & vnicè multa; ipso vno omnia & cognoscens & producens. Nam si secundùm vnam causam Deus omnibus esse impertit, secundùm eamdem vnicam causam sciet omnia, tamquam ex se existentia, & in seipso antè præexistentia.* Et paulò pòst: *Non habet itaque Deus peculiarem scientiam sui, aliam verò communem res omnes complectentem. Ipsa enim omnium causa seipsam cognoscens, nullo modo ea quæ ab ipsa, & quorum causa est, ignorabit. Hac igitur Deus res cognoscens, non scientia rerum, sed scientia suiipsius ipsas nouit.* Confirmantur hæc alia ratione. Sicut enim essentia diuina in ratione boni se habet ad voluntatem, ita in ratione veri seu intelligibilis se habet ad intellectum. Sed voluntas diuina nihil vult, nisi ex vi amoris essentiæ: ergo intellectus quoque nihil intelligit nisi ex vi cognitionis essentiæ. Est etiam id multò præstantius & sublimius, nimirum vt essentia diuina, non solùm quatenus est vis intelligendi, & rationem potentiæ subit, sed etiam quatenus habet rationem obiecti,

iecti, sit principium omnis cognitionis, & extendat se ad omne intelligibile, & quidquid vllo modo veri rationem obtinet.

Dicet aliquis, Quomodo Deus cognoscit omne verum in essentia sua, seu ex vi cognitionis suæ essentiæ, cùm plurima sint vera, quorum ipse non est causa: vt sunt omnes complexiones liberi arbitrij cum peccato in hominibus & dæmonibus: vt, quòd Petrus negabit Christum, quòd Iudas illum prodet, quòd Antichristus persequetur Ecclesiam, & faciet se adorari. Talium enim coniunctionum & complexarum veritatum ipse non est auctor. Quo modo ergo cognoscit eas in se tamquam in causa?

Quo modo Deus cognoscat res creatas in sua essentia.

Respondeo, Quatuor modis intelligi posse Deum illa cognoscere in essentia sua tamquam in causa. Primò, Tamquam in causa necessaria, ex qua illæ complexiones secundùm esse actuale necessariò sequantur. Et hoc modo falsum est, cùm nulla creatura actu existens, hoc modo cognoscatur in essentia diuina; tantum abest, vt peccata sic in illa cognosci possint. Secundò, Tamquam in causa libera, omnia futura in particulari liberè prædefiniente & decernente. Qui modus etsi quibusdam placuerit, nulla tamen ratione est admittendus, ne cum hæreticis Deum facere videamur auctorem omnium scelerum. Si enim Deus vult omnia fieri, quæ fiunt in mundo, eaque prædefinit & decernit vt sic fiant, quomodo non verissimè, propriissimè & efficacissimè est auctor omnium operum malorum? Addo, si hoc tantùm modo Deus cognosceret futura, non cognosceret illa intuitiuè vt sunt in seipsis in rerum natura; sed solùm abstractiuè vt sunt in sua causa, nempe in decreto diuino; quod non est consentaneum summæ perfectioni diuinæ cognitionis. Tertiò, Tamquam in causa libera volente illa permittere, sine cuius permissione illa fieri non possent. Et hoc modo concedi potest, Deum omnia peccata absolutè futura cognoscere in decreto permissiuo suæ voluntatis, posita conditionalium scientia, quam habet ex vi suæ essentiæ. Quartò, Tamquam in causa partim necessaria, partim libera. Qui modus non multùm distinguitur à tertio; sed ponitur à nobis maioris explicationis gratia. Deus enim ex vi suæ essentiæ ante omne decretum liberum necessariò omnia possibilia, & omnes possibiles complexiones, & omnia ex hypothesi futura cognoscit: qua cognitione posita, accedente decreto libero quo vult creare causas liberas, & permittere eas suis motibus in talibus circumstantiis, statim in suo illo decreto effectiuo & permissiuo videt, quid absolutè sit futurum; idque priùs ratio-

6

7

ratione, quàm videat effectum in se existentem. Et quia hæc visio est infinitæ efficaciæ in attingendo obiecto, extendit se etiam ad ipsum effectum, vt in se existit. Hoc sensu Deus dicitur omnia cognoscere in se tamquam in causa; nimirum tamquam in causa propinqua vel remota, decernente vel permittente. Nam in se, tamquam in causa propinqua, cognoscit omnem naturam rationalem possibilem; accedente decreto creandi, videt omnem existentem & futuram. In illa videt quidquid ipsa potest facere; & accedente decreto permissiuo, videt omnia quæ ipsa est factura.

CAPVT II.

Aliquot considerationes, ex quibus magis eluceſcit infinita vis diuinæ sapientiæ.

8 INFINITA vis & amplitudo diuinæ sapientiæ ex multis colligi potest; ac primùm ex structura corporum in viuentibus, præsertim in animalibus, in qua innumera simul consideranda sunt ipsi opifici. Docet enim Galenus libro De formatione fetus, esse supra sexcentos musculos in corpore humano, & in singulis esse decem scopos seu conditiones ad decem diuersos fines necessarias. *Nam*, inquit, *quisque ipsorum & figuram habet decentem, & magnitudinem, & caput, & finem, & positionem, & nerui venæq; & arteriæ insitionem, ita vt pro magnitudine & loco insitionis hæc ipsa quadrent.* Vnde concludit, *in solis musculis esse sex millia scoporum seu finium, quorum in formatione habenda ratio*, præter ea quæ pertinent ad singulorum temperamentum. *Idem*, inquit, *in ossibus est, quæ plura sunt ducentis: nam in his singulorum scopi plures sunt quàm quadraginta. vnde eorum omnium scopi plusquam octies mille. Eadem ars & circa omnia viscera existit, & omnino circa quamlibet partem adeò vt si quis structuræ scopos numeret, in aliquot myriades eorum multitudo excrescet. Hos itaque scopos haudquaquam ipse crediderim citra sapientissimum eumdemq; potentissimum opificem factos esse.* Hæc ille, & optimè. addit tamen miser: *Quis verò hic sit, pronuntiare non audeo, per consilij inopiam obmutescens.* nimirum hoc est euanescere in cogitationibus suis. Quis enim est sapientissimus & potentissimus Opifex
9 præter Deum? Sed si considerentur omnes nerui, omnes arteriæ, omnes venæ, & horum principia & administratio, conformatio, deductio, situs, connexio, vsus, & cetera; inueniemus innumerabi-

A D. Virago ponuntur 284. ab aliis etiam plura.

lem multitudinem ſcoporum & finium in vno corpore humano. Hæc omnia perfectiſſimè & diſtinctiſſimè ante oculos habuit, non ſolùm dum hominem formaret, ſed ex omni æternitate. Iam verò quot ſunt animaliũm & plantarum ſpecies? In ſingulis autem ſpeciebus pænè omnia illa conſideranda quæ in corpore humano, idque ſecundùm proportionem & modum cuiuique ſpeciei. Aliter enim illa omnia ſe habent in equo, aliter in boue, aliter in oue, & ſic in ceteris. Deus autem non ſeorſim quæ ad ſingulas pertinent, ſed ſimul omnia quæ pertinent ad omnes rerum ſpecies, diſtinctiſſimè & perfectiſſimè excogitauit, conſiderauit, & expendit ab æterno; & tempore præſtituto, ſicut conceperat, fecit. Quod apertè indicat infinitam amplitudinem & vim mentis illius; vt quæ tam innumerabilia ſimul tam diſtinctè, tam perfectè, tam potenter conceperit & produxerit. Vnde S. Auguſtinus lib. 11. De ciuitate cap. 10. *Neque enim multæ, ſed vna ſapientia eſt, in qua ſunt immenſi quidam atque infiniti theſauri rerum intelligibilium: in quibus ſunt omnes inuiſibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam viſibilium & mutabilium, quæ per ipſam factæ ſunt; quoniam Deus non aliquid neſciens fecit.* ex quibus infert Auguſtinus, *quòd iſte mundus nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet; Deo autem niſi notus eſſet, eſſe non poſſet*: quia Deus per ſapientiam ſuam eſt auctor mundi, qui ſua ſpecie externam nobis ſui notitiam ingerit.

Singula perfectiſsimè facta.

Secundò conſidera, ſingula tam perfectè, tam concinnè, tanta proportione in ſingulis animantibus & plantis eſſe formata, vt omnis ſapientia hominum pariter & Angelorum, ne minimũ quidem vel in muſca poſſit emendare. Omnia enim ſunt in extremo perfectionis & pulchritudinis intra ſpeciem ſuam; niſi fortè ratione materiæ, vel concurſus cauſæ extrinſecæ quippiam ſit impeditum vel diſtortum. Vnde etiam de iſtis minimis operibus dici poteſt cum Propheta: *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* Itaque & hoc infinitæ ſapientiæ eſt ſignum. Si enim per infinitam ſapientiam excogitata non eſſent, poſſet aliquid in aliqua re perfectius & concinnius concipi. 10

Pſal. 110.

Virtus ſeminis.

Tertiò conſidera, totam illam & incomprehenſibilem varietatem, quæ eſt in corporibus animalium & plantarum, quod ad figuram, colorem, ſitum, partium connexionem, proportionem, temperamentum attinet, deliteſcere in virtute ſeminis; adeò vt ſi quis naturam ſeminis mente comprehenderet, in ea totam cerneret animalis conſtructionem. Stupenda profectò potentia 11

tentia & sapientia, quæ talem vim (cuius opus est tantæ varietatis & sapientiæ) excogitare, creare, & rei insensibili imprimere potuit. Nihil æquè in rebus creatis mirantur Medici, qui huius operationes exactiùs perpendunt.

12 Pari modo in ipsa quoque forma seu anima latent rationes singulorum quæ cernuntur in corpore. Ideò enim in corpore animantis debent esse tot partes talis temperamenti, figuræ, magnitudinis, situs, coloris, odoris, tali ordine, connexione, proportione, quia anima est talis. Itaque in simplici illa forma latent innumerabiles illius varietatis rationes, veluti in causa finali & exemplari, in semine tamquam in causa efficiente. Necesse igitur est, formas illas seu animas esse res admirabiles, & infinities admirabiliorem qui illas finxit Opificem. Hoc modo ex singulis rebus creatis exurget mens in Deum. *Conditio animæ cuiuslibet.*

13 Quartò considera admirabilem vim sensuum exteriorum, & in primis oculi, cuius est tanta celeritas, vt in puncto temporis plusquam 80. milliones milliarium conficiat, (tantum enim & ampliùs distant stellæ fixæ à terra, iuxta Astronomos,) tanta verò capacitas, vt totam cæli medietatem comprehendat. Imò, si non obstaret terra, posset complecti & intra se condere totum mundum. Tam verò est arcana eius operatio, vt hactenus nemo mortalium illam assequi potuerit. *Sensus externi.*

14 Quid dicam de potentiis spiritalibus, intellectu, memoria, voluntate, quarum vis quodammodò est infinita? Neque enim vlla res creata, nec ipse quidem mundus totus eas implere potest. Quidquid enim est in mundo, simul ab intellectu distinctè intelligi & comprehendi potest; neque vnus mundus illum impleuerit, sed simul decem alios posset amplissimo sinu suo complecti, si essent. Loquor de intellectu lumine gloriæ illustrato. Æqualis capacitas est memoriæ & voluntatis; quia intellectus & memoria re non distinguuntur, & voluntas intellectui est commensa. *Intellectus.*

15 Considera quintò, Deum omnia quæ sunt in mundo vsque ad minutissimas partes, figuras, colores, qualitates, conditiones, situs, motiunculas, momenta, modosque omnes & habitudines distinctissimè & perfectissimè intueri, & in numerato habere; nimirum omnes vermiculos, omnes muscas, animalia omnia & partes singulorum, omnia gramina, omnes herbas & plantas, omnia siluarum folia, omnes pilos animantium, omnes arenas littoris & deserti, omnes guttas maris, omnes stillas pluuiarum, omnes crispa- *Deus omnia distinctissimè cognoscit*

tiones vndarum, omnes foliorum motus, omnium mensuras, distantias, congruentias, discrepantias, situs, modos, tempora: omnes hominum & Angelorum cogitationes, omnes affectus, omnes intentiones præsentes, præteritas, futuras, & momenta singulorum. Hæc omnia semper distinctissimè & clarissimè intuetur, penetrat, comprehendit, idque adeò clarè & perfectè, ac si tota vis mentis illius in vnum dumtaxat illorum intenta esset. Quod 16
sanè diligenter est perpendendum; ne quis putet aliquid illum latere posse, aut minùs perfectè esse cognitum, in tam immensa rerum multitudine; sicut impij homines solent existimare, in quorum persona dicitur Iob 22. *Quid enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat? nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.* Hos monet Sapiens Ecclesiastici 16. *Non dicas: A Deo abscondor, & ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? Ecce cælum, & cæli cælorum, abyssus, & vniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur, montes simul & colles, & fundamenta terræ, cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur.* & Ecclesiastici 23. iuxta textum Græcũ: *Omnis homo qui transgreditur lectum suum dicit in corde suo: Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes operiunt me, & nemo me videt; quid vereor? peccatorum meorum non memorabitur Altissimus: & oculi hominum timor eius. Et non cognouit quòd oculi Domini decies millies clariores sole, inspicientes omnes vias hominum, & intuentes in absconditas partes.* Neque id mirum videri debet. Sicut enim essentia ipsius & potentia in singulis punctis loci & spatij est tota & tam perfectè, quàm si tota immensitas ad punctum esset contracta: ita etiam vis intelligendi & sapientiæ ipsius tam perfectè & efficaciter versatur circa res singulas, ac si vni soli intenta esset. Lumen enim sapientiæ ipsius non solùm est infinitum extensiuè, nimirum quia se extendit ad infinita obiecta: sed etiam intensiuè, vt circa singula obiecta habeat actum infinitæ perfectionis & claritatis.

Tam perfectè cognoscit & videt singula, quàm si vni soli rei intentus esset.

Considera sextò, illum non solùm ea quæ reipsa sunt, fuerunt, 17
& erunt, modo prædicto cognoscere, sed etiam infinita alia; nimirum, omnia illa quæ ipsius omnipotentia potest creare. Itaque simul intuetur infinitos mundos in seipso, huic nostro similes, & infinitos dissimiles; infinitas rerum species sub singulis generibus, & infinita indiuidua sub singulis speciebus, imò infinitorum indiuiduo-

uiduorum infinitas, vt ita dicam, replicationes. Perpende quid sit infinitum, & quotuplex hîc sit infinitum. multitudo enim specierum in generibus singulis est infinita; id enim modò suppono tamquam verisimilius: multitudo indiuiduorum in singulis speciebus est infinita, multitudo replicationum singulorum indiuiduorum infinita. Quis ista mente comprehendens non obstupescat, & summa cum reuerentia diuinæ sapientiæ in omnibus se subiiciat? Adhuc penetrat vlteriùs ad omnia opera singulorum, cognoscens quid singula possint facere, quid pati; quæ rursùs infinita sunt, spectata diuersitate obiectorum, agentium, patientium, applicationum, auxiliorum, dispositionum.

18 Sed neque in his operibus possibilibus sistit, sed incomprehensibili modo penetrat vlteriùs, cognoscendo non solùm quæ fieri possunt à singulis, sed etiam quæ reipsa fierent à singulis, quauis hypothesi facta, quauis occasione proposita. hæ tamen occasiones sunt infinitæ, imò infinities infinitæ: nam vel ab vno homine possunt mihi infinitæ occasiones dari, & ipse ex parte subiecti possum infinitis modis affici & disponi. Deus autem omnes illas distinctissimè & perfectissimè videt, & simul vlteriùs penetrat quodnam in singulis libertas mea esset amplexura, quid factura. Idem dicendum de omnibus & singulis hominibus & Angelis existentibus pariter & possibilibus. Cernit igitur non solùm omnia possibilia, & omnes operationes possibiles omnium possibilium, & omnes operationes reipsa in tota æternitate futuras, sed etiam omnes operationes, quæ qualibet occasione ex infinitis occasionibus oblata essent futuræ. Nihil magis stupendum, aut quod magis immensam vastitatem, amplitudinem, profunditatem, & infinitam efficaciam diuinæ intelligentiæ & sapientiæ declaret.

19 Considera septimò, & recollige ordinem obiectorum diuinæ mentis & sapientiæ iuxta nostrum modum intelligendi. In primo igitur signo rationis, fertur in diuinam essentiam & personas diuinas: in secundo, in omnia possibilia: in tertio, in omnia opera possibilia rerum possibilium: in quarto, in omnia futura ex hypothesi: in quinto, in omnia futura absolutè. Vnde meritò dictum à Propheta: *Sapientiæ eius non est numerus.* *Ordo intelligibilium.* Psal. 146.

20 Octauò considera, quòd diuinus intuitus ferri possit in futura quæ nondum sunt, id non prouenire ex eo quòd omnia sint præsentia æternitati: hæc enim præsentia, vt est prior cognitione, nihil potest esse aliud quàm realis coëxistentia cum æternitate. Atqui *Coëxistere æternitati.*

qui res futuræ non coëxistunt æternitati antequam existant in seipsis secundùm esse suum creatum. Coëxistere enim alteri, supponit existere in se tamquam quid prius. Vnde non coëxistunt æternitati, nisi suis temporibus, dum singula suo ordine promuntur, & suas essendi vices subeunt. Quare hæc coëxistentia nihil iuuat ad illa intuenda tamquam præsentia priusquam fiant, & multò minùs vt videantur ab æterno: oportet enim illa non solùm coëxistere æternitati, sed coëxistere ab æterno, vt ab æterno tamquam præsentia videri possint. Nec obstat, quòd æternitas ambiat totum 21
tempus: quia non ambit, simul toti tempori coëxistendo: coëxistit enim illi successiuè, non successione sui, sed temporis. Allabuntur enim noui dies prioribus præterlabentibus; & dum hic dies præsens est, coëxistit æternitati secundùm aliquid indiuisibile sui; sed cras non coëxistet, sicut nec heri coëxtitit: sicut in flumine adlabuntur nouæ aquæ, & tangunt rupem flumini insidentem, sed statim transeunt, nec redeunt amplius. Totus rerum cursus ab initio mundi vsque ad finem est instar fluminis, sub æternitate, tamquam sub rupe quadam immobili, transeuntis. Itaque sicut rupes illa non simul coëxistit nec simul tangit omnes fluminis partes, sed successiuè; sic nec æternitas simul rebus omnibus coëxistit, sed successiuè, prout illæ successiuè esse accipiunt.

Pari modo id etiam non prouenit ex eo, quòd Deus ab æterno 22
de omnibus statuerit quæ successu temporum fiunt, quasi hoc suum decretum cernens, in illo cernat res omnes futuras. Non enim omnia ab æterno decreuit efficaciter volendo vt sic fiant, sicuti fiunt: alioquin videretur esse auctor omnium malorum, & inducere simul fatum indeclinabile. Nisi autem decretum sit efficax, in eo solo cerni non potest an res sit futura, vbi, quando, quomodo, &c. Deinde illa cognitio non erit intuitiua, sed abstractiua, & quasi coniecturalis: sicut cùm quis nouit aliquid tali tempore vel loco euenturum, ex eo quòd sciat se ita statuisse, & à nemine impediendum. Hæc enim cognitio est imperfecta, & similis coniecturæ. Deo autem tribuitur à Scripturis perfectissima cognitio,
Psal. 138. nempe visio & intuitio. *Omnes*, inquit, *vias meas præuidisti*. &: *Intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam & funiculum meum inuestigasti. Inuestigasti*, perfectissimam notitiam indicat, qualis post longam inuestigationem haberi potest. At non opus erat magna inuestigatione, si ex eo tantùm sciat, quòd decreuerit vt ita fiat. vnde ineptè Scriptura inuestigationem ei tribueret.

Con-

23 Considerandum igitur est, id prouenire ex infinita efficacitate oculi diuini, cuius radius se extendit per totum tempus, tangens & incurrens in omnia, quæ in aliqua parte temporis existunt. Quò enim vis visiua est maior, eò longiùs se extendit. Sicut igitur oculus corporeus maximæ acrimoniæ in altissima specula constitutus, simul videret totam viam, & omnes in principio, medio, vel fine viæ constitutos; ita oculus diuinus supra omnia temporalia & mutabilia eleuatus fertur in totum temporis decursum, & in omnia quæ per totum tempus fiunt, singula ab æterno quasi tangens, secundùm loca & tempora quibus esse accipiunt. nec aliter illa videt cùm iam sunt, quàm antequam essent, aut cùm esse desierint; sed semper eodem modo illa intuetur, secundùm omnem statum quem toto temporis successu habent. Quare etsi continua in rebus sit variatio, in visione tamen illius non est vlla successio, sed summa immutabilitas. In hac visione, quam & *præscientiam* vocamus, omnia sunt facta quæ futura sunt. *Ordo temporum*, inquit D. Prosper Sententia 57. *in æterna Dei sapientia sine tempore est, nec aliqua apud illum sunt noua, qui fecit quæ futura sunt*. In hac multi sunt æterna beatitudine felices, & cum Christo regnantes in cœlis, qui in seipsis nunc inimici & impij; & multi econtrariò æterna damnatione miseri cum diabolo apud inferos, qui in seipsis nunc iusti & filij. Itaque nemo vel sibi nimiùm fidat, vel alium contemnat: quilibet enim spectandus est & æstimandus non prout est breui tempore, sed prout est in æternitate. Multos enim amat Deus pro exiguo tempore, quos odit in æternitate: & contrà multos odit pro tempore, quos amat in æternitate.

Perfecta omnium cognitio in Deo prouenit ex infinita vi oculi diuini.

Beati vel miseri omnes ab æterno in Dei præscientia.

24 Nonò considera, sapientiam diuinam plenam esse notionibus & conceptibus rerum veluti sigillis quibusdam, formandis creaturis secundùm speciem cuiusque idoneis. Sunt enim res creatæ veluti impressiones quædam & ἀποσφραγίσματα diuinæ sapientiæ. Quam ob causam Ecclesiastici 1. dicitur: *Et effudit illam* (sapientiam suam) *super omnia opera sua*. Et quemadmodum sigillum aquæ vel alteri rei fluxæ impressum, si àmotum fuerit, statim forma perit: ita nisi diuinæ sapientiæ signaculum assiduè formet & conſignet creaturam, tota species & substantia rei euanescet. Itaque cuilibet rei creatæ suum sigillum, quo eius essentia ab intrinseco assiduè formetur & conseruetur, semper est intimè præsens.

Sapientia sigillũ rerum.

CA-

CAPVT III.

De fructu huius considerationis.

Admiratio. Ex his tres potissimùm in nobis oriuntur affectus. Primò, Ad- 25
mirationis, iuxta illud Psal. 138. (*Mirabilis facta est scientia tua ex me,* (supra captum meum:) *confortata est, & non potero ad eam.* Quis enim cogitans, omnia præsentia, præterita, futura, omnia possibilia & imaginabilia; omnia quæ sunt, & omnia quæ non sunt, Deo perfectissimè & distinctissimè esse præsentia & in conspectu semper posita, nullâ in ipso facta mutatione, non obstupescat; præsertim cùm vnico actu, imò nullo actu elicito, sed per essentiam suam vitaliter hæc omnia cernat? Nascitur enim admiratio ex eo quòd aliquid se offerat mentiti nostræ, captum vel experientiam nostram superans. Nam tunc admiramur, cùm videmus rem esse longè maiorem quàm anteà conceperamus, vel experti eramus. Quare cùm sapientia diuina sit infinitè maior, maximam admirationem, atque adeò stuporem in nobis excitabit, per quem fiet, vt homo vix sui compos dicat cum Propheta: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.*

Psal. 72.

Humilitas. Secundò, Affectus *humilitatis & annihilationis sui*, quoad cogni- 26
tionem & sapientiam, & subiectionis intellectus in obsequium fidei in omnibus. Si enim omnis sapientia Angelorum & hominum quasi nihil est ad illud sapientiæ pelagus immensum, siue multitudinem & sublimitatem cognitorũ spectes, siue perfectionem cognitionis, siue firmitatem & immutabilitatem; quid mea sapientia ad illam erit? Sanè minus quàm vnus pulsuiculus ad montem immensum, vna guttula ad mare infinitum, tenuis vmbra ad solis splendorem. Itaque non est quòd gloriemur de nostra sapientia, aut honorem nobis ex ea captemus; cùm tota sit instar nihili coram Deo: sed quærenda nobis gloria Dei, vt omnes diuinam sapientiam cognoscant, admirentur, adorent, eique iudicium suum in omnibus subiiciant, maximè in ijs quæ per Ecclesiam nobis credenda proponit. Si enim tanta est imbecillitas ingenij nostri, vt ne formicæ quidem naturam, formationem, indolem, vitam, ætates cognoscere possimus, aut alterius rei maximè obuiæ essentiam; quomodo poterimus de mysteriis diuinis & supernaturalibus iudicare, quæ sapientia Dei infinita nobis sola patefecit?

Causa

27 Causa verò cur huiusmodi sublimia & captum nostrum excedentia à nobis credi voluerit, est: Primò, Vt captiuantes intellectum nostrum in obsequium fidei, illum totum Deo subiiciamus; & agnoscentes imbecillitatem mentis nostræ, ac diuinæ sapientiæ altitudinem, Deum sic honoremus. Secundò, Vt mens nostra sursum erigatur, & ad diuina eleuetur. Si enim Deus non proponeret ea quæ captum humanum excedunt; mens non attolleretur sursum, sed in suo gradu & infima sorte maneret, neque ad Dei visionem disponeretur: fides enim supernaturalium, media est inter cognitionem naturalem & visionem beatam. Tertiò, Quia cùm vita æterna sit supra naturam, ea quoque quæ ad illam ducunt, debent naturæ captum superare. Hinc tantopere bonum fidei in Scripturis commendatur, & ex diuina illustratione haberi dicitur. *Cur fidem Deus exigat à nobis.*

28 Denique subiiciendus intellectus diuinæ sapientiæ etiam in rerum euentis & mundi gubernatione; vt credamus à Deo omnia sapientissimè fieri, nec murmuremus contra eum, si nobis aduersa, impiis prospera euenerint. Ipse enim sapientissimè omnia disponit. Quidquid enim decernit vel permittit, id facit vel vt peccata castiget, vel nos ad bonum excitet.

29 Tertiò, Excitatur affectus summæ & assiduæ reuerentiæ erga Deum. Si enim omni loco & tempore omnes actiones, cogitationes & intentiones nostras intuetur; quanta reuerentia interiùs & exteriùs coram ipso nos versari oportet! Si enim qui versantur in oculis Principis, diligenter cauent ne quid committant quod oculos Principis offendere possit; quanta diligentia nobis cauendum, qui versamur in oculis tantæ maiestatis, ne quid admittamus quod ipsi displiceat? Ad hanc reuerentiam & curam sæpè nos monet sacra Scriptura. Ecclesiastici 16. *Affectus reverentiæ.*

30 *Ecce cælum, & cæli cælorum, abyssus & vniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur, montes simul, & colles, & fundamenta terræ, cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur.* & cap. 23. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum* (id est, postquam iam creata sunt) *respicit omnia.* ad Hebræos 4. *Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia*

nia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. Loquitur de Filio Dei, seu Verbo, qui Græce λόγος dicitur, & de penetratione per intuitum & iudiciũ. Hinc Deus dicitur καρδιογνώστης, *scrutans renes & corda*, id est, intimas cogitationes & affectiones distincte & clarè intuens ac diiudicans.

Psalm. 7. Ierem. 17.

CAPVT IV.

De Veritate.

Veritas quid.

SAPIENTIÆ connexa est *veritas* & *vita*.

Veritas genefatim nihil videtur esse aliud, quàm conformitas 31
rei cuiusque cum sua mensura & regula, per quam sic est formata vel concepta. Ideò enim hoc est verum aurum, verum argentum, vera aqua; quia secundùm suam speciem est conforme & congruens suæ mensuræ infallibili, per quam sic est formatum. Hæc autem mensura est conceptio diuina, quam ideam vocamus. Concepit Deus intra se naturam auri, & vi huius conceptionis fecit illud extra se ipsi conceptioni tamquam regulæ suæ conforme, ac tale planè quale concepit. Illa congruentia & conformitas auri cum sui conceptione effectrice, est eius veritas, nec Deus aliunde de eius veritate iudicat. Si aliter se haberet quàm conceptio & notio auri in Deo requirit, non esset verum aurum, sed falsum & assimilatum. Idem dicendum de omnibus aliis rebus à Deo formatis. Conceptio enim diuina, qua singula secundùm suas species ab æterno excogitata, & in mente diuina veluti efficta sunt, est omnium mensura, omnium regula, & veluti primæuum sigillum omnibus impressum, cui omnia sunt conformia, per quã conformitatem singula secundũ suas species vera sunt & dicuntur. Hoc modo

Bonitas.

veritas est proprietas entis creati, sicut & *bonitas*: cuius ratio consistit in eo, quòd omnia secundùm suam speciem sint congruentia ad finem ad quem à Deo sunt instituta, qui potissimùm est, declarare potentiam, sapientiam, bonitatem, & ceteras perfectiones sui Conditoris. Sicut enim omnis res dicitur *vera* ex conformitate ad suam causam exemplarem, ita dicitur *bona* ex congruentia ad suam causam finalem. Nec refert quòd nomen *veri* & *boni* ex hac consideratione rebus fortè non sint ab initio imposita, & alia etiam ratione res veræ & bonæ dici possint: nos enim de primaria veritate & bonitate rerum loquimur.

Con-

32 Considerandum etiam est, vnicam in singulis rebus esse *veritatem*, sicuti est vnica species, & vnicum exemplar cuiusque, cui res quælibet conformatur. Est tamen multiplex in rebus *bonitas*; quia res quælibet deseruit ad multos fines inter se subordinatos; qui tamen omnes ad vnum finem vltimum, nimirum gloriam Dei, reducuntur. Præcipua tamen bonitas rerum, à qua potissimùm bonæ dicuntur, est ex ordine & congruentia ad finem vltimum. Quò enim quælibet res magis valet ad perfectiones diuinas declarandas, eò est præstantior, & entitatiuè melior.

Præcipua bonitas, ex ordine ad finem vltimum.

33 Ex his obiter colligimus cur tantùm sint duæ proprietates entis positiuæ, *verum* & *bonum*. Dico *positiuæ*; quia *vnitas* supra rationem entis nihil dicit, nisi diuisionis negationem. *Vnum* enim est res in se indiuisa, ab aliis omnibus diuisa. Ratio igitur cur duæ tantùm sint, est, quia tres tantùm sunt habitudines rebus omnibus communes ad causam vniuersalem omnium. Prima est, tamquam ad causam primam effectricem à qua omnia accipiunt esse, ratione cuius dicuntur entia. hæc habitudo est prima & fundamentalis. Secunda, tamquam ad causam exemplarem, secundùm quam effectæ sunt. hæc habitudo dicitur *veritas*. Tertia, vt ad finem vltimum, quæ dicitur *bonitas*. Non poterant autem hæ proprietates aliter in rebus poni, quàm ex ordine ad istá causam, quæ est Deus; tum quia nulla est alia à qua omnia dependentiam habeant, tum quia omnis habitudo ad alia, verbi gratia ad intellectum & voluntatem creatam, est posterior ratione veri & boni. Non enim ideò res sunt veræ, quia intelligibiles; nec ideò bonæ, quia amabiles: sed contrà hæ denominationes veritatem & bonitatem rerum conse-
34 quuntur, tamquam posteriores. Secundùm hanc considerationem opera bona in Sacris literis dicuntur *veritas*, seu vera (abstractum enim pro concreto accipitur idiotismo Hebraico) & qui bene operatur, dicitur *facere veritatem*: quia sunt conformia suæ regulæ, nimirum legi æternæ. E contrariò, opera mala vocantur *mendacium*; & qui ea facit, dicitur facere & *operari mendacium*; qui commendat & suadet, *loqui mendacium*: quia dissident à regula operationis & vitæ humanæ.

Cur duæ proprietates entis.

Ioan. 3 21. & cap. 8. 44. Ephes. 4. 15. Psal. 4. 3. Ierem. 8. 10. Apoc. 21. 27. & c. 22. 15.

35 Aduerte tamen, ea quæ diximus, intelligenda esse de Veritate & Bonitate, vt sunt proprietates entis creati: nam longè eminentiori ratione hæ denominationes Deo conueniunt. Ipsius enim *veritas* non consistit in conformitate naturæ ipsius cum suo exemplari (nullum enim est tale exemplar) sed in eo quòd eius natura

sit talis, quæ debeat esse omnium exemplar & mensura: & ipsius *bonitas* non est sita in conuenientia & ordine ad aliquem finem, sed in eo quòd ipse sit tantæ excellentiæ, vt debeat esse omnium finis.

Veritas cognitionis.

Alio modo accipitur *veritas* strictiùs, vt propria est cognitioni & iudicio, & sic nihil est aliud quàm conformitas cognitionis cum obiecto, tamquam cum sua mensura; nempe cùm res talis iudicatur, qualis ipsa in se est. Hæc conformitas sicut in rebus nihil reale aut formale addit earum entitati, ita in cognitione nihil addit entitati cognitionis. Omnis enim notitia hoc ipso quòd attingit suum obiectum, est conformis obiecto, ac proinde vera. Attingit autem obiectum præcisè per seipsam & suam entitatem, nullo ei superaddito; nam hoc ipsum constituit eius naturam & rationem specificam. *Veritas* igitur cognitionis, nihil est aliud quàm ipsa cognitio, quatenus attingens obiectum, eique conformis. Porrò hæc veritas vocatur *veritas formalis*, illa verò *obiectiua & fundamentalis:* quia veritas rerum est fundamentum & obiectum veritatis, quæ est in cognitione creata. 36

Veritas cognitionis nihil addit cognitioni.

Deus est summa veritas.

Quocumque autem modo veritas consideretur, Deus est summa & prima *veritas*, & plenitudo veritatis. Est enim *prima veritas obiectiua & fundamentalis*, quia est sua essentia, quæ est primum & summum obiectum intelligibile inter omnia intelligibilia, & prima supremaque mensura omnium mensurabilium; & in ipsa omne intelligibile & omne mensurabile, eminentissimè tamquam in abysso omnis veritatis & prima ratione determinatrice & modificatrice omnium, continetur. 37

Est prima & summa *veritas formalis*, quia est sua sapientia omnem sapientiam infinitè superans: imò est ipsa vniuersitas & plenitudo sapientiæ, in qua omnis sapientia, omnisque veritatis notio eminentissimè est collecta, quæque omnem veritatem obiectiuam perfectissimè & distinctissimè attingit & penetrat. Oritur hęc veritas formalis in Deo nostro modo concipiendi, à veritate obiectiua essentiæ; quia hæc est mensura diuisæ sapientiæ: & veritas sapientiæ consistit in conformitate & adæquatione cum essentia; & consequentes cum omnibus quæ in illa eminenter continentur. 38

Omnis veritas ab hac descendit.

A veritate diuinæ sapientiæ descendit omnis veritas in creaturas, idque dupliciter. Primò per creationem: quia per sapientiam conditæ sunt & formatæ, & in conformatione cum illa sapientia & arte diuina consistit earum veritas. A rebus transit vlteriùs veritas in nostram cognitionem; quia veritas rerum est veritatis nostræ 39

cogni-

cognitionis mensura & origo. A nostra cognitione transit in nostros affectus & mores, quatenus hi iudicio prudentiæ & notitiæ diuinæ legis conformantur. Denique in nostros sermones & scripta, quatenus sermones sunt signa conceptuum animi, & scripta sermonum. In his ergo cernitur solùm veluti extremum veritatis ἀπήχημα, & resultans quoddam vmbratile vestigium. Secundò descendit veritas à Deo in creaturas per reuelationem & illustrationem diuinam; hæc enim veritas non est hausta ex obiectis, sed directè per infusionem luminis communicata. Hoc modo veritas fidei & visionis beatæ ad nos deriuatur.

Quomodo veritas in possibilibus.

40 In rebus quæ non sunt actu, non est propriè veritas, sed potest esse. Ante mundum conditum homo non erat in re verus homo, nec vera substantia, aut verum ens; sed solùm poterat hæc esse; id est, illi conceptui obiectiuo, qui apprehenditur formali notione hominis, non repugnabat esse verum hominem, veram substantiam, verum ens. Idem dicendum de omnibus aliis rebus creatis. Hæc enim omnia nihil erant, nisi conceptus obiectiui, seu rationes conceptibiles non habentes vllum esse actu, nisi in intellectu diuino, & per notiones ipsius æternas quibus apprehendebantur & formabantur: totumque esse illorum nihil aliud erat quàm intelligi, intellectu fingi & formari.

Duplici ratione dicuntur possibilia.

41 Duplici tamen ratione dicebantur posse esse, seu esse res possibiles. Primò, quasi intrinsecè, seu à potentia intrinseca, quæ nihil aliud est quàm non-repugnantia, per quam etsi nihil sint, & nihil entitatis habeant; esse tamen, & veram entitatem ac speciem habere, ipsis non repugnat. Secundò, per denominationem extrinsecam à potentia & sapientia diuina, per quam possunt in esse & speciem produci. Itaque sicut in istis non est entitas actualis, sed solùm possibilis, ita nec est veritas actualis, sed possibilis. Sed & hæc tota, quantula est, pendet à veritate diuina. quòd enim conceptus obiectiui rerum, seu res quæ dicuntur possibiles, possint esse verè res, & habere veram entitatem & speciem, prouenit ex eo quòd essentia diuina illis modis sit imitabilis, & diuina potentia per suam sapientiam qua eas concipit, possit eas sic facere & formare.

Ex his patet, quomodo à prima veritate, tamquam fundamento & radice, omnis veritas pullulet, & ad alia omnia siue existentia siue non-existentia deriuetur: quomodo item diuina sapientia omnis veritatis obiectiuæ quæ est in creatis, sit mensura: denique, quomodo omnis veritas formalis, quę est in creatis, ab ea dependeat.

Res futuras non esse mensuram præscientiæ.

Neque his obstat, quòd cognitio intuitiua Dei, quatenus ad creaturas se extendit, ab illis quodammodo pendere, & veritatem haurire videatur: quia veritas diuinæ intuitionis, seu conformitas eius cum obiectis creatis, non prouenit ab ipsa rerum euidentia vel efficacia, quam habeant ad mouendum intellectum diuinum, & formandam in ipso cognitionem; sed ex vi comprehensionis essentiæ. Cognitio enim diuina ex vi terminationis ad essentiam, terminatur vlteriùs ad omnia possibilia; & ex vi terminationis ad possibilia, terminatur ad omnia existentia eo ipso quo aliquando sunt euentura. Itaque existere rerum, non est causa aut mensura vnde veritas visionis diuinæ pendeat, sed est solùm conditio sine qua non ita terminaretur: ac proinde sola essentia est mensura totius diuinæ cognitionis respectu omnium obiectorum. hinc enim omnis eius veritas & certitudo pendet. Vnde tam est impossibile Deum falli circa rem minutissimam (verbi gratia, circa cogitationes aut intentiones cordis humani, & minimas eius circumstantias) quàm est impossibile illum falli circa propriam essentiam. 42

CAPVT V.

De Vita.

Vita quid.

VITA dicitur & substantia vitalis, vt est anima & natura Angelica; & operatio vitalis, quæ nimirum in operante à quo emanat, remanet: qualis est intelligere, amare, sentire, appetere, se mouere. 43

Quomodo Deus sit vita.

Vtroque modo Deus est vita (semotis imperfectionibus) nec solùm vita, sed prima vita, & æterna vita, & ipsa vitæ plenitudo ac vniuersitas, omnis vitæ origo & consummatio, principium & finis; in quo etiam omnia quæ non viuunt, vita sunt. Ipse enim est superuitalis essentia, & supereſſentialis vita, omnem vitalem substantiam intra se eminentissimè & simplicissimè præhabens, & causaliter complectens, & extra se quamlibet iuxta suam speciem formans, conseruans, & perficiens. Ipse est sua vitalis operatio, nimirum sua intellectio, suus amor, suum gaudium, sua beatitas. Ex illo superuitali fonte omnia quæ aliquo modo viuunt, vitam hauriunt, & vitales facultates motusque arcescunt, alia præstantiores, alia minùs præstantes, iuxta gradum cuiusque & ordinem. Inde vita omnis & plantarum & animalium, & hominum & dæmo-

dæmonum & Angelorum, omnis vita naturalis & supernaturalis, huius sæculi & futuri, temporalis & æterna. Denique, sicut ipse est omnium existentium esse supereſſentiale, ita omnium viuentium vita superuitalis, vt Dionysius cap. 6. De diuinis nominibus ait.

44 Tribuitur Deo *vita* maximè ratione intelligentiæ & sapientiæ: hæc enim est prima & suprema vita, seu vitalis operatio, à qua omnis alia vita procedit. A sapientia enim manat amor: per hæc autem cetera omnia sunt condita & formata. Deinde in ipsius sapientia omnia viuunt: ipsum enim intelligi, & intellectu formari, est quoddam esse & vita intelligibilium; & intellectio rei, est ipsa res modo intelligibili. Itaque sapientia diuina est omnium vita, & per eam Deus sibi & omnibus viuit, & omnia ipsi viuunt, & adsunt, & splendent, & immutabiliter in ipso perseuerant ex omni æternitate in omnem æternitatem.

Conuenit Deo ratione sapientiæ.

CAPVT VI.

Recollectio precatoria, de Sapientia.

45 ILLVMINA *oculos meos*, Lux primæua; dissipa tenebras animæ meæ, Sol æterne. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam*, vt *me deducant & adducant in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Tu enim omnis lucis & intelligentiæ origo, omnis mentis & sensus auctor. Sine tua irradiatione omnia in tenebris & nocte ignorantiæ sepulta iacent: omnes artes & scientiæ, tenues sunt adumbrationes tui: tota sapientia Angelorum, scintilla quædam exigua infinitæ lucis tuæ. Psal. 12. Psal. 42.

46 Tu fons omnis pulchri & amabilis, omnis formæ & speciei, omnis ordinis & proportionis, omnis congruentiæ & concordiæ, omnis sympathiæ & antipathiæ. Tu omnibus in rebus naturam & speciem finxisti, & in omnium rerum partibus consensum & analogiam, numerum & ordinem, mensuram & modum statuisti. Tu primæuum signaculum omnium, omnia penetrans puritate & subtilitate tua, intrinsecus formans pariter & disponens omnia in omnibus. Sap. 7.

47 Et quamuis attingas à fine ad finem, à summis ad extrema, teque in omnia inseras; non tamen permisceris alicui, nec vllius attactu inquinaris, sed in tuo nitore & sinceritate perstas. Infiniti sunt processus tui, quibus ad creaturas tuas vel formandas, vel illuminandas Sap. 8. Sap. 7.

das descendis, & super eas effunderis; & tamen in tua immutabili identitate, supra omnia creata, firmiter fixa perseueras. Innumerabilia nobis per seruos tuos locuta es, & innumeris te modis & formis patefeciſti mentibus hominum; & tamen vno simpliciſſimoque conceptu perficis omnia.

Omnium es auctor & artifex, omnium exemplar, mensura, & 48
finis. Nec solùm eorum quæ sunt, & iam exterius speciem à te sibi impressam acceperunt, siue inuisibilia ea sint, siue visibilia, fictor es; sed etiam eorum quæ non sunt, & tua omnipotētia fieri possunt, quæ infinities plura sunt. Omnia enim hæc excogitasti, & apud te formasti ante sæcula, & retines in conspectu tuo, quamuis ea numquam foris extrà tē condere decreueris: sicut magnus quispiam architectus multas palatiorum formas excogitat, menteque retinet, quibus apud se gaudet & triumphat, quamuis ea numquam extruere foris statuerit.

In oculis diuinæ sapientiæ non minùs lucent possibilia quàm existentia.

Hæc omnia apud te summè perfecta existunt, & lucent ab æter- 49
no coram te (non minùs quàm quæ exteriùs condidisti) circumfusa lumine tuo, singula in specie & ordine suo: iisque gaudes & triumphas in luce tua inaccessibili, vbi ea possides. Ibi corrumpi non possunt, non veterascere, non offundi tenebris, non excidere tibi; sed in eodem semper splendore immutabilia & æterna persistunt.

O admirabilem sapientiam cui omnia præterita & futura sunt 50
præsentia, cui omnia temporalia sunt æterna, cui omnia insensibilia & mortua viuunt; cui omnia quæ non sunt, existunt; quæ totam simul ambit æternitatem, quæ omnem exhaurit infinitatem, quæ vniuersam intra se capit immensitatem! Omnia intra te æternum esse habent, & æternam vitam, initio & fine carentem, & prorsus immutabilem. Habent quidem singula in seipsis esse quoddam sibi intrinsecum, siue actu, siue potestate, sed hoc in rebus creatis habet initium, estque mutabile, neque non-viuentibus vitam tribuit. Verùm, præter hoc esse quod in seipsis obtinent, habent in diuina mente & sapientia tua esse quoddam extrinsecus veluti infusum, sempiternum & immutabile. Intelligere enim, est quoddam intelligibilium esse, per quod in mente veluti in spiritali quodā mundo existunt, splendent, & viuunt. Sapientia igitur tua, est omnium intelligibilium esse, & vita, & lux, iuxta illud, *Quòd factum est, in ipso vita erat*, vt S. Augustinus & multi Sanctorum intelligunt.

Ioan. 1.

In

51 In diuina essentia sunt omnia tamquã in primordiali rerum fundo & fundamento ; in potentia vt in causa effectrice ex nihilo ; in sapientia formaliter & obiectiuè, & velut in causa exemplari. Sapientia primò in essentiam conuersa, eam omnino comprehendit, se illi exæquans, & prorsus commetiens. Ex vi huius comprehensionis sequitur immediatè omnium possibilium conceptio seu effictio: ex hac, omnium operum & effectuum , quæ à creatura tam possibili quàm existente fieri possunt, distincta notitia : hinc omnium eorum quæ quauis hypothesi futura essent , clara intuitio: denique omnium reipsa vel præsentium, vel præteritorum, vel futurorum æterna visio. Hoc modo & ordine sapientia tua in quinque velut sphæras obiectorum & intelligibilium procedit, & quidquid attingit reliquorum, ex vi comprehensionis essentiæ attingit, quæ omnium possibilium ratio prima est & fundamentum. Itaque in te non solùm vniuersitas sapientiæ & intelligentiæ , sed etiam vniuersitas obiectorum & intelligibilium.

52 Tibi gloria, plenitudo lucis, plenitudo veritatis : tibi gloria ab omni creatura, & supra omnem creaturam apud teipsam, vbi clara & consummata excellentiæ diuinæ notitia. Splendet quidem excellentia tua in mentibus Angelorum & Sanctorum , estque hic splendor gloria quædam tua ; verùm infinitè clariùs splendet in sapientia tua : sicut infinita lux clariùs lucet quàm scintilla modica. Ibi ergo sapientia laudet animam suam, ibi glorificet se ; & omnis creatura congaudeat & congratuletur illi; laudet , benedicet , & glorificet illam. Non eges gloria & laude nostra : infinitæ claritati per scintillam nulla fit accessio. Sed hæc prosunt nobis. Nosse enim & laudare te, summum bonum nostrum, & vita æterna est.

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER SEPTIMVS,

DE BONITATE DEI NATVRALI

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Bonitas & perfectio Dei.

S.Tho. 1. p. q. 5. a. 1. & q. 48. a. 1.

BONVM dicitur propriè quod est *perfectum*; & bonitas rei eius, perfectio. *Perfectio* autem est duplex: alia naturæ, alia moris, quæ virtus & sanctitas dicitur. Itaque triplex in Deo bonitas spectari potest. Prima est, bonitas naturalis. Secunda est, bonitas moralis. Tertia est, bonitas beneficentiæ, quæ & *benignitas* dicitur. De quibus proximis Libris dicendum. 1

Bonitas naturalis Dei.

Bonitas naturalis in Deo est excellentia naturæ diuinæ, per quam habet omnem perfectionem in toto genere entis. vnde etiam complectitur sanctitatem & benignitatem, aliaque diuina attributa, quatenus ad naturæ diuinæ perfectionem spectant. Cogita infinitam lucem, infinitam potentiam, infinitam sapientiam, infinitam pulchritudinem, infinitam dulcedinem, infinitum gaudium, infinitas opes, infinitam gloriam, infinitam maiestatem, infinitam sanctitatem: hæc omnia continet bonitas diuina, tamquam 2

quam infinitum bonorum omnium pelagus. Neque solùm omne bonum in se continet, sed etiam eminentissimè continet; nimirum non per multas & diuersas formas vel qualitates, sed per vnam simplicissimam & eminentissimam formam, nempe per essentiam suam. Qui modus continendi, omnes eius perfectiones facit infinitè excellentiores, quàm si aliquo modo inter se distinctæ forent.

3 Quod vt meliùs percipiatur, notandum est quadruplex discrimen inter perfectionem Dei & creaturæ, etiam excellentissimæ. Primum, Quòd Deus non habeat perfectionem & excellentiam suam ab alio, sed à se tantùm: ipse enim est primus actus, prima perfectio, & primum bonum independens ab omni alio, fons inexhaustus omnis boni & omnis perfectionis: creatura verò omnem suam perfectionem & bonitatem habet à Deo. Sicut in rebus corporeis sol habet lumen à seipso, id est, non ab alio aliquo corpore; stellæ verò habent lumen à sole.

Quadruplex discrimen perfectionis Dei & creaturæ.

4 Hinc sequitur alterum discrimen, Quòd perfectio Dei sit prorsus illimitata & infinita, creaturæ verò limitata, & adstricta ad certam speciem. Cùm enim perfectio diuina non sit ab alio, non habet à quo limitetur aut mensuram accipiat, ac proinde necesse est manere illimitatam in amplitudine sui conceptus: creaturæ verò perfectio cùm sit à Deo, limitatur secundùm modum quem ei imponit diuina sapientia, sicut omnia opera artis mensuram & modum & terminum accipiunt ab arte opificis.

Cur perfectio Dei sit illimitata.

5 Tertium, Quòd Deus omnem perfectionem suam habeat per simplicem suam essentiam, nulla alia forma vel modo reali accedente: secùs in creaturis. Nulla enim creatura habet omnem perfectionem per suam essentiam, sed opus est infinitis propemodum formis & perfectionibus accessoriis, vt perfecta sit, vt patet in Angelis, quorum tamen natura inter substantias creatas est simplicissima & perfectissima. Vt enim omittam potentias & species intelligibiles, opus est illis plurimis habitibus, & illustrationibus, & actibus tum intellectus, tum voluntatis, vt perfecti sint.

Per simplicem essentiam habet Deus omnem perfectionem.

6 Hinc sequitur quartum discrimen, Quòd diuina perfectio non possit vnquam augeri vel minui. Cùm enim actu habeat omnem perfectionem possibilem, nulla potest ei fieri accessio; & cùm habeat illam per essentiam, & à se, non potest ei vlla fieri detractio; oporteret enim ipsum essentiam suam amittere, vt vel minimum quid suæ perfectionis deserat: creaturæ verò perfectio potest

& sine fine augeri, & vsque in nihilum imminui. Possent enim Angeli sancti & homines beati, Deo ita disponente, crescere sine termino in claritate visionis diuinæ & amore beatifico, & etiam omne bonum suum amittere.

CAPVT II.

Quo modo S. Dionysius explicet hanc bonitatem.

Rationes Dionysij.

DIONYSIVS De diuinis nominibus cap. 13. adfert quatuor ra- 7
tiones, cur Deus dicatur perfectus. Prima, Quia est αὐτοτελὴς,
Quo modo Deus dicitur αὐτοτελὴς. id est *per se perfectus*; quo significatur, illum nõ accepisse perfectionem ab alio, siue vt à causa efficiente, siue vt à causa formali, sicut fit in creaturis, sed habere omnem perfectionem suam à sola simplicissima essentia sua. Vnde ipsius perfectio non consurgit ex accumulatione multarum rerum, sicut in creaturis, quarum nulla potest dici αὐτοτελὴς: sed ex vna re simplicissima, quæ ipsemet est; & ita per se secundùm omne genus perfectionis est perfectissimus.

Quo modo ὑπερτελὴς. Secunda, Quia est ὑπερτελὴς, id est, *superperfectus*, hoc est, omni 8
perfectione conceptibili superior & excellentior. Nihil enim à mente creata tam magnum, tam eximium & excellens potest cogitari, quin Deus infinities sit excellentior & maior. Hoc denotatur illa voce ὑπερτελὴς.

Tertia, Quia non potest augeri vel minui, tamquam omnia anticipata & præcepta per suam essentiam in se continens.

Quarta, Quia ita plenus & superplenus est omnibus bonis, vt 9
veluti fons inexhaustus exuberet & redundet perpetua & incessabili largitione donorum in omnes res creatas. Ὑπερβλύζων, inquit,
Deus assiduè omnia suo influxu perficit. κὴ μίαν τὴν ἄπαυστον, καὶ ταυτὸν, κὴ ὑπερπλήρη, κὴ ἀνελαττωτον χορηγίαν, κὴ δι' ἣν τὰ τέλεια πάντα τελεσιουργεῖ, καὶ ἣ οἰκείας ἑκατοπληροῖ τελειότητος. id est, *Exuberans vna incessabili, & eadem, & superplena & imminuibili largitione, per quam omnia perfecta perficis, & vnumquodque congrua sibi perfectione adimplet.* & paulò antè: Διατείνων ὁπὶ πάντα ἅμα κὴ ὑπὲρ πάντα ταῖς ἀνενδεέστοις ὁπιδόσεσιν, καὶ ἀτελευτήτοις ἐνεργείαις. *Pertingens ad omnia pariter, & supra omnia indefectilibus largitionibus, & numquam finiendis operationibus.* Vnde patet Deum 10
Est auctor omnis perfectionis in omnibus quæ esse habent. dici *perfectum*, quia est auctor omnis perfectionis naturalis & supernaturalis in rebus omnibus, à summis & ipsi vicinissimis, vsque ad extremas, à prima substantia separata vsque ad infimam materiam;

riam; & ipsius radium pertingere ad omnia, idque non semel tantùm, sed assiduè & indesinenter.

11 Neque solùm quia est auctor vt causa efficiens, sed etiam quia est exemplar & mensura omnis perfectionis. In rebus enim creatis dicitur aliquid perfectum in natura, quia est commensum suo exemplari, secundùm quod est conditum in tali specie. Sicut in arte factis id est perfectum, quod exactè respondet conceptui & regulis artis. Vnde ipsum exemplar est per se & in se originaliter perfectum absque respectu ad aliud, tamquam prima perfectionis regula. Itaque ipse *perfectus* dicitur, & tamquam fons, ex quo omnis perfectio naturæ in omnia quæ sunt, manat; & tamquam mensura, ex cuius commensione ipsa perfectionis ratio pendet.

12 Hinc fit vt omnia opera Dei sint summè perfecta, singula in suæ specie. Cùm enim Deus sit in se supremè perfectus in toto genere entis, ita vt nihil illi accedere possit; fecit omnem creaturam in sua specie supremè perfectã, vt nulla ei intra illam speciem possit fieri additio: sicque perfectio summa creaturæ in certa specie est signum summæ perfectionis diuinæ in toto genere entis. *Omnia Dei opera summè perfecta.*

CAPVT III.

Recollectio precatoria, de Bonitate naturali Dei.

13 BONVS Dominus & amabilis valdè, & bonitatis eius non est finis. Non hoc aut illo modo, non hoc vel illo genere boni bonus est Conditor omnis boni, sed absolutè, sine principio, sine fine, sine limite, sine modo, sine mensura omne bonum anticipans, & vnicè complectens.

14 Nemo tibi id prior dedit, vt retribuas ei, & gratiam referas; sed à teipso habes, simplex & primæua bonitas, vnde omnia boni dulcedinem pro suo captu sugunt. Tu enim es ipsa boni plenitudo & vniuersitas, omnis boni fontalis origo, cui omnia à suprema substantia creata vsque ad extremam materiam, omne bonum
15 suum acceptum ferre debent. Nihil illorum per essentiam totum bonum suum obtinet, sed multis opus est vt vel in suo dumtaxat genere & intra limites suæ naturæ sint perfecta & completa. Tu per simplicissimam essentiam omnem excellentiam, omnem perfectionem, omnem beatitudinem, omne bonum possides, nec præter teipsum opus est tibi re aliqua. Illorum bonum angustum est, &

finibus certi generis circumscriptum, adeò vt aliorum bona in se ipsis non comprehendant. vnde & infinitis rebus nobis ad vitam opus est, cùm singulæ parum per se præstent. Tuum verò, hoc est, simplicis essentiæ tuæ bonum est immensum, redundantissimum, ad omnia per se sufficientissimum. Cùm enim sis ipsa primordialis origo omnium, nihil est à quo ratio boni in te limitari aut circumscribi possit. 16 Sicut igitur essentia tua, & potentia, & sapientia infinita est, omni carens limitatione, quia prima, quia à nullo, ac proinde non habens vnde limitetur: ita etiam bonitas & perfectio tua limite caret, quia prima est, nec ab vllo pendens vnde limitationem accipere possit. Omnis enim limitatio rationis per se illimitatæ debet fieri à causa efficiente. Quare cùm perfectiones quæ in te sunt, nullam causam efficientem habeant, necesse est eas omni limitatione carere.

Væ miseris qui extra te per rerum infimarum multiplices classes, & inextricabilem multitudinem, diuitias, voluptates & honores tanto labore, tanta sollicitudine, tanto æternæ salutis periculo quærunt. 17 Poterant hæc omnia in te multò feliciùs & faciliùs inuenire & possidere, non ad hûius dumtaxat vitæ breue momentum, vt hæc mundana; sed per totam æternitatem. In te enim hæc omnia sunt purissima, & simul collecta, & immensa. In te est auri decus, gemmarum pulchritudo, latifundiorum fructus, hortorum amœnitas, palatiorum magnificẽtia, oppidorum opulentia, regnorum gloria. quidquid in his omnibus est suaue, glorioſum, honorificum, amabile, id totum in te copiosissimè, purissimè, vnitissimè & sempiternè continetur, omnibus imperfectionibus quæ in creatis bonis reperiuntur semotis.

In te omnes delitiæ & voluptates, omnes recreationes & amœnitates, 18 omnia solatia & gaudia, omnis pulchritudo & felicitas, omnis beatitudo & consummatio. A te omnia dulcia suam trahunt dulcedinem, & omnia pulchra suam pulchritudinem, omnia lucida suum splendorem, omnia viuentia suam vitam, omnia sentientia suam sensionem, omnia mouentia suum vigorem, omnia intelligentia suam notionem, omnia perfecta suam perfectionem, omnia quomodolibet bona suam speciem & bonitatem.

Tu omnis perfectionis auctor & exemplar, & finis & conseruator, 19 omnem terminans infinitatem, omnem transiliens finem, omnem definiens mensuram, omnem fingens speciem, omnem formans informitatem. Tu per te perfectus, & superperfectus, & ante-

anteperfectus, omnem perfectionem & excellentiam simplici vnitate præhabens.

20 Tu sine quantitate magnus, sine qualitate bonus, sine numero infinitus, sine figura formosus, sine tempore æternus, sine loco immensus, sine extensione diffusus, sine multiplicitate perfectus, sine situ altissimus. Tu centrum vniuersi, ad quod omnia ingenito pondere tendunt, in quo omnia quiescunt, à quo omnia sustentantur. In te omnis amoris illicium, omnis desiderij consummatio, omnis motionis terminus, omnis appetitus satietas.

21 Quanta vis supereminentis bonitatis tuæ, ad cuius vel tenuem radium, vel vmbratilem speciem tanto impetu currit omnis creatura! Singula enim suum quoddam bonum appetunt, & ad illud omni conatu feruntur; quod bonum nihil est aliud quàm vestigium quoddam tenue bonitatis tuæ. Hoc vniuersam creaturam trahit, hoc tantos motus in mundo excitat: quidquid enim in vniuersa creatura mouetur, quidquid agitur, quidquid operatur, boni appetitu mouetur, agitur, operatur. Si vmbra tenuis tanto trahit impetu, quanto trahet ipsa veritas? illa inquam pulchritudo & bonitas infinita clarè conspecta?

22 Trahe mentem meam ad te, ô bonitas immensa! adstringe eam tibi supra creata omnia vinculo insolubili, nexu amoris æterno. Quid enim quæram aut optem extra te, qui omnis boni es plenitudo, & fons, & finis, & suauitas, omni bono melior & excellentior? ergo ceteris neglectis semper te cogitem & amem, tibi inhæream, & in te commorer; te laudem & benedicam, & omnes vires animæ meæ, omnisque vita mea seruiat tibi. Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara mihi sint omnia tua, & tu, Deus meus, supra omnia. Perfice me secundùm altissimum beneplacitum tuum in cognitione & amore tui, & transfer me totum in teipsum, vt vnus tecum spiritus efficiar. Amen.

DE

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER OCTAVVS, DE SANCTITATE DEI.

CAPVT PRIMVM.

Quid Sanctitas, & quomodo sit in Deo.

Sanctitas.

SANCTITAS est *bonitas moralis*, quæ generatim nihil est aliud quàm perfectio morum in actu, vel habitu: quæ etiam in Scripturis *iustitia* vocari solet. Idem enim in Scripturis est *esse iustum*, & *esse sanctum*, *habere iustitiam*, & *habere sanctitatem*. etsi propriè non vocemus sanctos, nisi eos qui in iustitia perfecti. Sicut autem perfectio naturalis in rebus creatis consistit in eo quòd aliquid sit commensum suæ regulæ, secundùm quam est factum: ita perfectio moris in commensione cum lege æterna, secundùm quam oportet operari. Sicut enim conceptus diuinæ mentis seu idea est mensura perfectionis naturalis, seu entitatis in rebus omnibus: ita lex æterna est mensura perfectionis moralis & sanctitatis naturæ rationalis in omnibus operibus bonis. Is enim perfectus est & sanctus, cuius affectus & mores exactè congruunt legi æternæ. 1

Congruentia cum lege æterna est sanctitas.

Sed altioris longè rationis est perfectio diuina: non enim voluntas 2

tas diuina eiusque mores accidentario modo conformes sunt legi æternæ, sed essentialiter & ab intrinseco. neque per varias virtutes, sed per essentiam suam, quatenus ea rationem voluntatis obtinet.

3 Rursus cùm lex æterna oriatur ex ratione diuinæ essentiæ, (quæ sicut est origo primordialis omnis perfectionis entitatiuæ, ita etiam omnis perfectionis moralis, & omnis rectitudinis affectus & moris) fit vt perfectio & sanctitas consistat etiam in coniunctione cum Deo per affectum. Vnde amor Dei est sanctitas. Quare cùm Deus sibi ipse maximè sit coniunctus, tum per naturam suam, tum per affectum amoris, ipse maximè sanctus est. Denique ratio sanctitatis, vt à nobis concipi potest, consistit in puritate animi aliena ab omni contagione & labe peccati, vt docet Dionysius c. 12. De diuinis nominibus: Ἁγιότης μέν ἐστιν, ὡς καθ' ἡμᾶς εἰπεῖν, ἡ παντὸς ἄγους ἐλευθέρα, καὶ παντελὴς, καὶ πάντη ἀκραιφνὴς καθαρότης. *Sanctitas est, vt more nostro loquar, ab omni scelere libera, & omnino perfecta, & omni ex parte immaculata puritas.* Talis autem puritas maxime conuenit Deo.

Coniunctio cum Deo est sanctitas.

4 Deus igitur *sanctus* dicitur multis modis, potissimùm quinque. Primò, Radicaliter, quia essentia diuina est prima radix & originalis fons omnis sanctitatis & puritatis. Ex ipsa enim nostro modo concipiendi & lex æterna, & amor omnis, omnisque puritas in intellectu & voluntate diuina oritur.

Quinque modis dicitur Deus sanctus.

5 Secundò, Obiectiuè; quia est obiectum omnis sanctitatis. Omnis enim sanctitas sita est in amore & coniunctione cum Deo. quare etiam est mensura *totius & ipsius sanctitatis*, vnde nimirum sanctitas suam speciem & modum accipit. Sanctitas enim est puritas. Sicut autem impuritas nascitur ex contactu inferiorum, vt cùm facies aut vestis luto aspergitur, vel cùm anima per affectum inferioribus inordinatè inhæret: ita puritas oritur ex contactu superiorum, cùm affectus ad sublimiora & nobiliora assurgit, & iis inhæret. Supremum autem omnium, & simplicissimum & purissimum est Deus. vnde summa puritas consistit in adhæsione cum Deo. Itaque cùm summa puritas sit sanctitas, Deus est ratio obiectiua & mensura sanctitatis.

Tertiò dicitur sanctus exemplariter, vel in modum regulæ: quia per legem æternam est regula omnis sanctitatis. Conformatio enim affectus cum lege æterna est vera sanctitas.

6 Quartò, Formaliter; sanctitas enim formaliter est puritas affectus: puritas autem affectus est amor Dei; quia est adhæsio cum

eo quod est purissimum & nobilissimum. Quare cùm Deus sit amor sui, ipse hac ratione formaliter est sua sanctitas: & quia se amat infinitè, quantum nimirum est amabilis, ideò quoque infinitè sanctus est. Similiter quia nihil omnino amat nisi propter semetipsum, ideò etiam in amore omnium creaturarum sanctus est. Vnde Scriptura Psal. 144. *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*. Non enim amat eas propter ipsas vltimò, sed propter excellentiam bonitatis suæ; quo in affectu sita est sanctitas. Sanctum enim esse, est amare Deum, & gloriam ipsius in omnibus procurare. Item *sanctus in omnibus operibus suis*; quia omnes eius affectus, & omnes eius operationes exactissimè legis æternæ rectitudini conformantur. Voluntas enim ipsius per se suamque essentiam legi æternæ ex æquo respondet & commensuratur: quia tam perfectè vult rectitudinem, quàm perfectè illam concipit. Vnde sicut intellectio & iudicium rectitudinis est infinitè perfectum, ita quoque amor & affectus rectitudinis est infinitè perfectus, vtpote intrinsecam suam regulam adæquans.

Necessariò odit peccatũ.

Hinc fit vt Deus necessariò oderit peccatum, idque infinito odio. Cùm enim necessariò amet rectitudinem legis æternæ, necessariò odit quidquid huic rectitudini aduersatur: aduersatur autem illi omne peccatum; quia ratio peccati in eo sita est, quòd sit contra legem Dei æternam. Item necessariò amat suam bonitatem & perfectionem; necessariò ergo odit omne peccatum, quod illi bonitati repugnat. repugnat, inquam, non vt forma formæ, sed vt inordinatum & distortum suæ regulæ & mensuræ. Quòd infinito quodam odio illud habeat (de perfecto peccato seu mortifero loquor) colligitur ex istis signis. Primò, Quia priuat hominem idcircò infinito bono, nimirum possessione ipsius Dei. Secundò, Quia infligit infinitum dolorem & ignominiam, nimirum æternos cruciatus. Tertiò, Quia etiamsi quis haberet innumera merita, eorum tamen omnium Deus vel ob vnum peccatum mortiferum obliuisceretur, vt ex Scripturis constat. Quartò, Quia Filium suum ad delendum peccatum incarnari & mori voluit. 7

Signa odij contra peccatum.

Ezech. 18. Rom. 6.

Deus est principium sanctitatis multipliciter.

Quintò, Dicitur Sanctus eminenter & causaliter, tamquam fons & principium omnis sanctitatis & puritatis in creaturis; principium inquam efficiens, formale, exemplare, & finale. *Efficiens*, quia ipse est qui omnem sanctitatem tam in Angelis quàm in hominibus infundit, ipse qui creaturas suas ad se conuertit, peccatorum labes abstergit, gratiæ lucem & omnem virtutem supernaturalem 8

ralem mentibus inserit. *Formale*, quia ipse est omnis sanctitatis ratio obiectiua, speciem & formam illi impertiens. vnde se habet per modum causæ formalis, non informantis, sed altiori modo & absque imperfectione speciem tribuentis. *Exemplare*, quia omnis sanctitas debet conformari legi æternæ (quæ est ipsa rationis diuinæ rectitudo, ac proinde ipse Deus) tamquam regulæ & mensuræ suæ; & sicut opus artis debet conformari regulis artis. *Finale*, quia omnis sanctitas creaturæ dirigitur in Deum eiusque gloriam, vt in finem. Ideò enim omnis creatura sanctificatur, vt Deo tamquam vltimo fini inhæreat, eumque honoret, laudet, & glorificet.

CAPVT II.

Discrimen Sanctitatis diuinæ & creaturarum.

9 Ex his colligere licet multiplex discrimen inter sanctitatem Dei & sanctitatem creaturæ, quantumuis ea sublimis & sancta sit. Primò, Quia Deus per seipsum, nimirum per essentiam suam, sanctus est; siue de sanctitate fundamentali, siue de obiectiua, siue de formali loquamur, vt ex dictis constat. Nulla autem creatura potest esse sancta per suam essentiam: imò nulli creaturæ potest esse naturale, esse filium Dei, esse impeccabilem, habere Spiritum sanctum, videre Deum; quamuis id fiat per qualitates vel actus accessorios. Itaque solùm per dona supernaturalia naturæ superaddita sanctitatem habet.

Secundò, Sanctitas Dei est substantia, sicut & eius sapientia, & amor, & ceteræ virtutes; sanctitas creaturæ est qualitas substantiæ accessoria, eaque multiplex; complectitur enim varios actus & habitus, tum intellectus, tum voluntatis. Intellectus enim debet esse illustratus fide vel lumine gloriæ: voluntas charitate, religione, & aliis virtutibus supernaturalibus charitati subseruientibus. Quamuis enim ipsa propriè & formaliter in charitate consistat, tamen requirit multa alia, vel vt præuia, vel vt subseruientia.

Tertiò, Sanctitas Dei est omnino infinita & intensiuè & extensiuè: tantum enim se amat Deus, quantum est amabilis; tantaque est puritas in amore, quanta est in perfectione essentiæ. Extendit etiam se ad infinita, nimirum ad omnia quæ cernit in sua essentia; illa enim omnia placent ipsi propter semetipsum & gloriam suam. Creaturæ autem sanctitas vtroque modo est finita & limitata: ne-

que enim tam ardenter amare Deum potest quàm ipse dignus est; neque ea æstimatione qua dignus est, neque ad infinita distinctè se potest extendere, ea ad ipsius gloriam referendo.

Quartò, Hinc fit vt sanctitas Dei neque crescere possit vmquam, nec minui. Non crescere, quia est vniuersitas & plenitudo sanctitatis infinita. Non minui, quia est essentialis. Creaturæ verò sanctitas potest crescere sine termino, & potest minui vsque ad nihilum: nempe si naturam rerum spectes, & nisi Deus terminos præfixisset.

Quintò, Sanctitas Dei est superior omni sanctitate & puritate 10
intelligibili, & in ipso præexistit & superexistit ab æterno ipsa sanctitatis ratio & plenitudo supereſſentialiter; adeò vt sanctitas creaturæ ad illam puritatem comparata, sit instar nihili, & veluti impuritas quædam. Simili modo tota potentia, sapientia, pulchritudo, excellentia totius creaturæ ad diuinam potentiam, sapientiam, pulchritudinem, excellentiam collata, est instar nihili. vnde Theologi docent, totum vniuersum vnà cum Deo sumptum, non esse quid præstantius Deo solo; tum quia non addit aliquid notabile Deo, sicut vna arenula non addit aliquid notabile immensitati terræ; tum quia etsi semel productum sit, adhuc continetur in Deo eminenter & idem numero: vnde nihil addit quod in Deo non sit excellentiori modo. Hinc Dominus Matth. 19. *Quid me interrogas de bono? vnus est bonus, Deus.* & Ecclesia in Hymno Angelico, *Tu solus sanctus, tu solus Dominus*: quia in ipso solo vniuersitas boni, & sanctitatis, & dominij; & quidquid extra illum reperitur boni, aut sanctitatis, aut dominij, id totum est instar nihili, comparatione eius quod est in Deo, vtpote infinite ab excellentia illa deficiens.

Sextò, Sanctitas Dei est causa efficiens, & conseruans, & exemplaris, & formalis seu specificans, & finalis omnis sanctitatis creaturæ, vt antè ostensum est.

CAPVT VII.

Tria Consectaria dictorum de Sanctitate.

Ex his quæ dicta sunt patet Primò, Quanta puritate animi, re- 11
uerentia, & attentione illum colere debeamus. Cùm enim sit ipsa puritas & sanctitas, in suis cultoribus summam *puritatem* requirit,

quirit, iuxta illud Leuitici 11. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* non enim summæ puritati potest placere nisi quod purum est. Requirit etiam summam *reuerentiam*: quia sanctitati debetur reuerentia, cùm in ea concipiatur præsentia diuini numinis. Denique summam *attentionem*: quia reuerentia attentionem parit. vnde quantum est reuerentiæ, tantum est attentionis.

12 Secundò, Totum mundum esse veluti templum quoddam Diuinitatis, ipsius præsentia sanctificatum, vt ipsum vbique præsentem spectemus, vbique veneremur, laudemus, honoremus, semperque in eius præsentia, veluti in sacro quodam templo nos versari putemus. Sed maximè templi instar habet anima nostra, quæ toto mundo longè est capacior, & ad cultum diuinum, eiusque in ea habitationem specialiter sanctificata. quare nos introrsum conuertere, & in fundum animæ, vbi Deus habitat, recipere oportet, vt ibi procul à rerum externarum tumultu, in silentio cum ipso versemur, ipsum veneremur & colamus.

13 Tertiò, Vitandos omnes impuros & inordinatos affectus, omnesque animæ labes, quibus templum animæ nostræ violatur & profanatur. Sicut enim certis quibusdam operibus, quæ repugnant sanctitati loci corporalis, violatur templum materiale, fitque cultui diuino ineptum: ita quouis peccato, & maximè impuris cogitationibus & affectibus, violatur templũ spiritale animæ nostræ, fitque ineptum habitationi diuinæ. *In maleuolam* enim *animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et quamuis Deus propter immensitatem essentiæ non possit recedere reipsa, recedit tamen tum affectu tum effectu; quia odit tale habitaculum, nec vult in illud cælestem gratiæ suæ liquorem effundere, sicut sapiens vnguentarius pretiosissimum balsamum vasi impuro numquam infunder. Sap. 1.

CAPVT IV.

Recollectio precatoria, de Sanctitate Dei.

14 SANCTVS, *Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est omnis terra gloria eius.* Ita clamant Seraphim in visione illa mystica, qua gloriæ tuæ specimen & terribile iudicium Iudaicæ execrationis Isaiæ Prophetæ ostendisti. Impleta enim populi illius peccatorum mensura, cùm te in carne venientem repudiarunt, sanctita- Isa. 6.

tem tuam trina compellatione, magno Trinitatis mysterio, ad vin-
Habacuc 1. dictam prouocant. *Mundi enim sunt oculi tui, ne videas malum, & ad iniquitatem respicere non poteris.* Cùm enim sis ipsa sanctitas,
Psal. 5. & 27 summè tibi displicet omne peccatum, ideoque *perdes omnes qui operantur iniquitatem.* Nam sicut luci aduersantur tenebræ, & pulchritudini deformitas, & puritati contaminatio, & vitæ mors, & rectitudini obliquitas, & bonitati malitia, ita sanctitati repugnat & exosum est omne peccatum.

Vnde sicut necessariò sanctitatem tuam summè amas, ita necessariò peccatum summè odisti, & infinita pœna vindicas, nisi misericordia tua infinita præuenerit, & spiritu contritionis afflato, pœnitenti condonauerit. 15

Nemo vmquam tibi nisi per sanctitatem placuit: nemo qui ea præditus & ornatus, tibi vmquam displicuit. hæc sola filios tibi facit, & regni heredes: huic soli consortium gloriæ & beatitudinis tuæ promissum, & ante tempora sæcularia præparatum: ad
Ad Ephes. 1. hanc ab æterno à te *prædestinati sumus in Christo, vt simus sancti & immaculati in conspectu tuo*, & æterna hereditate digni. 16

Non potentiam, non sapientiam, non maiestatis tuæ celsitudinem, sed sanctitatem tuam nos imitari voluisti, cùm sic præcepisti:
Leuit. 11. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Decet enim ipsum puritatis & sanctitatis fontem, omni puritate puriorem, omni sanctitate sanctiorem, ministros habere sanctos, & ab omni peccati labe immunes. Sed vnde nobis, qui luteas domos incolimus, & in terrenis vsu & cogitatione assiduè versamur, tanta puritas, vt dignè in conspectu & obsequiis tuis versari possimus? Si enim cælestes illi spiritus ab omni corporea concretione segregati, & ipsis cælis mundiores, adhuc infinitè absunt ab ea puritate quæ ministerio tuo congruit, quanto nos interuallo ab ea distamus, qui ab illis incomparabiliter superamur? Sed hæc est benignitas tua, quæ seruos suos, licet peccatores, & terrenorum puluere adspersos, non reiicit; sed potiùs ad se allicit, vt labes abstergat, tenebras illuminet, affectus sanctificet, & dignos præsentia vultus tui pro modulo naturæ mortalis efficiat. Non requiris à nobis quod sanctitatis tuæ celsitudini est debitum, sed quod nostræ mortalitatis imbecillitati consentaneum. 17

Tu omnis sanctitatis auctor, & finis, & regula, & exemplar, à quo, ad quem, & ad cuius formam ac similitudinem sanctificantur omnia in cælo & in terra. Totus iste mundus est veluti templum 18

Diui-

Diuinitatis tuæ, tuo cultui consecratum, tua præsentia sanctum, tua gloria plenum, tuis admirandis operibus exornatum, vt ibi te colamus, laudemus, & benedicamus in hac vita, & in futura.

19 Sed sublimior est sanctitas naturæ rationalis, sicut & illustrior est præsentia tua in spiritibus quàm in corporibus; & excellentiùs hi ad te accedere, & tibi coniungi possunt. Nosse enim & amare te, sanctitas est spirituum. Per hæc tu in illis habitas, & illi templum tuum fiunt, multò felicius & augustius quàm vasta hæc mundi machina, quæ tuam præsentiam sentire non potest. Per eadem ad te accedunt, tibique vniuntur vitali vinculo, & in tuam puritatem facessunt. Cognoscens enim transit in cognitum, & amans in amatum. Quare cùm sis purissimus actus, & in supremo gradu spiritalis tenuitatis, vt ita dicam, & puritatis, infinitè eleuatus supra materiam & corporalia omnia, infinitè simplex, infinitè subtilis & spiritalis; necesse quoque ea quæ ad te eleuantur, tibique vniuntur, & vnus tecum efficiuntur spiritus, simpliciora, puriora, magisque spiritalia effici, & ab omni contagione inferiorum remotiora. Hoc autem est illa sanctitas, qua omnes rationales animæ & spiritus Angelici præditi esse debent, vt tibi perfectè placeant.

20 Sed adhuc altior est sanctificationis gradus, cùm nimirum per teipsum absque vllo dono creato sanctificas creaturam, eam supra omnia creata ad te attrahens, & substantialiter tibi in vnitatem hypostasis adstringens. Sic beatissimam Domini nostri humanitatem sanctificasti, vt sicut in illa est plenitudo Diuinitatis, ita sit & sanctitatis.

21 O admirabilem, & omni menti creatæ incomprehensibilem sanctificationem! ô infinitam diuinæ bonitatis dignationem, quæ talem expiationis & sanctificationis fontem humano generi constituit! Ab huius plenitudine omnes accepimus, & quod superest, adhuc mille mundorum peccatis abluendis, & infinitis animabus sanctificandis sufficit. Sic per vnum hominem sanctificantur omnes homines, & ad Deum reducuntur, sicut per vnum à Deo sunt auersi, & peccato inquinati.

22 Et quia rudes sumus, sensibus dediti, sensibilibus immersi, ruditati nostræ te accommodas, per sensibilia nos sanctificans, & contactu corporeo spiritum tuum & spiritalia dona infundens. Stupendum prorsus consilium sapientiæ æternæ, signorum sensibilium contactu, vel vsu, nos ex filiis iræ effici filios Dei, heredes

des vitæ æternæ, consortes diuinæ gloriæ: qui antè eramus omni confusione & morte æterna digni! Mira benignitas & dignatio, rem adeò excelsam & diuinam (per quam Deo similes efficimur, sine qua ei placere non possumus) conferri modo tam humili, per instrumenta tam vilia, nullo vel modico nostro labore aut conatu! Verè sæculum aureum & sæculum gratiæ est tempus istud noui Testamenti, quo tantæ diuitiæ cælestes, tanta bonorum diuinorum copia cernitur in terris, tantaque facilitate comparatur. Verè nunc melliflui facti sunt cæli, & montes stillant dulcedinem, & flumina vino & lacte redundant, & bonorum cælestium apothecæ expositæ sunt inter mortales, ex quibus breui tempore, facili negotio in omnem æternitatem diuites & pares Angelis effici possumus.

Tibi gloria, tibi benedictio & gratiarum actio ab omni creatura in cælo & in terra, ó sanctitatis auctor! tuum hoc est beneficium, tua philanthropia. Tu nobis Sanctum sanctorum dedisti, & in ipso fontem nobis perennem sanctificationis constituisti, *in ablutionem peccatoris & menstruatæ*. Hunc tu per teipsum, tuam sanctitatem illi impertiendo, sanctificasti, & per hunc ceteros. Ab hoc sanctitas omnis manat in symbola externa seu Sacramenta; à symbolis per corpus transfunditur in animam: ab anima redundat in corpus, & in opera interna; ab operibus internis ad externa: vt sic totus homo, totaque vita ipsius sancta tibi deuota & consecrata sit; & ad te summum bonum & vltimum finem, vnde processit, reducatur, & in te quiescat. Sic creaturam tuam ad te reuocas, sic consortio tuo dignam facis. Fac, vt ex hoc fonte assiduè hauriam, assiduè lauer, vt dealbem stolam meam in sanguine Agni. *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Aspergeme hyssopo* in fonte isto intincto in sanguine mystici passerculi, *& mundabor*; inde me laua, *& super niuem dealbabor.*

23

Zach. 31.

Psalm. 50.

DE

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER NONVS,

DE BENIGNITATE ET SIMVL DE AMORE DEI.

POSTQVAM explicuimus diuinas perfectiones, quæ instar modorum absolutorum considerantur in essentia, & eas quæ instar qualitatum absolutarum concipiuntur, nec includunt respectum ad creaturas existentes: superest vt de ijs tractemus, quæ dicunt respectum ad creaturas existentes, vel illum inuoluunt & includunt. Tales poni possunt sex numero: Benignitas, Dominium, Prouidentia, Misericordia, Iustitia, Finis vltimus. Has sex Libris sequentibus persequemur: ac primùm agemus de Benignitate, & simul de Amore Dei, qui ex Benignitate oritur.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Benignitas.

DIXIMVS suprà, triplicem in Deo & natura rationali bonitatem spectari posse, tribusq; modis Deum dici bonum. Primò, Ratione perfectionis naturæ. Secundò, Ratione sanctitatis. Tertiò, Ratione beneficentiæ, quæ bonitas dici potest benignitas. de hac modò dicendum.

Hæc oritur ex prima bonitate, nimirum ex perfectione naturæ. 1
Ex eo enim quòd res sit perfecta in sua entitate, propendet ad sui communionem, sicut vas perfectè plenum ad effusionem sui liquoris. Est autem duplex ista communio; altera naturalis, altera libera. Illa est omnino plena, hæc diminuta: in illa communicatur natura, & constituitur æquale; in hac solùm aliquod naturæ imitamen, adumbratio, vestigium. Itaque cùm diuina essentia sit 2
infinitæ perfectionis & excellentiæ, propendet naturaliter & intrinsecè ad communionem sui infinitam, sicut res inferiores propendent ad procreationem sui similis & æqualis. Verùm quia id quod omnino infinitum est, multiplicari non potest, idcircò diuina essentia non se communicat productione essentiæ similis numero distinctæ, sicut res creatæ faciunt (in quibus essentia quæ est in hoc supposito, producit essentiam numero distinctam in alio) sed largitione sui ipsius, & veluti replicatione, ita vt eadem numero simplicissima natura sit in tribus distinctis numero hypostasibus. Hæc tamen communicatio cùm sit naturalis, propensio ad hanc non dicitur benignitas, sed fecunditas; & ipsa communio non est beneficentia, sed naturalis productio personæ, & communicatio naturæ. *Benignitas* enim respicit communicationem liberam ad inferiora descendentem. Oritur quidem ex infinita & superplenissima Dei bonitate seu perfectione, sicut & fecunditas, estque Deo naturalis, actus tamen ipsius sunt liberi. Est igitur *benignitas* Dei (quæ χρηστότης apud Græcos dicitur) naturalis propensio ad communicandum se inferioribus seu creaturis, pro captu cuiusque. Ex hac prouenit primò & immediatè amor erga creaturas, quo vult illis suorum bonorum communionem; sed maximè erga creaturam rationalem, quæ sola Diuinitatis per intellectum & voluntatem 3

Duplex communio sui.

Communio diuinæ essentiæ.

Benignitas.

Quid sit.

tem est capax. Deus autem potissimùm suam Diuinitatem communicare intendit, & in eum finem naturam Angelicam & humanam condidit, ac gratiæ suæ donis exornauit. Cetera omnia ob naturâ humanam, quæ infinitis adminiculis egebat, fabricatus est. 2. Petri 1,4. Ioan. 17,3. 23,24.

CAPVT II.

Quinam effectus amoris diuini, & quis modus operandi.

4 Ex amore diuino omne bonum creatum profluxit, & vi eiusdem omnia in Deum reducuntur. Sicuti enim amor ex bonitate diuina procedens descendit & exundat ad creaturas; ita rursùs easdem ad diuinam bonitatem conuertit, vt ibi æternùm quiescant vnde profluxerunt, vt pulchrè docet Dionysius De diuinis nominibus cap. 4. p. 1. vbi dicit, *amorem diuinum esse vim motricem & sursum trahentem in Deum, qui solus est ipsum per se pulchrum & bonum.* Item, *esse manifestationem Dei per seipsum, & benignum processum eximiæ illius vnionis, & amatoriam motionem simplicem, per se mobilem, per se innatam, præexistentem in bono, & ex bono in ea quæ sunt exuberantem, & rursum in bonum reuertentem.* quæ verba nobis breuiter exponenda.

5 Primò, Dicit esse *vim motricem*, tum quia Deum mouet vt descendat ad creaturas, eisque sua bona communicet; tum quia ipsas res creatas sursum trahit in Deum. Vnde amor dicitur ἐκστατικὸς, id est, *efficiens extasin*; quia amantem transfert à seipso in amatum, nempe Deum in creaturam, & creaturam in Deum. Verùm etsi Deum moueat ad creaturas, non tamen ipsum sinit in creatis rebus quiescere; sed ab illis retrahit eum vnà cum creatis in seipsum. Nam totum bonum quod confert rebus creatis, statim reflectit, & refert ad seipsum, qui est ipsum per se bonum & pulchrum, quod omnia ad se allicit, & potentissimè trahit.

6 Secundò, Dicit esse ἔκφανσιν, seu *manifestationem Dei per seipsum.* quia cùm Deus lucem habitet inaccessibilem, ita vt nulli creaturæ per se possit esse manifestus, per amorem egreditur extra se, & sic manifestatur creaturis. Amor enim mouet Deum ad quinque modos Egressus. Primò, Ad egressum *per creationem*, qua non solùm rebus creatis illustre vestigium suæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis imprimit; sed etiam naturæ rationali Angelicæ & humanæ vultus sui imaginem inserit. absque hoc egressu maneret prorsus ignotus

tus creaturis: quia sine illo nulla creatura potest existere. Secundò, Mouet ad egressum *per gubernationem*, qua omnia conseruat, mouet, perficit, & ad suos fines dirigit. Ex mundi gubernatione eius præsentia clarè cognoscitur. Tertiò, Ad egressum *per mysterium Incarnationis*, qua Deus factus est verus homo, & corporata est inuisibilis Diuinitas. Hic egressus fuit maximè admirabilis, & maximè ipsius potentiam, sapientiam, sanctitatem, misericordiam, iustitiam nobis patefecit. Quartò, Ad egressum per doctrinam, illuminationem & *iustificationem*; iuxta illud: *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Quintò, Ad egressum per infusionem seu communicationem luminis gloriæ, & renouationem totius Vniuersi; seu per *glorificationem*, qua se apertè manifestabit omnibus Sanctis, & omnia ad se conuertet. Ex his patet, quomodo amor sit manifestatio Diuinitatis. Porrò cùm amor Dei quo seipsum & creaturas amat, sit Deus, quando amor Deum manifestat, Deus seipsum per se ipsum manifestat. *Seipsum* vt summum bonum & pulchrum: *per seipsum* vt per summi boni & pulchri amorem. Hæc mens Dionysij.

Tertiò, Dicit esse *processum benignum eximiæ illius vnionis*: quia amor Dei erga creaturas est processus quidam, & veluti germen amoris Dei quo amat seipsum: sicut amor mediorum est quædam extensio, & veluti surculus amoris ipsius finis: & cognitio effectuum, est quidam processus cognitionis principiorum. *Eximiam illam vnionem* intelligit amorem illum, quo Deus seipsum vt summum bonum & pulchrum amat: hic enim est vnio quædam vitalis Dei ad seipsum.

Quartò, Dicit amorem Dei esse *motionem amatoriam*; quia amor 7
est motio quædam vitalis per seipsam faciens amare, & amantem transire à seipso in dilectum. *Simplicem*, quia amor Dei in se vnicus & simplicissimus est, etsi infinita sint ea ad quæ procedit. *Per se mobilem*; quia amor proposito bono & pulchro per se excitatur. *Per se innatam*, αὐτενέργητον; quia amor diuinus non est ab alio productus in Deo, aut aliunde excitatus, sed ex ipsa Dei benignitate sponte exortus. *Præexistit hæc motio in bono*, &c. quia ante omnem creaturam hic amor est in Deo: & priùs nostro modo concipiendi est in diuina essentia, veluti in causa obiectiua, quàm sit in Deo seu diuina voluntate formaliter; præsertim cùm amor creaturarum sit liberè susceptus. *Ex bono, in ea quæ sunt*, exundat, & rursus in bo- 8
num reuertitur. Vnde idem Dionysius comparat amorem circulo,

& mo-

& motui circulari, qui principio & fine caret, sic inquiens: Ἐν ᾧ καὶ τὸ ἀτελεύτητον ἑαυτοῦ, καὶ ἀναρχον ὁ θεῖος ἔρως ἐνδείκνυται διαφερόντως, ὥσπερ τις ἀΐδιος κύκλος διὰ τἀγαθὸν, ἐκ τἀγαθοῦ, καὶ ἐν τἀγαθῷ, καὶ εἰς τἀγαθὸν ἐν ἀπλανεῖ συνελίττων περιφορᾷ, καὶ ἐν ταὐτῷ καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ προϊὼν ἀεὶ, καὶ μένων, καὶ ἀποκαθιστάμενος. *Qua in re & fine & principio se carere diuinus amor excellenter ostendit, tamquam sempiternus circulus, propter bonum, ex bono, in bono, & ad bonum indeclinabili conuersione circumiens, in eodem, & secundùm idem, & procedens semper, & manens, & remeans.* Amor enim Dei ex abundantia diuinæ bonitatis prodiens, se ad creaturas, maximè ad Angelos & homines profert, easque imagine quadam sui eis impressa, rursus ad diuinam bonitatem conuertit. Et hic circulus est perpetuus, nec vmquam aberrare potest; quia amor Dei assiduè in creaturas tendit, easque in Deum conuertit (vt ipsa conseruatio & gubernatio rerum maximè indicat) nec ab vllo potest impediri. Fit autem hic circuitus amoris propter bonum, ex bono, in bono, & ad bonum; quia amor diuinus oritur ex diuina bonitate, & immediatè in diuinam bonitatem tendit, & propter illam descendit in creaturas, ita tamen vt semper in Deo maneat. Demittit se ad illas, non vt ibi sistat, sed vt eas in fontem boni, vnde exortæ sunt, reducat. Semper ergo procedit à Deo in creata, & semper manet in Deo, & semper in Deum remeat, idque secundùm idem sui, & propter idem.

Circulus in amore.

CAPVT III.

De proprietatibus diuini amoris.

Ex dictis colligimus octo diuini amoris proprietates.

Prima, Quòd eminenter & originaliter præexistat in pulchro & bono, vt Dionysius loquitur: id est, in pulchritudine & bonitate diuina tamquam in ratione obiectiua, & veluti causa, radice, & fundamento.

Octo proprietates diuini amoris.

Secunda, Quòd ex pulchro & bono tamquam fonte prodeat, vt existat iam in Deo formaliter. Hoc enim ipso quo Deus suam pulchritudinem & excellentiam infinitam intuetur, exoritur in ipso infinitum amoris incendium, quo tantum illam amat, quantum amari digna est, id est, infinities infinitè. Pulchrum enim & bonum cognitum statim amorem accendit: vnde infinitum pul-

chr.m & bonum infinitè cognitum, infinitum amorem ciebit: infinitum, inquam, tum ardore, tum æstimatione, seu vt Scholastici loquuntur, infinitum intensiuè & appretiatiuè.

Tertia, Quòd immediatè in pulchrum & bonum se reflectat. Vnde hìc est sempiternus quidam circulus. Pulchrum enim & bonum menti diuinæ propositum, accendit amorem in voluntate, qui amor proximè & essentialiter reflectitur in pulchrum & bonum, trahens in illud voluntatem, eamque totam circa illud occupans. Amor enim est occupatio amantis circa amatum, ipsius amati causa. 10

Quarta, Quòd propter pulchrum & bonum extendat se & descendat ad creaturas; nimirum vt illud creaturis communicet vel totum, vel aliquos eius radios & adumbrationes, pro cuiusque captu & meritis. Quod enim summè amamus, eius præstantiam & pulchritudinem cupimus omnibus innotescere, & eius dulcedinem ab omnibus percipi, vt ab omnibus laudetur. Idem facit amor in Deo. 11

Quinta, Quòd creaturas sursum rapiat, & ad pulchrum bonumque conuertat. Hoc maximè locum habet in Angelis & hominibus: nam cetera diuinam bonitatem & pulchritudinem non capiunt; sed in homine trahuntur quodammodò in Deum cetera; tum quia omnes naturæ gradus in ipso, tum quia cetera omnia propter ipsum. Vnde ipso peccante, cetera quoque afflicta fuere, & seruituti corruptioni ac mutabilitatis subiecta; & ipso ad gloriam erecto, cetera quoque ad gloriam pro suo captu extollentur, vt apertè docet Apostolus ad Rom. 8. Denique, eo ipso quo singula appetunt pulchritudinem & perfectionem suæ speciei congruentem, cernitur in illis vestigium quoddam huius amoris, & tendunt suo modo in ipsum pulchrum & bonum. Ex amore namque diuino impressam habent hanc inclinationem, eamque Deus per bonum & pulchrum particulare, in quod proximè tendit, dirigit in bonum & pulchrum vniuersale, omnis boni & pulchri creati exemplar prototypum. 12

Sexta, Quòd diuinus amor sit extaticus; quia amantem extra se trahit in amatum. Deum enim suæ celsitudinis quodammodò facit obliuisci, & inclinat ad humilitatem nostram, totumque in salutis nostræ negotio occupat. Cuius signum incarnatio, prædicatio, miracula, passio, mors, Sacramenta, missio Spiritus sancti, assidua & admirabilis Ecclesiæ gubernatio, cura & directio singulorum. 13

rum. Hominem similiter extra se ponit, efficiens vt de se suisque commodis non cogitet, sed solùm de Deo & bonis Dei. Vnde magnus Dei amator seipsum abnegat, suis cupiditatibus renuntiat, suas vtilitates negligit, sui obliuiscitur, & totus in ijs est quæ ad Deum pertinent. Est enim cogitatione & affectu totus extra se, & translatus in dilectum. Talis erat S. Ignatius martyr, qui dicebat: Ἔρως ἐμοῦ ἐσταύρωται. *Amor meus crucifixus est.* Talis erat S. Paulus Apostolus: *Mihi*, inquit, *viuere Christus est, & mori lucrum* & iterùm: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Ep. ad Rom. Philip. 1. Galat. 2.

14 Septima, Quòd amor diuinus sit vis vnitiua, ideò enim facit extasim & excessum amantis à seipso, vt illum in amatum transferat, & illi arctissimè vniat, & vnum cum illo efficiat. Sic amor vniuit Deum homini non solùm affectu & cura, sed etiam effectu & substantia, vnione nimirum hypostatica. Hominem verò vnit Deo, ita vt prorsus à seipso deficiens in Deum transeat, & veluti colliqueſcat; nihil amplius cogitans, intelligens, aut sentiens, præter Deum; nihil aliud appetens aut desiderans, nulla alia re gaudens quàm bonis Dei. Qui sic adhæret Deo, vnus efficitur spiritus. quia seipsum exuit, & Deum induit; ac perinde ac si in diuinam naturam transformatus esset, totus cogitatione & affectu est in Deo. Sic omnes Sancti vnum erunt cum Deo (quod Dominus illis precatur Ioan. 17.) quia omnes agnoscent suum nihilum quod ex se sunt, seque nihili æstimabunt, nisi quatenus sunt Dei & propter Deum; & hoc modo penitus à seipsis deficient. cur enim hæreant in nihilo? Deinde intellectu & voluntate potentissimè rapientur in illum, & toti in ipso erunt, & in ipsum veluti liqueſcent & transformabuntur; nihil aliud ibi sentientes & gustantes quàm Deum; nihil aliud æstimantes quàm bonum ipsius, perinde ac si ipsi in Deum essent transmutati.

15 Itaque amor est vis vnitiua, tum quia ipsum amantem transfert in amatum, vt in eo viuat, sentiat, gaudeat; & ipsum illi quodammodò incorporat, vt sit vnum cum illo; (amans enim quantùm in se est, optat à se deficere, & in amatũ veluti colliqueſcere, vt vnum cum illo efficiatur;) tum quia amante iam in dilectum translato, omne bonum dilecto vult, & procurat quantum potest, tamquam sibi ipsi, quia iam vnum est cum illo.

16 Octaua, Quòd motus amoris sit orbicularis, idque dupliciter. Primò, Circa proprium obiectum, quod est ipsum pulchrum & bonum, vt explicatum est in tertia proprietate. Simili modo Dionysius *Circulus in amore.*

nysius ponit circulum in visione beatifica Angelorum : nam ab essentia diuina, quæ est ipsum pulchrum & bonum, descendit in mentem Angelicam lumen gloriæ; ex mente & lumine gloriæ statim oritur visio beata, quæ immediatè reflectitur in pulchrum & bonum, tamquam in suum obiectum & principium.

Explicatur exemplo solis.

Secundò, Est circulus in amore diuino vt se extendit ad creaturas: nam ex bono & pulchro descendit ad res creatas, easque suo attactu accendens, conuertit & reducit secum in idem pulchrum & bonum. Huius illustre exemplum est in sole. Sol enim in rebus corporeis est summum pulchrum & bonum. Vnde rectè quodam loco D. Gregorius Nazianzenus: Ὡς ἄπερ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ἥλιος, οὕτως ἐν τοῖς νοητοῖς ὁ Θεός. *Sicut in rebus sensibilibus est sol, ita in intelligibilibus Deus.* Ex sole descendit calor ad res inferiores, descendit autem per lucem; & priùs res illustrantur quàm calorem concipiant; calore concepto fiunt spiritales, leues, & sursum in cælum vehuntur. Sol est symbolum Dei, lux sapientiæ, calor amoris; res terrenæ, animarum & spirituum. A Deo descendit amor per sapientiam. priùs enim mens illustratur cognitione pulchritudinis & bonitatis diuinæ, deinde per cognitionem concipit amorem. amor conceptus efficit animam spiritalem, cælestem, eamque mox sursum trahit, & Deo coniungit, illique Soli æterno similem veluti quemdam parelium (qui solis est expressa imago) efficit.

CAPVT IV.

Quinque res considerandæ in amore Dei erga hominem.

VT meliùs intelligatur amoris diuini erga nos magnitudo, quinque sunt considerandæ. Primò, Maiestas amantis. Secundò, Qualitas eorum quos amat. Tertiò, Bona quæ illis partim confert, partim offert. Quartò, Modus quo amat. Quintò, Finis propter quem amat. 17

Qualis qui nos amat.

Quod ad Primum attinet, qui nos amat, non est Princeps aliquis terrenus, nec Angelus, sed Deus ipse infinitus, immensus, æternus, infinitæ potentiæ, sapientiæ, sanctitatis, gloriæ, beatitudinis. Et hic amor non est recèns conceptus, sed ab æterno præceptus. Insinuat hoc multis locis Scriptura diuina. Ieremiæ 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te.* Isaiæ 49. *Numquid obliuisci potest mater infantem suum, vt non miseretur filio vteri sui? Et si illa obli-*

ta

ta fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* & alibi. At quanta res est amari à tanta Maiestate? In aulis Principum plerique laborant, & operam in eo ponunt omnem, vt fauorem Principis assequantur: quo obtento gloriantur, beatos se putant, & vix se capiunt; idque tum quia talis fauor & beneuolentia per se magnam illis adfert dignitatem & existimationem apud homines; tum quia inde illis proueniunt honores, præfecturæ, & opes. Si fauor Principis terreni, mortalis, nobis similis, nostrisque miseriis subiecti, tanti æstimatur; quanti censeri debet fauor diuinus? Certè infinitè pluris; cùm Maiestas Dei sit infinitè maior; & dignitas ac opulentia quam confert, infinitis partibus melior & optabilior: nimirum quantum præstant cælestia terrenis, diuina humanis, sempiterna caducis & momentaneis.

18 Secundò, Spectanda conditio eorum quos amat. Hi sunt, si naturam spectes, infimi inter creaturas rationales (sicut enim materia prima est infima inter res corporeas, ita anima inter res spirituales.) Si qualitatem, peccatores, inimici, superbi, ingrati, carnales, cælestium incurij, terrenis affixi, inepti ad omne bonum, proni ad omne malum. Res plane admirabilis, tam vilem & ingratam creaturam tantopere à suo Creatore, atque adeò etiam præ Angelis dilectam. Sicuti si potentissimus Monarcha Æthiopica aliquot mancipia, infimis solùm obsequiis idonea, sæpiùs triremes & mortem commerita, amaret præ patria nobilitate, adoptaret in filios, & omni studio niteretur euehere ad regni sui communionem; quis non miraretur? Supra naturam humanam tot sunt Angelorum ordines, omnes sublimes, spiritales, illustres, omnes sapientia & charitate repleti, omnes in Deum semper intenti, ab omni contagione alieni, omnes cæli ciues naturales; & tamen his omnibus prætulit naturam humanam, rationalis naturæ terminum, terræ ciuem, brutorum sociam, peccatis inquinatam, ignorantiæ tenebris circumfusam, & à rebus diuinis longissimè dissitam: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Meritò dixit Apostolus ad Rom. 5. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est*, &c. & Propheta Regius Psal. 8. *Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Huius

Quales quos amat.

Ad Heb. 2.

in peccatores dilectionis pulcherrimum exemplum refert Dionysius Areopagita epist. 8. ad Demophilum Monachum.

Qualia bona confert.

Tertiò, Spectanda bona quæ nobis partim præparauit, partim dedit. Quorum primum est, Communicatio æternæ beatitudinis & regni sui: vt hanc enim nobis daret, cetera omnia præparauit; hoc bonum est infinitæ æstimationis. Secundum est, Anima rationalis & immortalis, capax tanti boni. Tertium est, Gratia cælestis, qua possimus illam gloriam promereri. Quartum, Corpus idoneum animæ instrumentum, quinq; sensibus instructum. Quintum, Tota mundi machina, cum omnibus opibus & bonis quæ illâ continentur. hæc enim omnia condita propter hominem vt in mundo viuat, rebusque omnibus ad Dei cultum & promerendam Diuinitatem iuuetur. Sextum, Angelica custodia: fecit enim Angelos velut nostros pædagogos, custodes & directores ad salutem. & hæc omnia ante peccatum. Post peccatum, cùm mereremur his omnibus priuari, addidit multò maiora: sed de his infrà, cùm de Misericordia. Quantæ verò æstimationis sint hæc singula bona, vel ex eo patet, quòd nemo integritatem sensuum vel membrorum, quæ tamen sunt ex minimis, vel aureis montibus commutare vellet. Confer cum his quæ mundus dare potest, videbis quàm ea sint parui momenti, quàm tenuia, fluxa, fallacia: & tamen à plerisque plus amatur quàm Deus, plus studij & obsequij illi defertur quàm Deo. O vecordes animas! 19

Modus dilectionis.

Quartò, Considerandus modus huius dilectionis. Diligit enim nos Deus, non solùm vt Princeps subditos, vt dominus seruos; sed vt pater filios. Vnde se patrem à nobis vocari iubet. Vult enim nos facere heredes regni sui, & omnium bonorum suorum participes. Deinde non vulgari modo, vt alij patres solent diligere filios adoptiuos, sed prorsus inaudito & inæstimabili; ita vt Filium suum vnigenitum, æternam Sapientiam, nostram naturam assumere, & in ea verbo & exemplo nos instruere, pro nostris delictis satisfacere, & mortem perpeti voluerit. Vnde ipse Dominus Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret; vt omnes qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic*, tam ardenter, tanta æstimatione, tanti nos fecit. Videtur sanè iste amor summus non solùm intensione & ardore, sed etiam æstimatione & pretio. Non enim Deus in creaturam videtur plus dilectionis potuisse impendere, quàm homini reipsa impendit. Verùm de hoc infrà Lib. XIII. qui de Misericordia. 20

Quintò,

21 Quintò, Considerandus est finis huius dilectionis. Non enim sui commodi causa, sicut Principes sæpè diligunt suos populos & famulos, aut dilexit, sed commodi nostri: nimirum, vt nos regni sui faceret participes, vt inexhaustum lucis & bonitatis suæ fontem in nos deriuaret. Nec obstat, quòd hoc totum referat ad gloriam suam: hoc enim ipsa rerum natura postulat. omnis enim creatura ex essentia sua est quid Dei, & ordinatur ad ipsius gloriam. Sicut enim finis, & vt ita dixerim, felicitas vasis figlini, aut alterius arte facti, est, seruire vsibus humanis; & si statum suum intelligeret, tunc se maximè felix indicaret, quando huic vsui maximè commodaret: ita finis hominis, & totius creaturæ rationalis est, seruire gloriæ Dei, ipsum cognoscendo, amando, laudando, colendo. Itaque quòd Deus totum bonum creaturæ ad gloriam suam referat, nullo modo impedit quin amor ipsius in nos sit sincerissima beneuolentia & amor amicitiæ, velitque nobis bonum, vt nobis benè sit & optimè, absque intuitu sui commodi. Confirmatur; Quia etiam nos totam nostram beatitudinem intrinsecam referemus ad Dei gloriam, eamque pluris faciemus, plus amabimus, plus de ea gaudebimus, vt est bonum quoddam Dei, gloriam eius illustrans, & laudem eius celebrans, quàm vt est bonum nostrum maximis commodis & gaudiis nos afficiens. Id enim rectus ordo postulat, cùm creatura nulla sibi sit vltimus finis, sed solus Deus. Itaque non in se vltimò, sed in Deo quiescere debet eius appetitus. Deinde, quia nos magis felices & beatos censebimus bonis Dei, quàm bonis nobis intrinsecis: amor enim vniet nos cum Deo, & vnum cum eo spiritum efficiet. Vnde nihil magnopere æstimabimus aut amabimus, nisi quatenus est bonum Dei, in eiusque cedit gloriam, quasi alia ratione non magnopere ad nos pertineat. *Finis dilectionis.*

CAPVT V.

Recollectio precatoria, de Benignitate diuina.

22 QVAM suauis & benignus est, Domine, in omnem creaturam spiritus tuus! Tu enim cùm nullius indigeres, tibi ipse sufficientissimus, omnia ex nihilo condidisti, vt singulis, pro captu cuiusque, bonitatis tuæ dulcedinem, & pulchritudinis tuæ specimen impertires. Non commodi aut vtilitatis tuæ causa ea

feciſti, ſed vt ipſis eſſet benè, vt ipſa pro modulo ſuo bonis tuis
participarent, & benignitatis tuæ guſtarent fructum.

Itaque à te omnia ex abyſſo ſui nihili excitantur, accipiunt eſſe 23
adeò omnibus amabile, accipiunt ſpeciem & pulchritudinem, appetitum boni & fugam mali, vires & functiones, impetus & motus, ſitum & ordinem, perfectionem & terminum. Singulis enim donas quod cuique commodum & amabile. Animantibus etiam ſenſum boni & iucundi multiplicem largiris, & beatitudinis quandam vmbram & extremum ἀπήχημα.

Hinc omnia te laudant, tacitiſque vocibus tibi ſacrum hymnum 24
pangunt, quo tuam potentiam, ſapientiam, bonitatem, & pro-
Pſalm.18. uidentiam clariſſimè celebrant. *Cæli* enim *enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.* Sed longè excellentius in 25
noſtro genere hæc benignitas tua elucet. Tu enim nos ad imaginem & ſimilitudinem tuam condidiſti, vultus tui charactere nobis impreſſo, intellectu, memoria & voluntate inſtruxiſti, quibus capaces Diuinitatis, gloriæ, & beatitudinis tuæ effecti ſumus, diuinis præſidiis & ornamentis ad hæc tanta bona promerenda & conſequenda cumulaſti, Angelos in tutelam & directionem aſſignaſti, denique totum mundum cum omnibus bonis & opibus ſuis in domicilium & ſolatium noſtrum feciſti, & nobis tradidiſti. Quid his beneficiis maius, hac benignitate admirabilius cogitari poſſit? præſertim cùm eo conſilio hæc omnia feceris, vt nos in diuinum ſtatum eueheres, beatitudinis tuæ participes efficeres.

Cùm enim omnis gloriæ & beatitudinis ex teipſo ſuperpleniſ- 26
ſimus ſis, non potuit ſe continere benignitas tua, quin tantorum bonorum creaturam ſuam faceret participem. Hinc conſilium condendi Angelos & homines, qui tantæ rei eſſent capaces; & propter homines mundum vniuerſum, & opes eius omnes. Quis vmquam Monarcha terrenus extremæ ſortis mancipia euexit ad communionem regni? Et tamen in his eſt naturæ paritas, & ſolius fortunæ rerumque externarum diſcrimen: nos verò non ſolùm infinitè à te diſtamus naturæ conditione, ſed etiam infimum gradum inter creaturas intelligentes tenemus. Nihilominùs præ cæteris omnibus nos dilexiſti, & diuitias bonitatis tuæ copioſiùs in nos effudiſti. nimirum hoc eſt benignitatis ingenium, demittere ſe ad infima, curare infirma, colligere abiecta, attollere humilia,

&

& vbi maior est inopia, ibi magis suas opes erogare & opem ferre.

27 Verè tu es amor omnipotens, beneuolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, æterna dulcedo, creans mentem ad te participandum, viuificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iustificans ad promerendum, accendens ad zelum, fecundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad beneuolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Sic nos coronas in misericordia & miserationibus, sic vndique beneficiis tuis imples & cingis, vt nobis benignitatem & amorem tuum declares, & ad vicissim amandum excites. S. Bern. l. 5. De consideratione.

28 Nimirum reducere nos per amorem instituisti in nostrum principium, vnire tuæ bonitati & pulchritudini, transformare in teipsum. Nullus erat ad hoc efficacior modus quàm amoris. Amor enim est vis extatica & vnitiua, faciens vt à nobis excedamus, & in te transferamur. Non poteramus in te mutari per naturam, eâ nostro creato saluo manente, sine quo nullius rei sensum, nullam capacitatem boni habere possumus, cùm absque eo mera vanitas simus & nihil. Quod fieri non poterat per naturam, molitus es per amorem. Hunc mille modis in nobis accendis, vt eius ardore in te colliquescamus & absorbeamur, sicut aquæ gutta in vini dolium immissa, in vinum conuertitur, si colorem & saporem spectes, salua manente aquæ substantia. Amor enim facit amantem affectu & sensu à se deficere, & in dilectum mutari, vt nullum inter se & dilectum percipiat discrimen. Ita enim amantem erga dilectum afficit, vt quantum in se est, vi affectus suum esse exuat, vt induat dilectum, vnumque cum illo euadat. Nihil amplius de se suisque commodis cogitat, non secùs ac si iam in natura rerum esse desiisset; sed totus cogitatione & affectu est in dilecto, eiusque dumtaxat bona cogitat, desiderat & procurat. Tunc potest dicere cum Apostolo, *Viuo, non iam ego, viuit verò in me Christus.* Sic amor facit hominem obliuisci sui, à se deficere, sibi mori, & viuere in dilecto. Hoc modo qui adhæret Deo, vnus spiritus cum illo efficitur. Hæc est perfectio & consummatio Sanctorum, & vita æterna, vnum cum Deo per vim amoris effici. Ad Gal. 2.

29 Sic ad exemplar nostrum primæuum reuertimur, in quo ab

æterno exſtitimus, non per eſſe aliquod reale nobis intrinſecum, ſed per vim ideæ & conceptionis mentis diuinæ, quæ facit vt in mente diuina ab æterno extiterimus, vixerimus, & luxerimus, cùm in nobis nihil eſſemus. Hinc per amorem proceſſimus in noſtrum eſſe creatum, ſicut forma domus ab artifice prodit in opus & materiam, & ſicut imago ex mente pictoris in tabulam. Huc rurſus per amorem reducimur, & reducti vnimur, & transformamur in ideam noſtram: ſicut ſi imago è tabula poſſet ſe in mentem pictoris penetrare, & ibidem ſuo exemplari intimè ſe coniungere.

Per amorem ad nos deſcendis, vt amoris in nobis ardorem accendas, & per illum ſurſum corda noſtra rapias, & in te conuertas. Sicut ignis vi ardoris ſui omnia in ſe conuertit, ſic tu ignis conſumens, vi amoris. Accende corda noſtra igne amoris tui, & ea in te conuerte, vt nihil præter te, & tua cogitemus, nihil ſapiamus, nihil ſentiamus, nihil loquamur, nihil optemus. Ille nos excedere faciat à nobis, noſtriſque quaſi non ſimus obliuiſci, & in te migrare, in te commorari, viuere & delectari. Ille vitam noſtram gloriæ tuæ impendere, nulla pericula formidare, nullos labores detrectare. Ille omnia mundana nobis vertat in amaritudinem, & omnia aſpera pro te ſuſcepta in dulcedinem, vt contumeliam putemus gloriam, inopiam diuitias, perſecutiones proſperitatem, infamiam, nominis celebritatem, morbos ſolatia, mortem vitam. Omnia enim huius vitæ mala amore tui tolerata, meliora ſunt omnibus huius ſæculi bonis: ſi enim compatimur, & corregnabimus. Per illum tu nobis ſis vita & refectio, domicilium & poſſeſſio, diuitiæ & gloria, fortitudo & refugium, quies & ſolatium, protectio & ſecuritas, gaudium & beatitas. Amen.

DE

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER DECIMVS, DE DOMINIO DEI.

CAPVT PRIMVM.

Dominium iurisdictionis esse in Deo eminentissimè.

DOMINIVM generatim est duplex: Iurisdictionis, & Proprietatis. *Dominium iurisdictionis* est potestas gubernandi subditos; à tali enim potestate Superiores dicuntur passim Domini. Huius potestatis sunt quinque actus: *præcipere, prohibere, permittere, punire, præmiare.* in his enim consistit tota gubernatio Superiorum. *Præcepto* imponitur obligatio ad aliquid faciendum. *Prohibitione* ad aliquid non faciendum. *Permissione* datur facultas aliquid faciendi vel licitè, vel saltem impunè. *Punitio* est irrogatio mali pœnæ propter malum culpæ. vnde à malo culpæ committendo absterret; & vbi iam commissum est, ordinem iustitiæ violatum instaurat. *Præmiatio* est boni iucundi pro bono honesto retributio. hæc ad bonum patrandum allicit, & patratum maiore bono remunerat.

Dominium iurisdictionis.

Quinque eius actus.

His positis, dico, hoc dominium eminentissimè esse in Deo. Primò

Est in Deo eminentissimè.

Primò, Quia solus Deus habet illud à se, ceteri omnes à Deo, vel mediatè, vel immediatè. Sicut enim solus à se habet ipse subditos, ita solus à se habet in illos auctoritatem & iurisdictionem. Secundò, Quia se extendit ad omnem naturam rationalem, ad omnes Reges & Monarchas, & ad omnes Angelicas cælestesque potestates. Sicut enim omnia ab ipsa essentialiter dependent, ita quoque essentialiter ei sunt subiecta. vnde nihil potest ab eius iurisdictione esse exemptum. Quare meritò dicitur *Rex regum, & Dominus dominantium:* imò ipse solus Rex, ipse *solus Dominus, solus Altissimus*; ceteri omnes sunt subditi, serui, & mancipia. Neque tantùm in omnem naturam rationalem imperium & iurisdictionem habet, sed etiam in naturam irrationalem & insensibilem: omnia enim seruiunt ipsi, eiusque imperium suo quodam modo sentiunt. Vnde cùm Dominus imperauit ventis & mari, facta est tranquillitas magna: Mat. 8. Vbi B. Hieronymus, *Ex hoc loco*, inquit, *intelligimus quòd omnes creaturæ sentiant Creatorem non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed maiestate Conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.* Quis vmquam Regum terræ ventis & mari, vel alteri naturæ insensibili præcipere potuit?

1. Tim. 6.

Tertiò, Complectitur eius iurisdictio omnia loca & tempora. 3 vnde 1. ad Timoth. 1. dicitur *Rex sæculorum.* quia omnibus sæculis & præteritis & futuris dominatur, & vbique tenet imperium, in cælo, in terra, in mari, in inferno. Item Psalmo 144. *Regnum tuum regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Hinc Apocalypsis 5. dicitur: *Omnem creaturam quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas* (Græcè κράτος imperium) *in sæcula sæculorum.*

Quartò, Quia habet amplissimam & illimitatam potestatem 4 præcipiendi & vetandi: posset enim præcipere omnia opera bona nobis possibilia. Vnde omnia sua consilia posset facere præcepta, & imponere nobis omne genus austeritatum & pœnitentiarum, ieiunium, cilicium, chameuniam, flagellationes, & alia huiusmodi vsque ad nostri peremptionem. Posset vetare omnes commoditates & recreationes sub peccato mortali. Denique nihil est adeò leue vel adiaphorum, quin possit illud certa consideratione efficere graue, & suo præcepto necessarium. quòd autem non faciat, sed pauca & facilia mandet quæ ipsa naturæ rectitudo postulat, benignitatis eius est, non iuris & potestatis defectus.

Quin-

5 Quintò, Habet ſummam poteſtatem puniendi: poteſt enim punire non ſolùm in corpore, quouis genere tormenti illud affligendo; ſed etiam in anima, idque pœna acerbiſſima & æterna; nec vlla eſt tanta pœna, quin poſſit infligere maiorem.

6 Sextò, Habet ſummam poteſtatem in remunerando: rependit enim pro obedientia & obſequiis ſibi præſtitis præmium æternum, nimirum gloriæ & beatitudinis ſuæ conſortium. Terreni Principes aulicis & miniſtris ſuis non niſi terrena & externa, quæ ipſi in terra inueniunt, pro omnibus obſequiis dare poſſunt: ſanitatem, robur, pulchritudinem, vitam longam, ſapientiam non poſſunt. Deus autem non ſolùm iſta omnia excellentiſſimo gradu, ſed etiam longè maiora quàm mens capere poſſit, ſeruis ſuis pro exiguis laboribus confert.

Septimò, Non ſolùm ipſius eſt omnia mala punire, & omnia bona remunerari; ſed etiam pœnas & præmia ſingulis taxare & definire. neque enim alterius hac in re præſcriptum, ſed ſuum decretum ſequitur.

7 Ipſe igitur ſupremam in omnes, omni loco & tempore, & quoad omnia iuriſdictionem habet, tamquam *Rex regum, & Dominus dominantium. Ipſe Rex ſæculorum, in cuius ditione omni tempore vniuerſa ſunt poſita, cuius voluntati nemo poteſt reſiſtere.* Ipſe ſupremus legiſlator, à quo omnis lex iuſta deſcendit; qui pro ſuo arbitrio poteſt nobis leges imponere vel laxare; qui omnium culparum pœnas, & omnium meritorum præmia taxauit. Ipſe ſupremus iudex, qui Angelos & homines, viuos & mortuos eſt iudicaturus, & ſingulis pro meritis præmia vel ſupplicia retributurus; qui etiam intimas & occultiſſimas cogitationes noſtras in lucem proferet, diſcutiet, ponderabit; cui de omni verbo otioſo reddituri rationem. 1. Tim. 6. Ibid. 1. Eſther 13.

CAPVT II.

Omnem iuriſdictionem creaturarum deſcendere à iuriſdictione diuina.

8 A DIVINITATE omnis iuriſdictio deſcendit ad creaturas, idque duplici modo: naturaliter, & ſupernaturaliter. *Naturaliter*, in ea quæ ſunt præſtantiora & perfectiora, ad gubernanda inferiora & minùs perfecta. Sic Angelici ſpiritus habent auctoritatem

ad regendum mundum corporeum, maximè hunc inferiorem; & causa suum effectum, vt pater filium, quamdiu directione eget; & agens suum patiens, vt maritus vxorem; denique totum suas partes, nimirum Respublica suos ciues. hoc ipso enim quo multi coëunt in vnam communitatem & Rempub. seu in vnum corpus politicum; hoc corpus iure naturæ habet auctoritatem in singulos, quamdiu sunt eius membra. Neque ad hoc requiritur alius singulorum consensus, quàm qui necessarius est vt huius corporis sint partes & ciues: sicut in corpore naturali eo ipso quo aliquid est pars, subiacet gubernationi illius corporis & Rationis in eo præsidentis. Itaque hæc naturalis iurisdictio seu potestas gubernandi inuenitur in quatuor combinationibus, nimirum in natura spirituali ad corpoream, in causa ad effectum, in agente ad patiens, in toto ad partem. Reliquæ iurisdictiones humanæ descendũt ab istis, non modo naturali, sed hominum placito, idque tripliciter: nimirum, vel ex commissione, vel ex punitione, vel ex conuentione. *Ex commissione* nascitur triplex forma regiminis. Vel enim Respub. libera, cùm per se non possit se totú regere, sua potestate se priuat, & eam committit vni; & tunc est *Monarchia*: vel committit eam pluribus & præstantioribus è Repub. qui absolutè regant, & hæc est *Aristocratia*: vel denique non se priuat, sed eam retinens committit suas vices aliquibus tamquam suis Officialibus, ea tamen vt præcipua quæque (vt condere & abrogare leges, indicere bellum, & imponere vectigalia, & similia) sibi seruet; & hæc dicitur *Politia* & *Respublica*. Possunt autem hæ formæ variis modis misceri inter se & temperari. Nam etiam in Monarchica forma plura vel pauciora Optimatibus vel populo reseruari possunt: similiter in Aristocratica. Quia tamen iurisdictio communitatis est naturalis, numquam ita transfertur in vnum vel plures, quin maneat in populo tamquam in radice; vt per eam possit populus deponere quos sibi præfecit, si iustitiam seruare nolint, & Principatum in tyrannidem vertant, nec aliud remedium suppetat. *Ex punitione*, vt quando vna Respub. læsit aliam, & conuenta de damno vel iniuria non vult satisfacere. Tunc enim si ad arma ventum fuerit, & Respub. læsa superet illam armis, potest eam sibi subiicere, & iurisdictionem ac dominium in eam sibi vindicare. quò pertinet etiam iurisdictio in seruos bello captos. *Ex conuentione*, vt dum inter duas Respub. liberas conuênit certare prælio, vt victa subsit victrici; sicut olim Romani, & modò Barbari faciunt. Atque hi sunt om-

Triplex forma regiminis ex commissione Reip. Aristot. lib. 3. Polit. ca. 5.

omnes modi, quibus iurisdictio naturalis communicatur.

10 *Supernaturaliter* autem à Diuinitate descendit iurisdictio primò & immediatè in humanitatem Christi. Sicut enim femina aliqua, quantumuis sit per se ignobilis & infimæ sortis, eo ipso quo assumitur à Rege in vxorem, eique matrimonio copulatur, accipit quamdam iurisdictionem in totum regnum, quia quodammodò fit vnum cum Rege: ita etiam beatissima Christi anima totaque eius humanitas eo ipso quo assumpta est à Diuinitate in vnionem hypostaticam ad Verbum, accepit iurisdictionem & dominium excellentissimum in vniuersam creaturam, idque duplici lege, Naturali & Positiua. *Naturali*, quia lex naturæ est, vt superiora & præstantiora regant inferiora: illa autem humanitas ratione vnionis Verbi est superior & præstantior omni alia creatura. *Positiua*, quia Deus constituit illam humanitatem, seu Christum, quà homo est, Regem vniuersi, nimirum cæli & terræ. Vnde Matth. 28. dicit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Merebatur enim eius humiliatio, qua *se humiliauit factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis*, vt supra omnia exaltaretur, vt testatur Apostolus ad Philipp. 2. *Supernaturalis iurisdictio.*

11 Hæc tamen potestas non est tam illimitata quàm Diuinitatis, vt per se constat, sed est restricta ad certum finem, nimirum ad salutem generis humani. Cùm enim Christus quà homo, sit Redemptor generis humani, data est ei in humanitate omnis iurisdictio congrua ad perducendos homines ad salutem. Itaque cùm omnia officia & ministeria Angelorum, & totus hic mundi cursus sit propter salutem hominum; (omnia enim sunt propter electos) habet iurisdictionem in omnes Angelos, & in vniuersam naturam corpoream. Vnde potest cuilibet Angelo suum ministerium assignare, & vt hanc vel illam animam, hoc vel illud regnum custodiat, imperare: diabolo vires ad tentandum, ad nocendum in corpore vel animo laxare aut contrahere: circa cœlos & elemẽta varia signa edere, horrendas mutationes efficere, pestem, famem, bellum mortalibus inferre, imperia transferre, & de omnibus regnis, eorumque bonis pro suo arbitratu disponere. Potuit ipse fundamenta Religionis Christianæ (nimirum Sacramenta & Sacrificium) instituere, eorumque numerum, materiam, formam, effectum, modum, & obligationem definire. Ipse mentes hominum illuminare, voluntates ad se conuertere, & peccata omnia etiam absque Sacramentis condonare; ipse quos voluerit saluare potest, singulari Hebr. 1. Rom. 8.

eos gratia dirigendo & protegendo; reprobare seu reiicere à sua cura qui id merentur: quamuis neminem ita deserat aut reiiciat in hac vita, quin relinquat illi satis auxilij vt possit redire ad veniam. Denique ipse horrenda illa signa, quæ exitium vniuersale præcurrent, ad hominum pœnitentiam excitandam patrabit: ipse orbem accendet, & montium fundamenta comburet; ipse Angelos & homines, viuos & mortuos ad iudicium vocabit: ipse singulorum opera & cogitationes omnes discutiet, examinabit, ponderabit, & singulis pro meritis rependet; ipse cataſtrophen mundo imponet, eiusque clausulam efficiet, & regnum futuri sæculi inchoabit. Hæc est iurisdictio Christi Regis & Domini nostri, quæ ex Scripturis manifestè colligitur.

Psal. 109. Dan. 7. Matth. 28. Philip. 2. Apoc. 1. & 5.

Iurisdictio summi Pontificis immediatè datur à Christo, potestas legitima electione.

12 A Christi humanitate descendit immediatè in summum Pontificem. Hic enim non à Cardinalium Collegio, aut ab Ecclesia vniuersali iurisdictionem accipit, sicut Reges à populo; sed posita legitima electione Cardinalium, Christus Dominus immediatè ei iurisdictionem tribuit, & Ecclesiæ gubernacula committit. Non tamen idcircò dici potest summus Pontifex iure humano hanc potestatem habere: quia etsi descendat ab humanitate Christi, tamen confertur à persona Verbi, quæ est Deus. actiones enim sunt suppositorum. Vnde sicuti alia quæ Christus Dominus noster statuit, sunt iuris diuini, vt Sacramenta & Sacrificium: ita etiam auctoritas Pontificia iure diuino constat, & à Deo immediatè datur: 13 nimirum ex vi illius ordinationis, qua statuit vt Petrus, & omnes eius legitimè electi successores, hanc potestatem in totam Ecclesiam haberent. Hæc tamen potestas in Pontifice non est ita illimitata sicut in Christo: non enim summus Pontifex accipit iurisdictionem in Angelos, aut in defunctos; neque etiam directè in infideles, aut in bona temporalia Regnorum; neque ad constituenda Religionis Christianæ fundamenta, aut ad aliquid in illis mutandum, aut ad conferendam gratiam absque Sacramentis. Hæc enim omnia sibi Dominus reseruauit, tamquam pertinentia ad potestatem excellentiæ, quæ media est inter potestatem Diuinitatis & summi Pontificis. Sed accepit omnem potestatem necessariam ad regendam Ecclesiam Christi, iuxta principia & fundamenta à Christo tradita, eamque amplificandam & perducendam ad finem supernaturalem, ad quem ab ipso est instituta. Constituit illum Dominus suum Vicarium in absentia sua corporali, donec veniat ad iudicium, & Ecclesiam suam transferat in cælum. Quod insinuatur

Insinuatur Matth. 16. Ioan. 21.

nuatur illis verbis Matth. 24. *Quis putas est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus eius, inue-*
14 *nerit sic facientem.* Vicarius autem debet habere omnem potestatem sui Ordinarij, quæ prudenti iudicio censetur necessaria ad regendum subditos: alioquin non poterit eos regere sicut Ordinarius, cuius vices gerit: idque maximè necessarium est, quando Ordinarius toto tempore regiminis est procul absens, nec consuli potest per nuntios vel literas. Sicut si Rex Hispaniæ constitueret apud Indos Vicarium perpetuum absque recursu, deberet illi dari auctoritas Regia ad omnia ea quæ sunt opportuna bono publico; nimirum ad condendas leges, ad puniendos quosuis subditos delinquentes, ad indicendum bellum, ad euertendas vrbes rebelles, & similia, quæ ipse cum Concilio suo iudicaret ad bonum regni illius conducibilia. Eodem modo summus Pontifex debet habere omnem potestatem ad faciendum quidquid ipse cum suo Concilio ad bonum Ecclesiæ iudicabit esse expediens.

Potestas Vicarij qualis esse debeat.

15 A summo Pontifice descendit iurisdictio spiritalis seu supernaturalis ad reliquos Ecclesiæ Prælatos certo quodam ordine, mediatè vel immediatè, & in omnes qui quoquo modo ordinariam vel delegatam potestatem habent. Hoc tamen intellige de iurisdictione fori externi, quæ consistit in potestate regendi subditos, per quinque illos actus suprà memoratos. Si enim loquamur de Iurisdictione fori conscientiæ ad absoluendum à peccatis, alia fortè est ratio. Existimo enim, hanc iurisdictionem, quatenus se tenet ex parte causæ efficientis, esse immediatè à Christo Domino per Sacramentum Ordinis Sacerdotalis. Etsi enim per hoc Sacramentum non dentur subditi actu; datur tamen omnis potestas necessaria ex parte causæ efficientis, & operantis remissionem peccatorum. Ratio est, quia potestas remittendi peccata & iustificandi
16 peccatores est sublimissima, & planè diuina, sicut & potestas consecrandi. Quis enim potest remittere peccata, nisi solus Deus? Vnde par non est vt conferatur ab homine, sed immediatè à Christo Domino vi Sacramenti. Confirmatur: Quia si præter hanc potestatem quæ confertur Ordinatione, requiritur alia quædam potestas seu iurisdictio collata sola concessione summi Pontificis, vel alterius Prælati, vt ex illis duabus fiat vna integra potestas actiua absoluendi à peccatis: sequetur, potestatem Ordinis esse mancam, & quasi dimidiatam, seu inchoatam, quæ debeat compleri iurisdi-

Iurisdictio spiritalis à summo Pontifice.

Iurisdictio fori conscientiæ à Christo.

ctione humana: ac proinde integram potestatem absoluendi constare & conflari ex duplici potestate seu iurisdictione, quarum altera sit immediatè à Christo, altera ex concessione Prælati. Quod non videtur rationi consentaneum: longè enim perfectius est, vt tota potestas, quæ effectiuè causat remissionem & iustificationem, sit immediatè à Christo; & iurisdictio illa quæ datur à Prælato, solùm sit veluti applicatio materiæ, & per eam dentur subditi, sine quibus potestas actiua non potest exire in actum. Vnde illa iurisdictio se habet vt necessaria conditio, non vt pars virtutis actiuæ remittendi peccata. Aliud enim est, habere potestatem remittendi peccata necessariam ex parte causæ effectricis; aliud, habere actu subditos, in quos ea vtaris, vt multis exemplis ostendi potest. Verùm fusior de his tractatus non est huius loci. Vide Gabrielem Vasquez tom. 4. De Sacramentis, q. 93. a. 1. dub. 2.

Applicatio materiæ.

CAPVT III.

De Dominio proprietatis, & duobus primariis eius titulis, Creatione & Conseruatione.

Dominium proprietatis.

SECVNDO modo accipitur *dominium* pro iure disponendi de re aliqua pro suo arbitratu; ita vt possit illam consumere, vastare, conseruare, donare, sine cuiusquam iniuria. Sic homo propriè est dominus sui iumenti; quiá habet ius illius vtendi, vel etiam perimendi, prout ipsi placuerit; nec roganti cur illud ita tractet, tenetur aliam reddere rationem, quàm, *Sic placet.* 17

Hac ratione Deus est perfectissimè *Dominus* totius creaturæ. Vnde in Scripturis vbique ferè vocatur *Dominus:* & creaturæ dicuntur esse *ipsius*, ipsi seruire & famulari. 1. ad Tim. 6. *Quem suis temporibus ostendet beatus, & solus potens Rex regum, & Dominus dominantium.* Psal. 88. *Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti.* Psal. 118. *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.* Iob 4. *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem.* Psal. 115. *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.*

Vnde habeat illud Deus.

Habet autem Deus hoc dominium non occupatione, quasi res anteà fuerint adespotæ, & ipse veluti in vacuam mundi possessionem sit ingressus; non donatione, non successione, non emptione, qua ab alio id comparauerit; (quibus modis homines dominia

rerum

rerum comparare solent:) sed longè alijs & sublimioribus titulis, potissimùm quatuor. *Quatuor tituli dominij diuini.*

18 Primus est titulus *creationis*: quia omnia ex nihilo solus creauit, & totum esse rerum omnium sua omnipotentia & sapientia finxit. Hic titulus est præstantissimus, & summum ius tribuit. Non enim potest esse maius ius aut dominium, quàm sit illud quod competit ratione dependentiæ & subiectionis essentialis. Nam quò magis est quid alicui subiectum & ab eo dependens, eò maius ius & dominium hoc in illud habet. Sic homo maius dominium habet in actiones internas quàm externas; quia internæ sunt ei magis subiectæ, & maiorem à voluntate eius dependentiam habent quàm externæ; cùm hæ etiam à membris corporis & rebus externis pendeant. Et in actiones externas sensuum & membrorum maius habet dominium, quàm in fortunas & opes quas possidet; quia illæ maiorem ab eo dependentiam habent, vt quæ ab intrinseco proueniant, hæ verò ab extrinseco. Vnde & actionum dominium non habetur successione, emptione, vel occupatione, sed ab intrinseco manat: opum verò dominium ab extrinseco, titulo aliquo iure ciuili aut gentium recepto, obtinetur; ac proinde modo imperfectiore. Quare cùm dependentia creaturæ à Deo per creationem, sit essentialis & summa, summum dominium & ius Deo tribuit. *1. Creatio.*

Hoc dominium insinuatur apertè Esther 13. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel. Tu fecisti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. Dominus omnium es.* Ex eo quòd ipse omnia condidit, colligit ipsum esse Dominum vniuersorum, & cuncta in eius ditione & potestate esse posita.

19 Explicat hoc dominium Apostolus ad Rom. 9. similitudine iuris quod figulus habet in fictile. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* id est, qui à Deo factorum rationem exigas. *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* vbi ostendit manifestè, Deum habere tantum iuris & potestatis in singulos homines, quantum figulus in vasa fictilia. Vnde sicut figulus potest vas fictile conseruare ad splendorem & ornamentum domus, vel frangere & abiicere in fimetum, vti ad ministeria honesta, vel ad infima & sordida; nec potest illud conqueri de iniuria, aut dicere, Cur sic mecum agis? Ita Deus in singulos homines, imò in omnes creaturas ius habet vt eas vel conseruet, *Exemplum figuli & vasis.*

seruet, vel perimat, & in nihilum redigat; ijs vtatur ad splendida, vel ad abiecta; ornet prosperis, vel exerceat aduersis. Nec quisquam potest queri de iniuria, aut rationem factorum exigere. Imò ius Dei in creaturas est longè maius quàm figuli in vasa fictilia: nam creatura pendet à solo Deo quoad omnia; & quamuis in multis vtatur causis secundis, has ipsemet instituit, & opus ijs non habet: fictile verò non à solo figulo pendet, sed ab argilla ex qua constat, ab aqua qua maceratur & tractabilis redditur, à rota qua formatur, ab igne quo excoquitur; quibus omnibus non minùs quàm figulo debet, qui solùm per motum localem illa applicat, per se autem nihil tribuit. Quòd si ipse habet tantum iuris in fictile propter applicationem causarum quas ipse non fecit, & quæ ab ipso vim non habent; quantum iuris erit Deo in creaturas, qui solus materiam, formam, potentias, qualitates, & ornamenta omnia sua vi contulit?

Maius est ius Dei in rem creatam quàm figuli in vas fictile.

Secundus titulus est *Conseruatio*: non enim satis est creaturam semel fecisse, sed opus est assidua conseruatione vt in esse permaneat. Itaque totus ille impetus & influxus, quem primo creationis momento præstitit, vt rem ex nihilo in lucem & speciem excitaret, debet indesinenter continuari, omnibusque momentis dari: alioquin si vel vnico temporis puncto intermittatur, tota creatura funditus peribit, & in suum nihilum, vnde emersit, relabetur. Sicut vt mundus illustretur, non sufficit solem semel ex se lumen fudisse, sed necesse est vt illud assiduè conseruet, continuando primum influxum. Si enim vel vnico momento vim suam cohiberet, repentè totum lumen extingueretur. Similiter si pondus aliquod in aëre manu suspendas, illud assiduè sursum teneri, & eodem impetu ibi conseruari debet, quo ab initio ibi est suspensum. Idem cernitur in speciebus visibilibus, & in actibus vitalibus. 20

2. Conseruatio.

Hinc rursum oritur summum ius Deo in creaturâ. Quod enim potest ius maius animo concipi, quàm posse omnia in nihilum reducere sola cessatione operationis & beneficentiæ? Nam quid est quod Deum cogit hunc beneficum & substantificum influxum continuare? cui debitor est vt hunc semper præstet? Itaque omni momento potest illum sistere & cohibere: quòd si faciat, ruet tota huius mundi machina in suum centrum, hoc est in nihilum, & euanescet omnis rerum natura.

Porrò ne quis de hac rerum mirabili à Deo dependentia assidua dubitet, aut considerata earum soliditate & firmitate, putet eas semel 21

Probatur ex Scriptura sacra.

mel factas posse per se consistere; ostendam illud non esse Philosophicam speculationem vel opinionem, sed certum Religionis nostræ dogma à Scripturis & Patribus traditum, & firma fide tenendum. Probatur ergo ex Scripturis. Sapient. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* quasi dicat: Cum vbique præsens sit, omniaque conseruet intimè, nihil illum latet, non cogitationes internæ, non occulta murmura, non blasphemæ voces, &c. Et Sapient. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* At si non requiritur continua conseruatio, non est opus illa voluntate vt res permaneant: nihil enim operabitur, & opus semel factum per se stabit, cùm nulla res extrinseca illam possit labefactare. Ad Hebr. 1. *Nouissimè locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq; omnia verbo virtutis suæ.* Hic aperte docet Apostolus, per Filium non solùm condita esse omnia, sed etiam eius omnipotenti virtute omnia portari, sustineri, & veluti sursum in esse & natura suspensa teneri, ne in suum nihil recidant; sicut cùm quis pondus quod portat & suspensum tenet, dimittit, mox id deorsum cadit. Ita hunc locum exponunt Patres. Anselmus, *Portat*, inquit, *omnia, id est, sursum tenet ne decidant, & in nihilum reuertantur, vnde creata ab ipso fuerant: & sustentat ea, non labore & difficultate, sed imperio suæ potentiæ.* Chrysostomus Hom. 2. in Epist. ad Hebr. *Feratq; omnia, id est, gubernet omnia: siquidem cadentia & ad nihilum tendentia continet. Non enim minus est continere mundum, quàm fecisse: sed si oporteat aliquid admirandi dicere, adhuc amplius est. Nam in faciendo, rerum quidem essentiæ productæ sunt; in continendo verò, ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur.* Eadem verba habet Commentarius qui tribuitur Ambrosio. Eodem modo exponunt hunc locum Theophylactus, Haymo, & alij. Ad Coloss. 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Hic rursus Apostolus distinguit *creationem* & *conseruationem*, dicitque non solùm per ipsum, vt per virtutem Patris; & in ipso, tamquam immenso quodam sinu creata esse omnia; sed etiam omnia consistere & conseruari. id enim significat illud: Πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε. Chrysostomus Hom. 3. in hanc Epist. *Quòd verò dicit, In ipsum, quid est? hoc scilicet, in ipsum pendet omnium hypostasis. Non solùm ipse ea ex nihilo ad hoc vt essent produxit, sed & idem ipse nunc quoque ea con-*

seruat & tuetur, ita vt si ipsius cura destituerentur, mox perirent & corrumperentur. Sed non dixit, Conseruat, quod crassius fuisset; sed quod subtilius, nempe quòd omnia in ipsum pendent. Dumtaxat ad ipsum annuere & inclinari satis est ad conseruandum & constringendum; ita & Primogenitus veluti fundamentum est. & infrà: *Ne putes eum esse ministrum, dicit eum omnia conseruare, quòd non minus est quàm omnia creare.*

Anselmus: *Omnia in ipso constant; quia sicut omnia creauit, sic omnia continet & regit. Omnia in ipso constant; quia secundùm immensitatem incircumscriptæ & incomprehensæ Diuinitatis eius, omnia sunt intra ipsum, & ne in nihilum redeant, per eum consistunt.* Eodem modo exponunt ceteri.

Ioannis 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Hunc locum omnes explicant de operatione qua mundum conseruat, & rebus omnibus cooperatur. D. Augustin. l. 4. De Genes. ad literam, c. 12. *Potest etiam intelligi, Deum quieuisse à condendis generibus creaturæ, quia vltrà iam non condidit aliqua genera noua. Deinceps autem vsque nunc & vltrà operatur eorumdem generum administrationem quæ tunc instituta sunt, non vt ipso saltem die septimo potentia eius à cæli & terræ, omniumq; rerum quas condiderat gubernatione cessaret; alioquin continuò dilaberentur. Creatoris namque potentia, causa est subsistendi omni creaturæ, quæ ab eis quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul & eorum cessaret species, omnisq; natura concideret. Neque enim sicut structuram ædium cùm fabricauerit quis, abscedit, atque illo cessante stat opus; ita mundus vix ictu oculi stare potest, si ei Deus regimen suum subtraxerit. Proinde cùm Dominus ait: Pater meus vsque modò operatur, continuationem quandam operis eius, quæ vniuersam creaturam continet & administrat, ostendit.* Idem prosequitur fusiùs, & probat ex duobus Scripturæ locis. Et in Enchiridio cap. 27. *Non sanè Creatoris desistente bonitate, & malis angelis subministrare vitam, viuacemq; potentiam, quæ subministratio si auferatur, continuò interibunt.* Idem docet aliis multis locis.

Ambrosius l. 7. in Lucam c. 13. *Denique vt Deus ab operibus mundi quieuit, non ab operibus, cuius sempiterna & iugis operatio est, sicut Filius ait: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Simili modo explicant hunc locum Chrysost. Hom. 27. in Ioannem, Cyrillus l. 2. in Ioan. cap. 183. Theophyl. in cap. 5. Ioannis, & alij.

Effectus & functiones rerum naturalium Deo tribuuntur.

Præterea sacra Scriptura passim Deo tamquam auctori tribuit operationes & effectus causarum naturalium. Matth. 5. *Qui solem* 22

suum

ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Pſal. 103. & 146. *Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum.* Iob 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu. Nónne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me,* &c. Quibus verbis apertè ſignificatur, Deum non ſolùm vires rerum olim ipſis inſeruiſſe, ſed etiam aſſidue illas conſeruare, & illis immediatè cooperari vt effectus ſuos producant. Primò, Quia alioquin ſolùm remotè & impropriè diceretur hæc facere; ſicut impropriè & remotè dicitur ſol calefacere, dum calefacit me lapis, cui ſol calorem impreſſit. Et ſimili modo poſſemus dicere, omnes rerum generationes fieri à primis mundi indiuiduis, quia fiunt virtute ab illis accepta. Secundò, Quia Dominus intendit nobis commendare quotidianam & aſſiduam Patris cæleſtis beneficentiam, non veterem ſolùm initio mundi exhibitam; vt nos eum, tamquam veri filij quotidie imitemur. Tertiò, Quia Patres ex iſtis locis probant, Deum aſſiduè operari, etiam die Sabbati. quòd ſi ſolùm diceretur illa facere, quia olim res creauit, & talem vim dedit, nullo modo inde ſequeretur, illum operari etiam die Sabbati: ſicut qui horologium diſponit Feria ſexta, quod toto die Sabbati currit, non idcircò dicetur operari die Sabbati. Vide Chryſoſtomum, Cyrillum, & Theophylactum ſuprà. Denique cùm Deus ſolem crearet, nondum erant mali; quomodo ergo ratione iſtius creationis dicitur, quòd faciat ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos? &c.

23 Secundò, Probatur ex Patribus, & præter ſupradictos id clariſſimè tradit Dionyſ. lib. De diuin. nominib. cap. 10. Τὸ μὲν γὰρ (παντοκράτωρ) λέγεται ὡς τὸ πάντων αὐτὸν εἶναι παντοκρατορικὴν ἕδραν, συνέχουσαν καὶ περιέχουσαν τὰ ὅλα, καὶ ἐνιδρύουσαν, καὶ περιειλοῦσαν, καὶ περισφίγγουσαν, καὶ ἀρραγὲς ἐν ἑαυτῇ τὸ πᾶν ἀποτελοῦσαν. καὶ ὡς ἑαυτῆς τὰ ὅλα καθάπερ ἐκ ῥίζης παντοκρατορικῆς προάγουσαν, καὶ εἰς ἑαυτὴν τὰ πάντα καθάπερ εἰς πυθμένα παντοκρατορικὸν ὅπως ῥέφουσαν, καὶ συνέχουσαν ἐν τὰ ὡς πάντων ἕδραν παγκρατῆ, τὰ συνεχόμενα πάντα καὶ μίαν ἐπέχουσαν, πάντα σωζόντων ἀσφαλιζομένην, καὶ ἐκ ἐῶσαν αὐτὰ διεκπεσόντα ἑαυτῆς, ὡς ἐκ παντελοῦς ἐξίας κινήμασι πᾶσι πολέσι. *Omnitenens* (ſic enim videtur hîc vertendum παντοκράτωρ, non *omnipotens*: nam de omnipotentia egerat cap. 8.) *dicitur, quòd ſit omnium ſedes, omnia continens & complectens, & cuncta ſtabiliens, fundans atque conſtringens, & vniuerſum in ſe inſolubile præſtans: & ex ſe veluti ex omnitenente radice cuncta* *Probatur ex Patribus.*

ctæ producens, atque ad se vt ad omnitenens fundum vniuersa conuertens, & continens vt omnium sedes omnicapax; omnia contenta vna præcellenti connexione communiens, neque sinens ea sibi excidere, ne tamquam exactissimo domicilio mota dispereant. His verbis multis modis Dionysius hanc conseruationem explicat, de quibus infrà. Idem cap. 13. Διατεῖνον δὴ πάντα ἅμα, καὶ ὑπὲρ πάντα ἐπὶ ἀνελλείποις δωρεαῖς, καὶ ἀτελευτήτοις ἐνεργείαις. *Pertingens ad omnia pariter, & supra omnia indeficientibus largitionibus, & interminabilibus operationibus.* Idem clariùs verbis sequentibus, vbi dicit, hanc *largitionem esse semper eamdem, & inceßabilem, & imminuibilem.* Eamdem sententiam insinuat multis aliis locis.

Origenes l. 2. Peri archon: *Quomodo in Deo viuimus & mouemur & sumus, nisi quia virtute sua vniuersum constringit & continet mundum?* Et infrà: *Vniuersum mundum virtutis suæ plenitudine replet & continet.*

Damascenus l. 1. cap. 3. De fide orthodoxa: *Creaturæ connexio, conseruatio, & gubernatio, docet nos Deum esse, qui istud vniuersum constituit, & continet, & conseruat, & prouidentia sua regit.* Idem docet cap. 16.

Eamdem sententiam expressè docet Hieronymus contra Pelagianos, & epist. ad Ctesiphontem. quibus locis non solùm docet, ad fidem Catholicam pertinere conseruationem rerum, sed diuinam cooperationem cum omnibus rebus.

Prosper Sententia 277. ex August. lib. 4. De Genesi c. 12. *Creatoris omnitenentis omnipotentia causa est subsistendi omni creaturæ: quæ virtus si ab eis quæ condidit regendis aliquando cessaret, simul omnium rerum species & natura concideret. proinde quod Dominus ait, Pater meus vsque modò operatur, continuationem quamdam operis eius qua simul omnia continet & administrat, ostendit,* &c.

Gregorius l. 2. Moral. c. 12. *Cælum palmo metiens, & terram pugillo concludens, ostenditur quòd ipse sit circumquaque rebus cunctis quas creauit exterior. Per sedem ergo cui præsidet, intelligitur esse interiùs supráque; per pugillum quo continet, exteriùs subterq; signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; & superior per potentiam, & inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens; extrà circumdans, interiùs penetrans. Nec alia parte superior, alia inferior; aut alia parte exterior, atque alia manet interior, sed vnus idemq; totus vbique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens,*

sidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. Hìc inter cetera docet, mundum à Deo sustineri, ne in nihilum relabatur. Idem lib. 16. cap. 18. *Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumq; essentia rursum in nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu sustineret.* & paulò antè: *Sunt enim hæc omnia; sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minimè subsistunt; & nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt.*

Bernardus Serm. 6. in Dedicat. Ecclesiæ: *Est in omni loco, omnia vniuersaliter continens, omniáque disponens.* Idem Præfatione in Psalm. *Qui habitat. Quid enim timendum nobis, si adsit qui portat omnia? Quid est quod totam terræ molem sustinet, & vniuersus orbis cui innititur? Nam si est aliquid quod sustineat omnia, ipsum à quo sustinetur? Non inuenitur nisi virtutis verbum omnia portans. Verbo enim Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et lib. 5. De Consider. *Quid item Deus, sine quo nihil est; tam nihil esse sine ipso, quàm nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. ac per hoc quodammodò solus est ipse, qui suum ipsius est, & omnium esse.* vbi apertè essentialem à Deo dependentiam docet. Et infrà: *Quid est Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia creabiliter, non seminabiliter: per quem omnia, ne alium auctorem, alium opificem arbitreris: in quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute.*

Hugo de S. Victore Tract. 1. Erudit. Theolog. *Indubitanter credimus, Deum vbique essentialiter esse: nec sine eo potest aliquid subsistere, etiam per momentum, ex omnibus quæ fecit; quia omnia continet & penetrat, & à nullo continetur.*

Idem docent omnes Scholastici, nemine excepto, etiam Durandus, vt patet in 1. d. 37. q. 1. etsi enim solus sentiat ex omnibus, Deum non concurrere in operando cum singulis rebus; tamen docet, Deum assiduè conseruare res omnes per se subsistentes, & materiam primam. Idem senserunt Philosophi, præsertim Platonici, qui idcircò docuerunt, mundum semper à Deo fieri, & pendere à Deo, sicut vmbra pendet à corpore, & lumen à sole, vt ostendit Marsilius Ficinus lib. 2. Theol. Platon. c. 7. Idem videtur sentire Aristoteles lib. 1. De cælo, cap. 9. sub finem, cùm ait, *ab æterno & immortali æone dependere esse & vitam aliis perfectiùs, aliis obscuriùs.* in quem locum vide Scaliggrum in Exercitationibus contra Cardanum versus finem.

24 Tertiò, Probatur ratione. Si mundus potest stare sine assiduo *Probatur ratione.*

Dei influxu, & conseruatione, multa sequentur incommoda. Primò, Ipsum non habere essentialem dependentiam à Deo, sed extrinsecam & accidentariam, qualem habet opus ab artifice, & filius à parente. Quod enim essentialiter ab aliquo dependet, semper dependet, & non solùm primo momento quo producitur. Atqui absurdum est dicere, mundum non habere essentialem dependentiam à Deo. sic enim non repugnaret ei, habere esse, & non à Deo, ac proinde vel habere esse à se, vel ab alio principio quod non est Deus, quorum vtrumque implicat. Dico mundum & res omnes habere essentialem dependentiam à Deo, non quòd hæc vel illa particularis dependentia ei sit essentialis; sed quia dependere in genere à Deo, ei essentiale est. Secundò, Mundum minùs à Deo pendere, quàm intellectio aut volitio pendeat ab anima, visio ab oculo, lumen à sole. Hæc enim ita à suis causis pendent, vt assidua conseruatione opus habeant. Tertiò, Minùs pendere à Deo mundum, quàm animalia & plantæ pendeant à sole: hæc enim ferè assiduo solis influxu opus habent; alioquin mox contabescere incipiunt. Imò viuentia magis à sole quàm à Deo pendebunt. Quartò, Res quæ quotidie oriuntur, non magis pendere à Deo quàm à causis suis particularibus. Quintò, Deum esse pænè otiosum in mundo, & mundum non egere ampliùs opera ipsius: sicut domus firmiter extructa, in qua nihil potest labare, non eget ampliùs opera artificis. Sextò, Deum non gubernare mundum, nisi ratione primæ creationis, qua illi vires operatiuas, ex quibus hic cursus rerum ducitur, impressit. Septimò, Deum non posse Angelum, vel materiam primam, vel animam rationalem in nihilum redigere. Non enim id potest creando aliquid positiuum illorum naturæ ita repugnans, vt eam aboleat, quia non sunt formæ subiecto affixæ, vt per alias excludi queant: neque aliquid positiuum fingi potest, quod illis coëxistere nequeant: neque etiam subtractione influxus conseruantis, quia supponit illa sententia, mundum non egere causa conseruante.

Ex his patet, certa fide tenendum esse, res omnes creatas assi- 25
duè à Deo pendere, & eius assiduo influxu egere: & hunc influxum non necessariò à Deo manare, sicut lumen à sole, vt quidam Philosophi imaginati sunt, sed omnino liberè: ac proinde ratione huius Deum summum ius habere in omnem creaturam; cùm omni momento funditus ab illius arbitrio pendeat.

Porrò hæc conseruatio, vt ex prædictis testimoniis colligitur, etsi

etsi vnicâ sit & vnius modi, tamen quadruplici modo concipi potest. Primò, Per modum *sustentationis*, quasi creatura Deo veluti firmissimo fundamento & fundo sit innixa, & ipse eam infernè quasi sustineat, ne in centrum sui nihili recidat. Sic Dionysius suprà Deum vocat *sedem omnitenentem, fundum, fundamentum omnium*. & Gregorius, *Deum esse infra omnia, & subtus creaturam sustentare*. Secundò, Per modum *suspensionis*. Deus enim creaturam ex abysso nihili quasi trahit sursum versus seipsum, ad esse, & ad speciem certam; & in ea illam quasi suspensam tenet, ne in suam abyssum, vnde educta est, recidat. Sic Anselmus suprà, *Portat*, inquit, *omnia, id est, sursum tenet ne decidant, & in nihilum reuertantur, vnde creata ab ipso fuerant*. Idem insinuat verbum *dependere*, *dependentia*. Tertiò, Per modum *influxus* & *subministrationis*. Sic D. Augustinus & Dionysius suprà vocant operationem, largitionem indesinentem, subministrationem *esse* & *naturæ*. Idem significatur, cùm Deus dicitur omnium *esse*, omnium *vita*. Quartò, Per modum *connexionis* & *constrictionis*. Sicut enim res fluxa, nisi assiduè constringatur & connectatur suis partibus, statim diffluit & dissoluitur: ita nisi Deus interiùs constringat & connectat particulas omnes minimas, aut totalitates rei, ipsa tota in nihilum soluetur. Hoc significant Patres, cùm dicunt, Deum omnia continere, & constringere: τὰ πάντα συνέχειν καὶ συνασφίγγειν.

Conseruatio creatorum quatuor modis concipitur.

CAPVT IV.

Vtrùm ad conseruationem rerum sufficiat minor influxus Dei quàm ad earum creationem.

26 VERVM occurrit hîc quæstio Theologo digna, & paulò fusiùs more Scholastico discutienda; vtrùm ad hanc conseruationem sufficiat concursus quidam, seu influxus generalis; an verò opus sit influxu determinato, qualis necessarius est, quando res à solo Deo producitur. Enne sit in istis nominibus æquiuocatio (nam influxus vel concursus generalis interdum vocatur qui est ordinis naturalis, & concursus specialis qui est ordinis supernaturalis) *influxum generalem* hîc vocamus, qui ex parte Dei est indeterminatus ad hoc vel illud genus rerum, sed solùm determinatur quatenus coniungitur concursui determinato causæ creatæ, & cum eo coalescit in vnum totalem & integrum influxum sufficientem ad rei

An influxus generalis sufficiat ad conseruationem rerum.

Influxus generalis.

rei productionem. Sicut cùm Deus vt causa vniuersalis concurrit cum igne ad productionem caloris, præbet quendam concursum generalem, id est, ex parte sua indifferentem ad hanc vel illam speciem rerum, qui solùm determinatur ad productionem caloris, quatenus coalescit cum concursu ignis, qui ex se tendit ad calorem. *Influxum specialem* seu determinatum vocamus, qui ex se, & vt procedit à sua causa, est determinatus ad certam speciem, qualis est influxus ignis ad producendum calorem. Idem cernitur, cùm Deus cum causis creatis, habentibus vim determinatam & in ordine suo sufficientem, concurrit ad productionem effectus, & cum animalibus & plantis ad productionem formæ substantialis & totius compositi: ipse enim præbet concursum ex se indeterminatum, causa creata determinatum.

Influxus specialis.

Opinio quorumdam.

His positis, quidam considerantes rerum quarumdam soliditatem ac permanentiam, putant ad conseruationem rerum non esse opus determinato influxu, sed sufficere concursum generalem, qualis sufficit quando Deus concurrit cum causa creata ad productionem effectus. Vnde etiamsi opus sit determinato influxu Dei quando ipse solus rem producit, non tamen opus esse tali influxu, quando se solo posteà eam conseruat: sicut vt conderet mundum, & Angelos, & cetera omnia, necessarius fuit influxus determinatus: post primum tamen instans creationis talem influxum dicunt non ampliùs fuisse necessarium, sed loco illius sufficisse influxum generalem, qualis est is, quo Deus rebus creatis cooperatur. 27

Fundamentum huius sententiæ.

Fundamentum huius sententiæ est duplex. Primum est: Quia sicut res natura sua habent vires ad operandum, quibus possint suos effectus producere, Deo solùm concursu generali & indeterminato concurrente; ita etiam putant eas habere vires ad sui conseruationem, quibus possint se intimè conseruare, Deo solùm generali concursu ad conseruationem concurrente. Alterum est: Quòd facilius sit aliquid iam productũ conseruare, quàm ab initio producere. Vnde etiamsi ad productionem opus sit pleno & totali influxu, ad conseruationem tamen satis erit semiplenus & partialis.

Hæc sententia etsi pulchrè videatur excogitata, mihi tamen semper visa à veritate aliena, eamque breuiter refutaui lib. 3. De summo bono n. 31. & sequentibus. Verùm quia ibi fundamenta non videntur aliquibus satis clarè explicata, & pauca testimonia fuere adducta, putaui rem totam hîc suo loco rursus examinandam. Vnde

Dico

Dico primò: Eadem actione eodemque influxu quo Deus Angelos & mundum eiusque primarias partes olim produxit, modò etiam conseruat: vnde sicut ille fuit omnino determinatus, ita & iste. Probatur Primò ex Patribus quos suprà attulimus, qui docēt, non minus esse, mundum continere ne in nihilum recidat, quàm illum ex nihilo primùm condere. Ita Chrysostomus Hom. 2. in Epist. ad Hebræos: *Non minus est continere mundum, quàm fecisse: sed si oporteat aliquid admirandi dicere, adhuc amplius est: nam in faciendo, rerum quidem essentiæ productæ sunt; in continendo verò, ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur.* Eadem verba habet Commentarius Ambrosij. Dicit *amplius esse mundum continere & conseruare in suo esse, quàm initio creare & dare esse:* sicut amplius est, pondus aliquod continenter tenere suspensum in aëre, quàm ab initio eleuare: respicit enim ad illud Apostoli, *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Atqui si creaturæ iam conditæ possunt se ipsas tenere in suo esse, & Deus solùm præbet influxum generalem; longè minus est eas conseruare, quàm creare: nam ad sui conseruationem ipsæ cooperantur, & Deus solùm dimidium laborem, vt ita loquar, adhibet. Ad sui creationem non possunt cooperari, sed Deus debet totum per se facere: vnde hîc non adiuuatur, ibi adiuuatur à sua creatura; & ita adiuuatur, vt non ipsi, sed creaturæ assignanda sit propria ratio durationis cuiusque; imò quòd in æternum res durare possit: sicut quando Deus concursu generali cooperatur creaturæ ad productionem effectus, quòd effectus sit huius speciei vel generis, hoc vel illo tempore aut loco fiat; causa propria & primaria huius rei est ipsum agens creatum, non Deus. Longè itaque minus erit Deum res conseruare quàm creare; sicuti longè minus, Deum suo concursu generali cum rebus concurrere ad productionem effectuum, quàm ipsos effectus creare, aut se solo producere. Longè etiā minùs res pendebunt à Deo dum conseruantur quàm cùm creantur; quorum vtrumque sententiæ SS. Patrum non vi-
29 detur consentaneum. Idem Chrysost. Hom. 3. in Epist. ad Colossenses: *Ne putes Filium esse ministrum, dicit eum omnia conseruare, quod non minus est, quàm omnia creare.* At si conseruatio solùm requirit influxum generalem & veluti dimidiatum, verum non erit, *conseruare* non esse minus quàm *creare*, vt ostensum est. Deinde non rectè probabitur contra Arrianos, Filium non esse ministrum Patris in rerum creatione. Cùm enim creatio tribuatur Patri, conseruatio Filio, dicere poterit Arrianus, id ideò fieri, quia Filius est

Eodē influxu Deus mundū conseruat, quo eum à principio produxit.

1. *Probatur ex Patribus.*

Non minùs est mundum conseruare, quā creare.

Ad Hebr. 1.

miniſter Patris in conſeruando mundo ; quia ei tribuitur id quod facilius eſt, poſtquam Pater perfecit id quod difficilius. Vt hoc excluderet Chryſoſtomus, ait non minus eſſe conſeruare, quàm omnia creare ; ac proinde non eſſe miniſtrum, ſed Patri potentiâ parem.

Conſeruatio eſt continuatio creationis

S. Auguſtinus lib. 4. De Geneſi ad litteram cap. 12. *Cùm Dominus ait, Pater meus vſque modò operatur, continuationem quamdam operis eius qua vniuerſam creaturam continet & adminiſtrat, oſtendit.* Si conſeruatio eſt *continuatio operis*, id eſt operationis diuinæ, ergo non diſtinguitur à prima operatione, qua creatura eſt producta. Quòd enim *opus* accipiatur ab Auguſtino pro operatione Dei, perſpicuum eſt ex conſequentibus verbis, cùm ait : *Si ab hac operatione ceſſauerit, eas continuò perituras. ab hac*, nempe qua illas condidit. & infrà: *Non ob aliud in illo ſumus, niſi quia id operatur ; & hoc eſt opus eius quo continet omnia.* & paulò poſt: *Si hoc opus ſuum rebus ſubtraxerit, nec viuemus, nec mouebimur, nec erimus.* vbi manifeſtum eſt per *opus* ſignificari operationem & influxum quo Deus primò res condidit & diſpoſuit in ſuis ſpeciebus & gradibus: quæ operatio ita debet continuari, vt ſi vel ad momentum ceſſet, omnia debeant interire. Manifeſtè ergo repugnat Auguſtino, & Scripturæ, (iuxta Auguſtini interpretationem) dicere, illam actionem qua res ſunt conditæ, non continuari, ſed ſolùm durare ad momentum, & poſteà aliam longè minorem ſuccedere, quæ ſolùm iuuet eas vt ſeipſas in ſuo eſſe contineant.

Creatura à Deo tenetur in eſſe, ſicut pondus in aëre.

Anſelmus in cap. 1. ad Hebræos: *Portat omnia, id eſt ſurſum tenet ne decidant, & in nihilum reuertantur, vnde creata ab ipſo fuerant ; & ſuſtentat ea non labore & difficultate, ſed imperio ſuæ potentiæ.* vbi notandum eſt, conſeruationem rerum explicari ex analogia ponderis quod quis ſuſtinet in ſublimi. Nemo autem dixerit, pondus quod ex ſe, niſi teneatur, deorſum ruit, ſeipſum in aëre ſuſtinere, aut iuuare manum ſuſtinentis, aut minori vi ſuſtineri poſtquam eleuatum eſt, quàm ſit ea vis qua ab initio ſubleuatum fuerit ; aut facilius teneri, quàm eleuari. Alia Patrum teſtimonia vide ſupra cap. 111.

Secundò, ex Doctoribus Scholaſticis & Philoſophis.

Secundò, Probatur ex Doctoribus Scholaſticis. S. Thomas 1. p. q. 104. art. 2. ad 4. *Conſeruatio rerum à Deo non eſt per aliquam nouam actionem, ſed per continuationem actionis qua dat eſſe : ſicut conſeruatio luminis in aëre eſt per continuatum influxum à ſole.* Atqui actio qua dat eſſe, eſt creatio, ergo conſeruatio eſt continuatio creationis.

Idem

Idem manifestũ est exemplo quo D. Thomas & alij Theologi sæpè vtuntur, cùm dicunt, ita mundum pendere à Deo, sicut lumen aëris à sole. Idem a. 2. ad 2. *Sicut nulli effectui præstari potest vt sit causa sui ipsius, potest tamen ei præstari vt sit causa alterius; ita etiam nulli effectui præstari potest vt sit suiipsius conseruatiuus, potest tamen ei præstari vt sit conseruatiuus alterius.* Hic apertè euertitur fundamentum alterius sententiæ, & comparatio qua illa nititur: negat enim S. Thomas, quòd sicut cum concursu generali causa creata potest producere vel conseruare aliam, ita possit conseruare seipsam; imò negat id ei præstari posse diuinitus, sicut nec ei præstari potest vt sit causa suiipsius.

Nulli rei præstari potest vt sit conseruatiua sui directè.

Idem docet Caietanus in illum art. 2. q. 104. *Ea*, inquit, *quæ per se creantur, à solo Deo conseruantur; & in his est necessariò verum, quòd eadem actio est conseruationis & creationis. tales sunt substantiæ immateriales, & omnia ingenerabilia & incorruptibilia.*

Durandus in 2. dist. 1. q. 2. etsi alibi doceat non opus esse concursu generali ad actionem causarum creatarum; tamen ad conseruationem naturæ earum, docet eumdem influxum Dei esse necessarium qui requiritur ad creationem. *Sicut*, inquit, *in diuinis semper verum est dicere, Filius gignitur, & genitus est à Patre: sic verum est dicere de creatura quamdiu existit, quòd creatur à Deo, & creata est. vt sit eadem actio creationis rerum & conseruationis earum.* Et addit ita esse sentiendum, quamuis non solemus sic loqui, *mundus quotidie creatur.*

Mundus semper creatur.

Idem fusè docet Gregorius Ariminensis in 1. d. 45. q. 1. a. 1. concl. 3. allatis multis testimoniis ex Anselmo & Augustino, & in 2. d. 1. q. 6. a. 2. post multa ita concludit: *Quia igitur agens non conseruat nisi continuò producendo seu agendo suum effectum, ideò in quantum conseruat agit, & per consequens potentia conseruatiua est activa.* Nihil ergo habet potentiam conseruandi seipsum nisi per accidens. Nec obstat quòd hic Auctor cum Henrico videtur conseruationem ponere actionem distinctam à creatione, quia vult eam esse actionem determinatam & productiuam effectus. talis autem non est concursus generalis.

31 Scotus in 2. d. 1. q. 5. dicit *quòd res potest dici semper creari quamdiu manet, quia semper accipit esse à Deo.* & d. 2. q. 2. probat ex Augustino, *quòd sicut aër respectu solis non est factus lucidus, sed fit lucidus; ita creatura respectu Dei numquam est vltimatè facta, sed semper fit.* vnde sic argumentatur: *Si creatura respectu Dei non est facta in esse*

ab ipso Deo, sed est quasi in fieri formaliter: ergo formaliter semper ponitur in esse à Deo: & ideò sicut continuè manet, ita continuè est creatio eius à Deo. Idem in 1.d.12. *Creatura semper in essendo æquè pendet à Deo, quia æquè ab ipso per idem velle ipsius habet idem esse. & hoc modo posset dici quòd productio personæ semper est in fieri; quia numquam ista persona habet esse, nisi accipiendo actualiter à producente. & tamen esse personæ, est maximè permanens. Hoc modo esse creaturæ licet sit permanens, tamen respectu Dei, à quo semper æquè pendet, semper est quasi in fieri, hoc est actu dependens à causa dante esse, & numquam in facto esse, hoc est in actu separato & independente à quocumque alio,* &c. Quibus locis Scotus manifestè docet, non minorem influxum requiri ad conseruationem quàm ad creationem. Denique ne singulos recenseam, eadem est doctrina reliquorum Scholasticorum: nec puto quemquam esse qui vmquam aliter senserit, aut ea de re dubitauerit. Idem docet Gabriel Vasquez in 1.p. disp.72. n.11. vbi dicit *continuam rerum conseruationem à Deo esse veram creationem ex nihilo.* & disp. 74. n. 17. *Conseruatio rei secundùm se totam, est vera creatio & productio ex nihilo.* & n.21. *materiam primam continuata creatione nunc conseruari ex nihilo.* atqui concursus generalis & quasi dimidiatus non est creatio ex nihilo, vt omnes fatentur. ergo, &c. Molina in 1.p.q.10.a.5. disp.1 *Per influxum eumdem indiuisibilis actionis qua primò contulit Angelo esse, cum conseruat, & confert illud idem esse toto decursu temporis, quod primò illi contulit; idq; eo ipso, quòd ab indiuisibili actione, qua primò cœpit illi conferre esse, non desistat.* Et infrà, quòd Angelus duret potius in hac parte temporis quàm in illa, & duret continuò & in æternum, non refert in vim conseruatiuam quæ sit in Angelo, sed in actionem diuinam, qua primo instanti Angelus accipit totum suum esse, & conseruatur in æternum. Denique hanc sententiam iuste docet Suarez in Metaphysica disp. 21. tota. vbi inprimis ostendit, conseruationem non eis quæ à solo Deo conseruantur, non distingui à creatione nisi ratione: esse enim eamdem actionem quæ dicatur creatio in primo instanti quo rei tribuit esse; conseruatio verò quatenus toto tempore reliquo continuatur, idem esse conferens. Deinde ostendit, non sufficere concursum generalem ad conseruandam rem productam à causa creata, sed opus esse potentiore influxu, quo suppleatur influxus quem causa creata in primo instanti dedit.

3. Probatur rationibus. Tertiò, Eadem sententia probatur ratione. Primò, Hæc sententia supponit, res omnes creatas quæ à causis creatis non pendent in 32

sui

sui conseruatione, habere vim seipsas conseruandi maiorem vel minorem cum solo concursu generali: quod fundamentum non esse verum, vel ex eo coniici potest, quòd nullus Doctorum talem vim rebus tribuat, nec quisquam mentionem eius faciat. Etsi enim fateantur, quasdam res posse cum concursu generali conseruare alias: negant tamen omnes aliquam rem hoc modo posse conseruare seipsam; nempe, directè suum esse continendo; sed solùm concedunt, eas indirectè & quasi per accidens se posse conseruare. Ita docet S. Thomas 1.p. q. 104. a.2. adhibita hac distinctione, quam ceteri approbant. Vbi notandum, dupliciter posse aliquid conseruari: Primò directè, attingendo ipsum esse seu naturam rei; quo modo sol conseruat lumen in aëre. Secundò indirectè, & ex consequenti, sic aquæ gutta se conseruat ne statim diffluat colligendo se in globulos: & aqua intendit suum frigus circumstante calore, & omnia viuentia augent suum calorem tempore hiberno, & anima in animantibus conseruat calorem, & consequenter seipsam, cùm calor sit necessarius ad vitam, & omnia viuentia conseruant se, alimentum attrahendo, coquendo, & sibi vniendo, vt instaurent quod diffluxit. Nunc quæro, de vtro modo conseruationis loquantur, quando dicunt res creatas habere vim se conseruandi cum solo influxu generali. Si loquantur de priore, hunc omnes Doctores negant, & dicunt, sicut impossibile est vt aliquid suum esse primò producat, ita etiam impossibile esse, vt illud directè conseruet: nihil enim eo modo conseruari, nisi ab ea causa, à qua assiduè pendet esse rei. Si loquantur de posteriore, non benè cohæret sibi hæc sententia. Primò, Quia ponit vim quamdam conseruandi sui in rebus, quæ suppleat influxum determinatum causæ producentis; ita vt non sufficiat cum influxu generali ad plenam & totalem rei conseruationem. ergo debet directè influere in ipsum esse rei, sicut causa determinata influebat in esse rei: alioquin non poterit dici supplere eius defectum, aut sufficere cum influxu
53 vniuersali. Confirmatur; quia nisi influeret directè, non rectè adiungeretur causæ vniuersali, quæ directè influit ad rei conseruationem. Sicut enim cùm creatura dicitur habere vim productiuam effectus cum solo concursu generali, intelligitur posse directè influere (influxu quasi partiali) in entitatem effectus, sic vt cum causa vniuersali constituat vnam integram causam præbentem influxum effectui adæquatum: ita cùm dicitur habere vim conseruandi sui cum concursu vniuersali, intelligendum erit ipsam posse coo-

Nullus Doctorum hanc vim agnoscit, qua quid se directè conseruet.

Duplex modus se conseruandi, directè & indirectè.

perari intimè causæ vniuersali ad sui conseruationem; ita vt simul cum ipsa vnam integram causam conseruantem constituat, quæ influxum adæquatum conseruationi totius rei præbeat: alioquin perit vis comparationis, quia res vere non concurret ad sui conseruationem, sed solus generalis influxus totum faciet; vnde frustrà dicitur, quòd res habeat vim se conseruandi cum influxu generali.

Conseruatio indirecta fit per veram actionem.

Secundò, Quia conseruatio sui indirecta fit per veram actionem qua res producit in se aliquem modum vel formam accidentariam, qua resistat causis corrumpentibus, vt patet exemplis suprà allatis, cùm res se colligunt in vnum, vel intendunt suum calorem aut frigus, aut conseruant calorem per animam, aut alimentis se instaurant, &c. atqui illa conseruatio quam ipsi ponunt, non fit per actionem propriè, vt ipsi dicunt, ne cogantur fateri rem producere suum esse, seu effectiuè in illud influere. qua in re rursus non videntur consequenter loqui: vt enim explicent quo modo res se conseruet absque actione, adferunt exemplum rupis seipsam conseruantis in suo loco ne possit depelli, & hominis erecti se firmantis in suo statu & locò. Rupes enim vel saxum non conseruat se in suo loco nisi vera actione qua se inclinat deorsum. Similiter homo conseruat se erectum vi animæ, mediantibus spiritibus, & sic etiam firmat se in suo vestigio. Itaque exempla illa potiùs contrarium ostendunt; nempe, conseruationem fieri vera actione.

In rebus incura sua incorruptibilibus nulla est vis se conseruandi indirectè.

Tertiò, Quia vis se conseruandi in hac sententia maximè tribuitur rebus simplicibus, vt Angelis, cælis, materiæ primæ. atqui 34
in his nulla est vis se conseruandi indirectè; quia hæc solùm tributa rebus obnoxiis corruptioni. Ergo non possunt dicere, se per vim conseruandi intelligere eam qua res se indirectè conseruat, ac proinde rursum debent relabi ad vim directæ conseruationis, qualem nemo Doctorum agnouit in rebus creatis respectu sui esse: quia videtur omnino impossibilis, & implicare contradictionem; sicut implicat vt aliquid sibi tribuat esse, aut à seipso positiuam dependentiam habeat. Confirmatur: Quia conseruare dicit aliquam causalitatem, vt communiter Doctores asserunt. ergo vel effectiuam, vel materialem, vel formalem. Atqui res non possunt habere vim se conseruandi effectiuè, vt ostensum est, nisi indirectè. Neque etiam per modum subiecti vel materiæ, cùm nulla res sibi sit subiectum vel materia. quod maximè liquet in spiritibus,

bus, in quibus nulla materia. Neque etiam per modum formæ, quia nihil sibi est forma.

35 Dices, Hæc vis se conseruandi nihil est aliud quàm dispositio rei, quatenus non admittit corrumpentia; sicut in ferro, durities & materiæ constipatio conseruat ferrum, ne facilè incalescat. Verùm hæc non est vis se conseruandi, nisi indirectè, nempe resistendo, vel difficulter admittendo impressiones corruptiuas ab extrinseco. Vnde non reperitur nisi in iis quæ ab aliis causis creatis corrumpi possunt; neque supplere potest defectum intimæ & directæ conseruationis; sed solùm iuuat vt res non tam citò corrumpatur à causis contrariis. Quare in rebus illis quæ, nullo modo à à causis creatis perimi possunt, vt in materia prima, in cælestibus corporibus, in spiritibus, & in anima rationali, talis vis se conseruandi non reperitur: frustrà enim ponerentur præsidia resistendi in arce inexpugnabili.

Dices: Frustrà quidem in istis poneretur vis conseruandi se contra alias res creatas, cùm nullius impressionis corruptiuæ sint capaces: non tamen contra pondus quo ex se, influxu diuino subtracto, tendunt in suum nihili; & contra diuini influxus subtractionem. Vnde habent vim se tenendi in suo esse, influxu diuino media ex parte subtracto. Verùm satis ostensum est, talem vim esse impossibilem: nihil enim potest se tenere in suo esse directè, sed solùm indirectè, vt suprà declaratum est: qui modus se tenendi non habet locum in rebus incorruptibilibus. Deinde, cùm pondus ad non esse, nihil sit aliud, quàm rem ex se non habere esse, sed essentialiter pendere ab alio; hoc ipso quo subtrahitur influxus tribuens illud esse, necessariò in suum nihilum relabitur, quantumuis alioquin sit incorruptibile & eximium.

Nulla est vis se conseruandi contra diuini influxus subtractionem.

36 Secunda ratio principalis sumi potest ex concursu generali: hic enim concursus talis est, vt per eum solum impossibile sit aliquid produci; tum quia ex se ad hanc vel illam speciem est indeterminatus, vnde debet determinari à concursu causæ particularis; tum quia etiamsi fingatur à quibusdam determinatus, tamen per se est quasi dimidiatus; ergo etiam per illum solum non potest aliquid conseruari. Consequentia probatur; Quia concursus talis, cùm ex se sit indeterminatus, non magis tendit ad conseruationem huius rei, quàm alterius, sicut non magis tendit ad productionem huius rei quàm alterius; vnde planè per accidens esset huic rei per talem concursum conseruari. Neque dici potest, hunc concursum gene-

Per concursum indeterminatum nihil potest produci.

generalem determinari per concursum particularem, quem ipsa res per se præbet ad sui conseruationem, quia talis concursus & cooperatio nunc refutata est. manet itaque iste concursus indeterminatus ad huius rei conseruationem.

Quòd influxus Dei determinetur ad huius rei conseruationem, non potest prouenire ab ipsa re.

Dices: Determinatur ab ipsa re, quia illi identificatur. Contrà, 37
Numquam concursus vel influxus causæ determinatur à suo termino, cùm sit prior natura vel ratione quàm terminus. vnde ipse terminus ab influxu causæ determinationem accipit: ideò enim terminus productus talis est, quia causa tali modo seu tali influxu in illum influit. Sicut enim causa non determinatur ab effectu, sed contrà: ita etiam actio & productio, qua causa producit vel conseruat, non determinatur ab effectu, quia hic natura posterior est, sed effectui determinationem tribuit. Confirmatur Primò; Quia iste concursus generalis non magis identificatur rei quando illa conseruatur, quàm cùm producitur concurrente causa creata: atqui cùm producitur concurrente causa creata, concursus generalis non identificatur illi adæquatè, sed solùm inadæquatè, sicut gradus entis vel substantiæ identificatur speciei infimæ: vel sicut concursus potentiæ intellectiuæ identificatur visioni beatificæ: quæ identitas non sufficit vt ille concursus dicatur determinatus ad conseruationem talis rei. sicut enim gradus entis vel substantiæ secundùm se non est satis determinatus ad constitutionem hominis, nisi adiungatur illi gradus inferior, qui ex se sit determinatus ad speciem humanam: ita etiam concursus ex se indeterminatus non sufficit ad rei determinatæ conseruationem, nisi adiungatur illi concursus ex se determinatus. Quod etiam patet exemplo concursus intellectus in visione beatifica: cessante enim influxu luminis gloriæ, non potest visio beata conseruari ab influxu intellectus. Confirmatur Secundò: Quia alioquin res non egebit adæquato influxu ad sui conseruationem, sed solùm inadæquato, nempe secundùm rationem entis; non autem secundùm rationem talis entis, verbi gratia, leonis? ac proinde res creatæ, quatenus sunt huius vel illius speciei, non egebunt propria conseruatione; quod videtur absurdum. cur enim magis egeant propria conseruatione secundùm gradum genericum, quàm secundùm gradum specificum? vel si secundùm specificum non egent propria conseruatione, cur secundùm gradum genericum egent? Si ita sunt solidè vt non egeant influxu Dei determinato, cur egent indeterminato?

Res creatæ etiam egent conseruatione vt sunt distinctæ,

Con-

38 Confirmatur Tertiò; Conseruatio Dei, qua per se conseruat res creatas, est vera actio, vt omnes Doctores fatentur: omnis autem actio habet aliquē terminum intrinsecum sibi adæquatum. Nunc peto quis sit terminus intrinsecus adæquatus huius actionis? non enim ipsa res tota secundùm suam speciem dici potest terminus adæquatus huius actionis; quia hæc adæquatur non influxui generali, qui est veluti partialis, sed toti influxui, qui coalescit ex generali & speciali, per quem adæquatè producitur. ac proinde manifestum est eam non esse terminum adæquatum concursus generalis per se sumpti. Imò ex terminis perspicuum videtur, rem particularem quà talis est, non posse esse terminum intrinsecum adæquatum concursus indeterminati. Terminus ergò adæquatus concursus generalis erit aliqua ratio generalis reperta in re, vt ratio entis vel substantiæ quæ per se primò tali concursui respondeat: nihil enim aliud fingi potest. Quo posito, manifestè sequitur, res, quatenus sunt inter se distinctæ secundùm suas proprias species, non egere concursu conseruatiuo Dei, sed solùm secundùm rationem communem entis in qua cōueniunt: quod absurdum est. Sic enim distinctio rerum non penderet à Deo post primum instans creationis nisi per accidens, vt suprà ostensum. Deinde implicat contradictionem, dari aliquam actionem singularem, cuius terminus adæquatus intrinsecus non sit aliquid determinatum. Vnde etiam implicat, dari aliquam actionem totalem, quæ pro termino intrinseco adæquato habeat rationem aliquam indeterminatam; verbi gratia, rationem entis, & non talis entis: rationem animalis, & non talis speciei animalis. Vnde vlteriùs implicat, dari concursum seu influxum generalem sine speciali. quod etiam expressè docet Molina in Concordia q. 14. a. 13. disput. 31. §. *Ad primum ergo.*

Actioni interminatæ non potest esse terminus determinatus.

Ex his duabus rationibus perspicuum videtur, hanc sententiam duplicem vel triplicem inuoluere implicantiam. Primò, Quatenus tribuit rebus vim seipsas directè conseruandi. Secundò, Quatenus ponit, concursum generalem posse existere sine concursu speciali à quo determinatur ad hanc speciem rei. Tertiò, Quatenus statuit res posse conseruari in sua distinctione & determinata natura per influxum secundùm se indeterminatum.

Inuoluit contradictionem duplicem vel triplicem.

39 Tertia ratio principalis sumi potest ex aliis rebus, quæ assiduè à causis creatis dependent; vt sunt, lumen, & obiectorum imagines in aëre, & actus vitales. Ac primùm S. Thomas & passim Doctores tradunt, totum vniuersum ita pendere à Deo, sicut lumen aëris

pendet à sole: neque melior comparatio in rebus inueniri potest. Etsi enim mundus videatur res solida quæ per se stare possit, tamen respectu Dei non plus habet firmitatis, quàm lumen & imagines obiectorum, vt suprà ostensum. atqui lumen ita pendet à sole, vt semper opus sit æquè potenti ac determinato influxu; adeò vt non possit minore influxu conseruari quàm primò productum sit. ergo pari modo nec mundus minore influxu Dei conseruari poterit, quàm sit is quo primò creatus est. Confirmatur; Quia sicut lumen nihil est aliud quàm aërem assiduè illuminari; ita res creata nihil est aliud, quàm assidua creatio & productio in facto esse, vt ostensum est. Vnde rectè Scotus in 2.d.2.q.2.ait, *quamlibet essentiam creatam nihil esse aliud, quàm dependentiam sui à Deo.* omnis enim actio seu productio identificatur suo termino intrinseco, cùm nihil sit aliud, quàm ipsa res considerata vt est in fieri, seu vt emanat à sua causa efficiente: & ipsa res nihil est aliud, quàm productio considerata in facto esse. vnde falluntur qui imaginantur creaturam esse quid solidum realiter ab influxu Dei distinctum, quod permanere possit, Dei influxu in totum vel ex parte subtracto. Non sic concipienda est respectu Dei, sed vt terminus intrinsecus actionis diuinæ: sicut lumen est terminus intrinsecus actionis solis. Impossibile autem est, quando res non solùm in fieri, sed etiam in conseruari à sua causa pendet, terminum intrinsecum actionis permanere, ipsa actione in totum vel ex parte subtracta.

Denique, vt alias rationes omittam, per se parum probabile videtur, Deum statim post primum instans creationis minuere suum influxum, & dare solùm dimidium, vel alium longè minorem quàm antè. Cur enim non poterit idem dici de sole, quando conseruat lumen productum; & de obiectis, quando in aëre diffundunt species seu imagines suas; & de potentiis, quando producunt actus vitales? nimirum hæc omnia post primum instans quo produxerunt suos effectus, minorem influxum præbere quo illos conseruent; quia facilius est productum conseruare, quàm primò producere. Hoc si de his absurdè diceretur, quomodo non absurdum est id asserere de dependentia creaturarum rerum à Deo? Deinde, posita illa sententia, quid fieret si Deus continuaret ipsam actionem creatiuam? quis esset effectus huius continuationis? Si enim conseruatio fit per solum influxum generalem, quid fiet si Deus continuet influxum specialem? an fortè non potest continuare? quis hæc dicet? an idem sæpiùs creabitur? Denique, nihil videtur 40

posse

posse conuenienter dici, nisi rem per talem continuationem influxus conseruari in eodem esse quod ab initio accepit, sicut videmus fieri in lumine.

41 Dico Secundò: Quod attinet ad ea quæ non à solo Deo, sed simul cum causa creata intimè in rei entitatem influente producuntur, ea si manent cessante influxu causæ creatæ, à solo Deo conseruantur determinato & integro influxu, qualis necessarius fuisset, si ipse solus illam produxisset. Hæc propositio ijsdem rationibus probatur quibus præcedens: non enim minùs res illæ egent determinato influxu Dei ad sui conseruationem quando productæ sunt à causa creata, quàm quando à solo Deo, vt per se manifestum est: atqui cùm à solo productæ sunt, egent influxu determinato ad sui conseruationem, nec vllo modo sufficit influxus generalis, vt ostensum est: ergo etiam egent influxu determinato quando productæ sunt à causis creatis, nec vllo modo sufficit influxus generalis. Confirmatur; Quia res dum producuntur egent influxu pleno, determinato, & adæquato; ergo etiam dum conseruantur. Ergo simulatque cessat influxus determinatus causæ creatæ, necesse est illum à Deo suppleri alio influxu determinato, quo res in sua natura determinata conseruetur. nulla enim res seipsam directè conseruare potest, sicut nec seipsam producere, vt satis antè demonstratum est.

Producta à causa secunda, si manet illa cessante conseruantur à solo Deo in influxu determinato.

42 Contra hanc sententiam obiiciuntur aliqua argumenta. Primò, Quòd per illam videatur euerti tota Philosophia. Si enim ex eo quòd videmus res aliquas, cessante causa secunda, statim perire, vt lumen & actus vitales; alias non statim, sed sensim perire, vt calorem & frigus; alias diu, alias semper permanere: si, inquam, non possumus hinc colligere, res illas quæ manent habere vim intrinsecam se conseruandi maiorem vel minorem pro cuiusque conditione; quæ autem statim pereunt, non habere vim vllam; sed ideò illæ permanent, quòd Deus illas proprio influxu conseruet; hæc non permanent, quòd Deus eas, cessante causa secunda, non conseruet: sequitur, nulla experientia effectuum posse colligi vim & conditionem causæ creatæ; verbi gratia, ignem esse calidum, & habere vim calefaciendi intrinsecam, aquam frigidam, ceram mollem, ferrum durum: poterimus enim dicere, non ignem vrere vi intrinseca, sed Deum ad præsentiam ignis, non ad præsentiam aquæ: ceram recipere impressionem, non quia in se mollis, sed quia Deus concurrit; ferrum non recipere, non quia in

Obiectiones partis aduersæ.
1. Obiectio.

se habet duritiem, sed quia Deus non concurrit.

Respondeo, nullo modo id sequi: sicut è contrario non sequitur, Ex effectibus causarum secundarum colligimus eas habere vires intrinsecas ad eos producendos; ergo ex earum duratione qua durunt, cessante causa illarum secunda, colligimus eas habere vires intrinsecas ad se directè conseruandas. Nullus vmquam Philosophorum vel Theologorum talem collectionem fecit: nullam enim speciem probabilitatis habet hæc collectio: Ex eo quòd sol illuminat aërem, rectè colligimus, illum habere vim intrinsecam illuminandi, & non solum Deum esse causam luminis ad præsentiam solis: ergo ex eo quòd sol permanet post sui creationem, oporret colligere, solem habere vim intrinsecam se conseruandi, & non solum Deum illum conseruare. Item, Si solus Deus est causa conseruationis solis, ita vt sol non sit causa conseruationis sui, nec ad eam concurrat; ergo necessariò fatendum est quòd similiter solus Deus sit causa illuminationis ad præsentiam solis, & sol non habeat intrinsecam vim illuminandi. Idem modus argumentandi applicari potest igni, aquæ, calori, frigori, & omnibus causis creatis. hoc argumento maximè nititur sententia aduersa. Optimè colligimus ex effectis vires intrinsecas rebus, & conditionem earum natiuam & intrinsecam: quia vel sensu eas vires percipimus, vel apertis indiciis quæ sub sensum cadunt deprehendimus. dicere autem, sensus nostros in omnibus falli, est tollere omnem veram notitiam ab homine, & totam rerum naturam facere merum præstigium, in quo nihil, quod videtur inesse, reverà inest. His accedit, omnibus notum esse, nihil repugnare quin aliquid possit agere in aliud, & effectum à se distinctum producere. Vnde nullâ subest ratio negandi vires intrinsecas, & veram causalitatem rerum creatarum. Ex rerum autem maiore vel minore permanentia, nemo collegit vmquam, rem vllam habere vim aliquam directè se conseruandi; quia nullo sensu vim illam deprehendere, nec vllis indicijs illam colligere possumus. Nam sicut nulla res potest habere vim qua cooperetur ad sui productionem, ita neque potest habere vim qua cooperetur ad sui conseruationem, nisi indirectè, vt suprà ostensum. Porrò comparatio qua nititur hoc argumentum, requirit veram vim se conseruandi effectiuè intimo influxu in suum esse, vt suprà ostensum est: hæc enim sola potest concurrere cum concursu generali, & supplere vicem causæ creatæ cessantis.

Ex permanentia rerum non possumus colligere, eas habere vires ad se conseruandum.

Obiicitur secundò, Si res ipsæ non habent vires intrinsecas quí- 43

bus

bus se conseruent in esse, tota duratio rerum erit referenda in solam voluntatem diuinam, non in rerum natiuam conditionem: nec poterit alia ratio reddi, cur lumen subtracta causa secunda statim pereat, calor non statim pereat, nisi quia Deus vult conseruare calorem, non lumen. Idem dicendum erit de anima hominis & bruti.

Inest rebus ratio cur postulent conseruari à Deo.

Respondeo, nullo modo id sequi: quia etsi in ipsis rebus nulla sit vis qua seipsas conseruent, tamen inest ipsis aliqua ratio cur postulent conseruari à Deo breuiùs, vel longiùs, vel etiam semper. & ita non est recurrendum ad meram Dei voluntatem. Quęcumque enim talis sunt naturæ, vt etiamsi pendeant à causa creata in fieri, non tamen pendent ab ea in conseruari; ea natura sua postulant conseruari à Deo, vt sunt omnes formæ tum substantiales, tum accidentariæ, quæ permanent cessante influxu causæ secundæ; alioquin frustrà fierent in mundo; nam statim deberent perire. Quæ verò natura sua pendent non solùm in fieri, sed etiam in conseruari à sua causa effectrice; ea non postulant conseruari cessante causa illa. Has duas regulas tradit Suarez in Metaphys. disp. 21. Itaque Deus conseruat calorem, non lumen; quia natiua conditio caloris postulat, vt possit durare amota causa propria; luminis autem conditio id non postulat. Cuius ratio est, quia calor est solida qualitas eiusdem rationis in agente & in passo; lumen solùm est imago alterius qualitatis, nempe lucis præsentis, sicut & species obiectorum. Vnde semper pendet à præsentia suæ causæ, sicut species quibus aër pingitur, à præsentia colorum. Simili modo actus vitales cùm natura sua postulent procedere continuò à suo principio, & in illo recipi; non postulant conseruari illo cessante, sed statim pereunt. Hinc patet cur sit miraculum, si Deus per se conseruet lumen solis in aëre absente sole; non autem sit miraculum, quòd conseruet calorem ab eodem sole in aëre productum. Vide S. Thomam 1. p. q. 104. a. 1.

Dices, Si Deus conseruat calorem influxu determinato, subducta causa producente; ergo calor debet semper durare: si enim causa producens, nempe ignis, semper adesset, semper illum conseruaret. Ergo cùm Deus vicem illius in conseruando subeat, debebit semper conseruare.

Quidquid Deus semel conseruat, semper conseruat, nisi alia causa aliud postulet.

44 Respondeo, concedendo totum, nisi aliqua causa intercueniat, quæ postulet eum non conseruari. Quod enim Deus semel conseruat, semper conseruat, nec vmquam illi suum influxum subtrahit,

nisi aliqua alia causa creata id postulet. Vnde non conseruat res quantum potest, sicut ignis & sol; sed quantum conditio rerum postulat vt fiat actio & passio. Hinc fit vt calori sensim subtrahat suum influxum vi interna subiecti, vel externa causa frigus producente. Sicut enim ex parte causæ efficientis requiritur concursus Dei vt possint res creatæ agere; ita ex parte patientis requiritur vt subtrahat influxum suum qualitati inexistenti, vt contraria qualitas possit imprimi. quam sententiam probauimus lib. 3. De summo bono, n. 43. & eam etiam apertè indicat Ludouicus Torres in 2. 2. disp. 72. col. 906. Quod ad animam bruti & hominis attinet, ideò illa separata non hæc perit; quia illius esse pendet à corpore & corporis dispositionibus, cùm nullam operationem nisi corporalem habeat; vnde non postulat conseruari, sed vniuersali lege debet perire, & influxus conseruatiuus ei subtrahi. (Hinc tamen nulla specie rationis sequitur, quòd ipsa res postulet sui interitum, vel subtractionem influxus conseruatiui.) Huius verò esse non pendet à corpore, cùm habeat functionem spiritalem, vtpote res spiritalis per se subsistens non immersa corpori, nec à corpore pendens; ac proinde incorruptibilis. Id insinuant Patres, cùm dicunt animam esse immortalem, quia est imago Dei. hoc enim ei conuenit ratione intellectus & voluntatis. Denique omnis natura simplex per se subsistens naturaliter est incorruptibilis, siue sit corporea, siue incorporea. Cùm enim sit simplex, non potest dissolui per impressionem qualitatis corruptiuæ, sicut corpora mixta composita ex materia & forma. Et cùm per se subsistat, non potest pendere à re aliqua corruptibili. Sic materia prima & elementa (si hæc ipsa, vt quidam volunt, sunt prima mixtorum materia) & cæli, item Angeli & animæ rationales sunt incorruptibiles, & postulant perpetuam conseruationem.

Cur anima rationalis est immortalis, non brutorū.

Obiicitur Tertiò: Cuique rei inest naturalis appetitus ad sui conseruationem, & ad resistendum contrariis, vt passim Philosophi docent. atqui omnis appetitus sequitur aliquam potentiam circa rem quam appetit; ergo appetitus se conseruandi supponit potentiam se conseruandi. 45

Respondeo, Maiorem & Minorem esse falsam. Maior quidem, quia etsi omnibus rebus, præsertim substantiis, insit appetitus conseruandi se in suo statu naturali, ac proinde habeant ad hæc aliquam potentiam actiuam, vel quasi actiuam, sicut est vis resistendi: non tamen omnibus inest appetitus se conseruandi in suo esse seu enti-

entitate actuali (hæc enim duo multùm differunt) neque resistendi contrariis, cùm multæ contrario careant, vt Angeli, cæli, materia; vnde nec potentiam ad hæc habent. Etsi enim ista habeant appetitum vt semper sint, non tamen vt se conseruent in esse; sed vt conseruentur à causa, à qua dependent, nempe à Deo, quam non possunt vllo modo directè vel indirectè iuuare, sicut res corruptibiles, quæ saltem indirectè iuuant ad sui conseruationem. Hinc patet etiam, Minorem falsam esse. appetitus enim qui est in rebus incorruptibilibus vt semper sint, non sequitur potentiam conseruandi quæ in ipsis sit, sed eam quæ est in Deo, à cuius influxu pendent assiduè: qui influxus lege naturæ est perpetuus & necessarius, eò quòd ista neque contrarium habeant, neque ab vllo contrarium habente pendeant.

In Angelis & cælis non est appetitus vt se conseruent in esse, sed vt conseruentur à sua causa.

46 Obiicitur Quartò: Facilius est aliquid conseruare, quàm producere: atqui hoc non potest aliunde prouenire, quàm quòd res producta seipsam ex parte conseruet, & causæ producenti dimidium laborem relinquat. ergo, &c.

Respondeo: Si loquamur de conseruatione directa per internum influxum, Antecedens est manifestè falsum, vt patet in productione luminis, & omnium eorum, quæ per se non solùm in fieri, sed etiam in conseruari à sua causa productiua pendent, vt sunt omnes res creatæ quæ à solo Deo conseruantur: hæc enim pendent à Deo multò magis, quàm lumen à sole. Vnde non est facilius eas conseruare in esse, quàm primùm producere, vt aperte docent sancti Patres. Si verò loquamur de conseruatione indirecta, quæ fit amouendo corrumpentia, vel applicando iuuantia; sic facilius est conseruare quàm producere: facilè enim homo equum vel ouem conseruat, quæ tamen nullo modo ipse potest producere. Sed talis modus conseruandi nihil ad rem facit, neque potest supplere defectum influxus interni causæ à qua essentialiter secundùm suam speciem & naturam indiuiduam pendent.

Non est facilius aliquid conseruare directè, quàm producere.

45

47 Obiicitur Quintò: Si Deus influxu determinato res conseruat cessante causa secunda, ergo etiam in anima conseruat hoc modo habitus vitiorum, etiam odij in Deum, quod videtur absurdum: quia per se non posset istos habitus producere, ergo nec per se conseruare.

Respondeo, concedendo quod infertur. Neque id magis est absurdum, quàm quòd concurrat ad actus ipsos peccatorum concursu generali: sicut enim ad munus auctoris naturæ pertinet co-

ope-

operari suo influxu etiam ad actus peccatorum vt homini constet plena libertas; ita ad eiusdem munus pertinet conseruare effectus productos, etiam noxios, quando illi à sua causa propria in conseruari effectiuè non pendent. Neque id absurdum videri debet, quia isti habitus sunt reales qualitates naturaliter productæ ab actibus, non quatenus actus sunt peccata; (sic enim solùm producunt quid morale remanens in anima, quod vocamus peccatum, vel culpam habitualem:) sed quatenus sunt actus vitales animæ, & verè qualitates vitales. Nec obstat, quòd non deceat Deum tales habitus per se in anima producere; quia illorum conditio naturalis postulat produci ab actibus: nec vlla est ratio, cur Deus illos per se producat, cùm naturæ rationali sint noxij, & ad malum illam inclinent. posset tamen producere, si potentiam spectemus. Subest tamen iusta ratio, cur deceat ipsum per se conseruare habitum prauum ab actibus malis productum: quod etiam fateri debent illi, qui ad hanc conseruationem non requirunt influxum determinatum, sed solùm generalem.

Conseruatio habituum primorum pertinet ad munus Auctoris naturæ

Ex his perspicuum videtur Primò, secundùm veram Philosophiam & Theologiam tenendum esse, mundum non minore influxu à Deo conseruari in esse, quàm quo primùm conditus est, sed prorsus eodem. Secundò, res eas quæ à causis secundis productæ ab illis non conseruantur effectiuè, à solo Deo conseruari influxu determinato & adæquato adeò potenti, vt Deus per illum rem produceret, si ea non existeret. Tertiò, nullam rem quæ à solo Deo effectiuè conseruatur, posse perire, nisi ipso liberè influxum suum subtrahente: quod lege ordinaria numquam facit, nisi res contrarium habeat, vel pendeat ab eo quod contrarium habet. Quartò, nullam rem habere vim se conseruandi directè, ita vt ratione istius conseruationis non egeat determinato influxu Dei: hoc enim implicat contradictionem. 48

CAPVT V.

De reliquis duobus titulis, Redemptione, & Vltimo fine.

EXPLICATIS duobus titulis primis dominij diuini, Creatione & Conseruatione, sequitur vt aliquid dicamus de duobus reliquis. Tertius itaque titulus sit *Redemptio*. Hic ad homines particula- 49

Redemptio.

culariter pertinet. Per peccatum genus humanum in triplicem coniectum est seruitutem ; *peccati, diaboli,* & *mortis*. Hæ seruitutes sunt connexæ, & alia ex alia pendet; secunda & tertia ex prima. Incurrit homo seruitutem *peccati* duplici ratione. Primò, Quia transeunte actu, manet culpa, cuius vinculis plusquam adamantinis nulla creatura illum soluere poterat; vnde necessariò manebat æterna seruitute peccati oppressus. Secundò, Quia sublata per peccatum gratia, soluta est viresque resumpsit concupiscentia, (quæ & ipsa peccatum dicitur, eò quòd ex peccato orta sit, & ad peccatum sollicitet, vt Concilium Tridentinum sess. 5. ait) cui homo absque gratia resistere non potest. itaque illa dominari incepit, totumque hominem sibi seruire fecit, indignissima quæque imperans, & cælestem Dei imaginem in luto & sordibus occupans. Et quamuis ita indignè hominem tractet, tamen homo, quæ eius est amentia, summo studio ei obedit.

Triplex seruitus per peccatum contracta.

Seruitus peccati.

50 *Diaboli* verò seruitutem contrahit Primò, Quia diabolus est primarius in regno peccati minister. etsi enim & ipse sit seruus peccati, tamen ceteris peccati mancipiis est præpositus; tum ob naturæ præstantiam, tum quia omne eius studium in amplificando peccati regno occupatur. Secundò, Quia hominem vicit, & sibi subiectum reddidit: *à quo autem quis superatus est, huius & seruus est*, vt B. Petrus ait. Vnde vocatur *Princeps huius mundi, & Rex super omnes filios superbiæ*. Et totus mundus dicitur *in maligno positus*, id est in diaboli potestate & seruitute.

Seruitus diaboli.

2. Epist. 2.

1. Ioan. 5.

51 Seruitutem *mortis* incurrit ratione peccati; sicut inter homines damnatur quis ad seruitutem pœnæ propter crimen, vt cùm addicitur perpetuò metallis aut triremibus. & tales dicuntur in Iure serui pœnæ. Sic homo quia peccato consensit, non solùm seruituti peccati & concupiscentiæ subditus fuit, sed etiam seruituti mortis, vt mors ei perpetuò dominetur. Mortem intelligo perfectam & absolutam, à qua nullus ampliùs ad lucem vitæ est reditus, & quæ in sempiterno luctu detinet. Nam breuis illa iustorum, ex qua in vitam æternam sunt excitandi, dormitio potiùs & somnus quàm mors est dicenda. Hi sunt ergo, quorum seruituti homo per peccatum subiectus erat; *peccatum, diabolus, mors*. Verùm quàm tetri sunt isti domini? quàm crudeles & diri tyranni? quàm ignominiosa ista seruitus? Nihil enim peccato fœdius, vilius, indignius; nihil diabolo crudelius, nihil morte acerbius. Quantò satius & tolerabilius foret, Turcis & anthropophagis, in infimis & despicatissimis

Seruitus mortis.

ministeriis seruire. Nullum enim humanum ministerium est adeò execrabile, vt cum peccati obsequio conferri possit: nulla immanitas barbarorum tanta, quam diaboli crudelitas infinitis partibus non superet: nulla calamitas huius vitæ cum mortis æternæ afflictione comparari potest. Accedit quòd hæc seruitus non erat temporalis, sed sempiterna. nulla enim creatura nos liberare poterat. Nemo in cælo aut in terra inuentus est, qui iugum nobis impositum tollere valeret: solo Filij Dei Sanguine solui poterat. Sed quis tale remedium non dico sperare, sed vel suspicari potuisset? Cùm igitur nihil spei superesse videretur, Deus nefandam sortem nostram miseratus, carne humana sese induit, mundumque ingressus, cum tribus illis tyrannis singulari certamine pugnauit, eisque suo Sanguine suaque morte superatis, hominem è seruitute illa acerbissima ereptum, sibi seruum fecit. Nihil ferè aliud tota insinuat Scriptura, quæ etiam sæpè de tribus illis, tamquam de tyrannis & dominis à Christo victis loquitur. De *diabolo* habemus Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras; & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* & Luc. 11. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet, si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Ad Coloss. 2. *Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Vide S. Leonem Ser. 11. De Passione. 52

De *peccato*, ad Rom. 6. *An nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis* (obedientiæ) *ad iustitiam? Gratias autem Deo quòd fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* & infrà: *Cùm serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ, quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* Deinde addit: *Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Stipendia enim peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna.* & cap. 8. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne*, id est, per carnem Filij quæ facta est hostia peccati, damnauit peccatum, nempe delens culpam, & concupiscentiam quæ in carne regnabat opprimens. Nam *peccatum* passim apud Apostolum dicitur regnare, domi-

dominari, operari in hominem malum, repugnare legi mentis, captiuum ducere, damnare, &c. quibus loquendi formulis proponitur concupiscentia instar domini vel tyranni.

De *morte* superata, Oseæ 13. *De manu mortis liberabo eos: de morte redimam eos. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.* & 1. Cor. 15. *Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est; Absorpta est mors in victoria: vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?*

53 Cùm igitur Dominus nos à prædictorum tyrannorum seruitute crudelique dominatu liberauerit, meritò in nos Domini ius vsurpat, & seruitutem à nobis exigit: idque triplici iure. Primò, Iure victoris. qui enim alterum legitimo prælio vicerit, iure suo eius bona, eius seruos, captiuos, & omnia spolia occupat; vt Dominus Luc. 11. apertè insinuat. vnde Psalm. 67. dicitur: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem,* nempe eos qui antea sub tyrannis prædictis captiui fuerant. Secundò, Iure emptionis. Erat enim homo à iustitia diuina ad seruitutem illam damnatus, donec pro iniuria satisfaceret: qui cùm nullo modo satisfacere posset, soluit pro eo pretium Filius Dei, non vt omnino liber esset (id enim neque fieri poterat, neque ipsi expediebat) sed vt esset seruus Dei, & Christi eius; cui etiam ex ipsa naturæ conditione seruitutem debebat. Hinc in Scriptura dicimur *empti & redempti* 1. Cor. 6. *Empti enim estis pretio magno.* ad Titum 2. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* ad Rom. 3. 1. ad Corinth. 1. ad Ephes. 1. Itaque ex pacto Christi, & sententia diuinæ iustitiæ, quæ hoc pactum acceptauit; ex seruitute peccati, satanæ, & mortis, translati sumus ad seruitutem iustitiæ, Christi, & vitæ: quæ seruitus verissima est libertas. Tertiò, Iure compensationis. Cùm enim à nobis tam diram & intolerabilem seruitutem excusserit, idque tantis laboribus & doloribus suis, iure à nobis hanc compensationem exigere poterat, vt nos ipsum in Dominum acceptaremus, eique perpetuam seruitutem pro tanto beneficio exhiberemus. Sanè nihil ei minus rependere poteramus, præsertim cùm *iugum Domini suaue sit, & onus leue,* & hoc totum in nostrum commodum cedat.

Quo iure seruitutem à nobis exigat.

Matth. 11.

Quartus titulus est, *ratio vltimi finis*. Omnis enim creatura ex natura sua ordinatur ad gloriam Dei tamquam finem suum vltimum: sicut res humanæ arte factæ ordinantur ad hominum commoda. Insinuat id Scriptura sacra Prouerb. 16. *Omnia propter semet-*

Ratio vltimi finis.

metipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum. Propter ſemetipſum, id eſt, propter ſuam gloriam, ſeu ad declarandam ſuam potentiam, ſapientiam, bonitatem, iuſtitiam, &c. *Impium quoque*; quaſi dicat, Imò quòd impium diſtinarit ad pœnas æternas, id quoque propter ſemetipſum fecit, nimirum vt oſtendat ſe iuſtum, & ſibi diſplicere omne peccatum. Ad Hebr. 2. *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia.* Ad Romanos 11. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. In ipſo*, id eſt, propter ipſum tamquam finem. Græcè, εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, *in ipſum*. Vnde ſicut homo eſt dominus rerum arte factarum; quia propter ipſius commodum excogitatæ ſunt, nec vllum alium ex natura & inſtitutione ſua vſum habent, quàm ſeruire hominum commodis; ita Deus eſt Dominus totius creaturæ; quia propter ipſius gloriam ſunt omnia, nec alium ex natura ſua vſum aliúdve officium maioris momenti habent in mundo, quàm vt gloriæ ipſius & honori deſeruiant. Hinc ſequitur, ius illud quod ex hoc capite competit eſſe maximum, adeò vt maius animo concipi nequeat. 55

Omnis auctoritas in fine.

Nam etiamſi fingeremus creaturam non pendere à Deo tamquam à cauſa efficiente aut conſeruante; tamen ſi ponamus ipſum eſſe vltimum finem illius, ſummam in illam auctoritatem & poteſtatem habebit. Auctoritas enim finis quodammodò maior eſt quàm auctoritas cauſæ effectricis, cùm hæc à fine ad operandum moueatur, & omnem rationem operandi omnemque modum & menſuram operis à fine accipiat. Vnde finis eſt cauſarum prima, cuius gratia omnia fiunt, & ceteræ cauſæ ad operis productionem applicantur. Sicut ergo homo poteſt vti rebus inferioribus, quæ ad ipſius commodum creatæ ſunt, pro ſuo arbitratu, vt pecunia, frugibus terræ, pecoribus, quia eſt finis earum, & ipſius gratia factæ ſunt, quamuis ipſe earum non ſit auctor: ita Deus poteſt vti vniuerſa creatura pro ſuo arbitrio, nec quiſquam poteſt queri de iniuria, cùm omnia ſint ipſius gratia. Addò, Ius Dei in vniuerſam creaturam, vel ex hoc vnico titulo, etiam ſepoſitis reliquis, eſſe incomparabiliter maius quàm ius hominis in pecus, aut pomum, aut rem quamlibet, ſiue naturalem, ſiue arte factam. Primò, Quia Deus eſt vltimus finis omnium, cuius gratia ſunt omnia, non ſolùm quoad vſum, ſed etiam quoad ſubſtantiam, & prima rerum elementa: homo verò non eſt finis vltimus rerum inferiorum, cùm & ipſemet cum omnibus ſuis bonis ſit propter vniuerſi integritatem, ſicut pars propter totum; & vniuerſi inte- 56

Ius Dei quatenus finis, duplici nomine maius quàm ius hominis.

integritas sit propter Deum. Neque tam ipsa rerũ substantia, quàm vsus homini est concessus, vt eorum adminiculo vitam temporalem sustentet. Deinde, Esse propter hominem, & hominis gratia,
57 non est conditio intrinseca & essentialis rerum, sed extrinseca ex benigna Dei ordinatione, qui ad solatium hominum ista destinauit. At, esse propter Deum, & ordinari ad eius gloriam, est conditio intrinseca & essentialis omnium creaturarum. Sicut enim omnia creata habent respectum & dependentiam essentialem à Deo, vt à causa effectrice & conseruante; ita etiam habent essentialem respectum ad illum vt ad vltimum finem & dependentiam in ratione causæ finalis.

CAPVT VI.

Quædam Consectaria Dominij diuini valdè notabilia.

58 Ex supradictis sequitur Primò, Nos quadruplici titulo esse seruos & mancipia Dei, Creationis, Conseruationis, Redemptionis, & Relationis ad ipsum vt ad vltimum finem nostrum; & ratione singulorum debere nos illi omnem seruitutem, & omne obsequium. Secundò, Ratione singulorum istorum titulorum ita nos illi esse obstrictos & debitores, vt ne millesima quidem ex parte possimus obligationi vel vnius tituli satisfacere. Perpendatur beneficium creationis: quanta bona per illud accepimus? quis vel minimum illorum suis obsequiis compenset. Aulici, accepto aliquo officio vel pensiuncula annua à Principe, semper se obstrictos Principi agnoscunt, se illius seruos vbique profitentur, omni studio conantur Principi gratificari: at sanitas corporis, integritas membrorum & sensuum (quæ tamen sunt minima inter creationis bona) longè sunt præstantiora opibus externis; nec quisquam illa cum maximis diuitiis & dignitatibus, quæ ab hominibus dari possunt, vellet commutare. Quòd si minima illa sunt supra omnem obsequiorum nostrorum æstimationem (nihil enim omnibus nostris operibus Deo conferimus) quid dicendum de maximis, de intellectu, memoria, voluntate, quibus diuinorum bonorum sumus capaces, & Angelis ipsique Deo similes?

Quadruplici titulo serui Dei sumus.

Nulli titulo possumus satisfacere satis.

59 Iam verò Conseruationis beneficium non est minoris æstimandum, cùm per illud singulis momentis quodammodò iteretur quod semel per creationem est collatum: & quot momentis viuimus, toties nobis omnia nostra bona alioquin dilapsura conferantur.

tur. Neque minùs debemus ratione reliquorum titulorum, vt sigillatim expendenti constabit. Quòd si vel vnius tituli debito satisfacere nullo modo possumus, tantoque in singulis interuallo superamur; qua ratione illis quatuor poterimus? Si quidquid sumus, habemus, possumus, in vnum exhaustum fuerit, & instar nihili æstimatur; quid supererit nobis pro reliquis? quàm nihili totum erit quod offerimus, ad illorum beneficiorum immensitatem? Agnoscamus ergo nos esse seruos inutiles, & omnia obsequia, omnesque nostros labores, etiamsi millecuplo maiores essent, non fore tamen pares obligationi seruitutis nostræ, nec cum magnitudine beneficiorum acceptorum vllo modo conferendos. pulchrè hoc expressit S. Bernardus Sermone De quadruplici debito: *Cùm ei donauero quidquid sum, quidquid possum, nónne istud totum est sicut stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum? non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam, vel potiùs vnum minutum, voluntatem meam: & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis præuenit, qui toto se totum me comparauit?*

Cùm dico, non posse nos satisfacere *obligationi* qua Deo sumus constricti; intellige, si obligatio ex magnitudine beneficij & iuris quod Deus in nos habet, pensetur: alioquin si spectetur iuxta moderationem, quam diuina benignitas conscia infirmitatis nostræ adhibet; possumus ei vtcumque satisfacere. Sed hæc laus tota est bonitatis diuinæ (quæ rigidè nobiscum non agit, nec plura à nobis exigit) non industriæ nostræ, quasi per hanc debito seruitutis nostræ absolutè pares esse possimus.

Crebrò versandi animo.

Tertiò, Hos titulos dominatus diuini & nostræ seruitutis esse 60
assiduò versandos animo (nimirum, nos esse figmentum Dei, & opus manuum eius, sicut vasculum terreum est opus figuli; nos ab eo veluti vmbram assiduè pendere; nos à teterrima seruitute per ipsum redemptos; denique nos solius ipsius causa, vtque voluntati & gloriæ eius seruiamus, esse conditos) vt mens contineatur in humilitate, & in reuerentia ac subiectione tanti domini, cui tantum in nos iuris & potestatis. Nihil enim magis nobis ponit ob oculos nostram vilitatem, atque adeò nostrum nihilum, quod ex nobis sumus: nihil etiam magis eminentiam Dei, & eius in nos imperium, & nostram ad illum subiectionem & obligationem.

Eorum consideratio iuuat in afflictionibus.

Quartò, In afflictionibus & calamitatibus ad istorum titulorum considerationem recurrendum. Cùm enim quatuor illis modis

dis toti ipsius simus, & ipse omne ius in nos habeat; non possumus conqueri, quidquid nobis immiserit; nec ab ipso rationem exigere, Cur sic mecum agis? Ipse enim iure suo vtitur, & centuplo duriora in nos statuere potest. Satis sit nobis, ipsi sic placere; ipsius voluntas omnis rationis instar nobis esse debet. Accedit, quòd totum illud quod patimur, non mera potestate dominatus infligat, sed nostræ salutis causa benignè vel immittat vel permittat: non enim nostris afflictionibus, sed emendatione vitæ, & animi purgatione delectatur. Itaque hac suprema potestate herili non vtitur, sed loco illius paterna benignitate, & visceribus misericordiæ nos tractat. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius* effusæ. *Iugum suum* voluit esse *suaue, & onus leue*, vt cum gaudio ei seruiamus. Psal. 144.

61 Quintò sequitur, Deum non posse obligari creaturæ vinculo strictæ & perfectæ iustitiæ, qualis inter homines, sed solùm fidelitatis, quæ in Scripturis vocatur *iustitia* & *veritas*. Ratio est duplex vel triplex. Prima est, Quia creatura essentialiter est in dominio Dei, nec vllo modo potest ab illo eximi, & sui iuris effici. Ergo in potestate Dei est, quidquid creaturæ alicui aliquo modo est debitum, illud condonare, & ius illius extinguere: & sic peribit omnis erga illam obligatio. Nemo enim potest lege iustitiæ obstringi illi, cuius omne ius habet in sua potestate. Sicut dominus non potest quidquam iure iustitiæ debere seruo, si quidquid acquirit seruus, statim est domini; alioquin sibi ipsi lege iustitiæ esset debitor. Altera est, Quia creatura nihil potest dare aut offerre Deo, quod non multò magis sit ipsius Dei quàm creaturæ. Quidquid enim in operibus nostris est boni naturalis vel supernaturalis, id totum est Dei. Ipse enim vires naturæ dedit, ipse eas conseruat, & cum illis concurrit ad opus. Ipse lumen cælestis gratiæ nobis indebitum infundit, & per illud veluti per semen quoddam diuinum opus producit. Itaque si aliquid nobis pro bonis operibus rependit, dignationis potiùs est quàm debiti; benignitatis quàm iustitiæ: dona enim sua remunerat potiùs quàm officia à nobis ipsi præstita: sicut si tuis pecuniis domum à te emam, non tam est emptio, quàm gratuita donatio. Quid enim interest ad beneficium, siue domum ipsam mihi liberaliter dones, siue pecuniam, qua domum à te contractu emptionis comparem, suppedites? Tertia est, Quia is qui omni momento totum esse alterius habet in sua potestate, non potest ei quidquam lege iustitiæ debere. *Esse* enim est primum fundamen-

Deum non obligari creaturæ vinculo strictæ iustitiæ.

damentum omnis iuris, vnde sublato *esse*, perit omne ius, & consequenter omnis obligatio aliorum erga illum. Non entis enim nullum potest esse ius, nulla iniuria, sicut nec rei inanimæ. Quare cùm totum esse rei creatæ sit in potestate Dei, non potest Deus alicui rei creatæ lege iustitiæ obligari.

62 Sextò sequitur, Si Deus bonis operibus vitam æternam non retribueret, aut beatos qui in cælo sunt, sua beatitudine & bonis omnibus supernaturalibus spoliaret, non fore propriè iniuriam, qualis est cùm inter homines merces operario negatur, aut operarius mercede accepta spoliatur. Ratio est, tum quia nos toti cum omni iure nostro in dominio Dei sumus: tum quia ipse nihil à nobis accepit quod ipsius non esset, & quod iure suo à nobis absque vlla mercede exigere non potuisset: tum quia totum nostrum esse in ipsius arbitrio & potestate est constitutum. Itaque nec ipse iniustus propriè dici poterit. Nihilominùs dicetur *inconstans* & *non verax, non fidelis*. Cùm enim ex suâ benignitate & sponte vitam æternam benè operantibus promiserit, obligatur lege *constantiæ*, quæ postulat vt fine causa propositum non mutet; & lege *veritatis*, quæ requirit vt quod dixit, verum efficiat; & lege *fidelitatis*, quæ postulat vt impleat promissa. Itaque debitor est sibi, vt S. Thomas ait 1.p.q.21.a.1. id est, suæ constantiæ, suæ veritati, suæ fidelitati: & ratione horum debitor est etiam nobis. Quia tamen *fidelitas* in Scripturis passim vocatur *iustitia*, (respicit enim promissionem, quæ inter homines obligationem iustitiæ, aut valdè affinem iustitiæ parere solet, maximè quando fit sub conditione alicuius operis;) iuxta Scripturas rectè dicimus vitam æternam esse *coronam iustitiæ, mercedem iustam, & à iusto iudice deberi* benè operantibus. Sic
Heb. 11. intelligendus Apostolus cùm ait: *Non est iniustus Deus vt obliviscatur operis vestri*. Nam inter homines, qui alicui operi mercedem promisit, opere præstito si non soluat, iniustus censetur: quia talis promissio ius iustitiæ tribuit. nam alter non est in alterius potestate.

63 Septimò, Omnes Reges & Principes hùius sæculi, quantumuis videantur sublimes, glorioſi, potentes, felices in oculis hominum, coram Deo esse instar vermiculorum terræ, eorumque omnem gloriam, potentiam & felicitatem esse instar fumi, vmbræ & somnij. Hinc Isaiæ 40. *Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ*; id est, qui præsidet toti orbi, cui totus terræ gyrus est subiectus: in cuius conspectu omnes qui terram incolunt, quamtumuis sint excelsi, sunt instar locustarum. *Locusta* res est vilissima,

plena

plena sanie & sordibus, ventricosa, ad pastum abiecta, omnia deuorans & absumens; & si aliquando subsilit & sursum se attollit, statim ad terram relabitur: tales sunt omnes mortales coram Deo. Sap. 11. *Tamquam momentum staterae, sic ante te est orbis terrarum; & tamquam guttaroris antelucani, quae descendit in terram. Momentum*, minimum est & leuissimum in ponderibus, vix vllam sensibilem mutationem in statera efficiens: sic regnum diuinum non erit maius vel minus, siue genus humanum saluetur, siue pereat. *Guttaroris antelucani* res est minutissima, adspectu pulchra, noctu coalita, quae exoriente sole statim consumitur, vel decussa in terram absorbetur. Tale est genus humanum, & omnis gloria eius. Psal. 72. *Velut somnium surgentium Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Imaginem* gloriae, potentiae, felicitatis: haec omnia instar somnij euanescent. Iob 20. *Velut somnium auolans non inuenietur, transiet sicut visio nocturna.*

CAPVT VII.

Recollectio precatoria, de Dominio Dei.

64 EXALTABO *te Deus meus Rex, & benedicam nomen tuum in saeculum, & in saeculum saeculi. Tu enim es Rex regum, & Dominus dominantium. In ditione tua vniuersa sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuae.* Ordinatione tua perseuerant omnia, & legem quam eis posuisti custodiunt, & singula pro captu & modo suo seruiunt tibi, teque Rectorem ac Dominum confitentur. Summum in omnia tenes imperium, potesque de omnibus pro arbitratu tuo statuere, nec quisquam à te factorum exigere potest rationem, & dicere, Cur sic facis? Omnes Reges & Monarchae terrarum cum omni splendore & magnificentia sua, cum regnis & exercitibus suis, cum diuitiis & gloria sua, veluti terrae vermiculi sunt coram te, & instar nihili in conspectu tuo. Minimi seruorum tuorum qui in caelesti palatio tibi seruiunt, longè sunt maiores omnibus illis; nec quisquam illorum, maiestatem vultus vnius ex istis sustinere posset. Contabescit enim instar ceraе mortalitas omnis ad praesentiã Angelici splendoris, & viribus defecta concidit. Quanta ergo est gloria maiestatis tuae, quae omni Angelica maiestate infinitè est maior & excellentior? Verè tu *magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis tuae non est finis. Regnum tuum, regnum omnium* Psal. 144. 1. ad Tim. 6. Esther 13. Psal. 144.

nium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem. Reges terræ & regna eorum repentè corrpent, & ad nihilum redigentur; regnum autem tuum in æternum ſtabit, & omnes inimici tui ſubiicientur pedibus tuis. Exſcindetur funditus regnum diaboli & impiorum quo nunc turbatur orbis, quo veritas & iuſtitia opprimitur, & regnum tuum omnibus dominabitur, eriſque omnia in omnibus. Figmentum tuum ſumus omnes, & opus manuum tuarum; tu plaſtes & fictor noſter: quidquid ſumus, poſſumus, habemus, à te accepimus. tua ſunt omnia, qui omnium es artifex & inuentor. Omnia de nihilo extraxiſti, ex profundo tenebrarum, & abyſſo non-entis. Suſpendiſti ea in eſſe, in lumine vultus tui; vt ſingula iuxta ſpecies & formas ſuas fulgeant mentibus noſtris, tuamque maieſtatem ſinuent. Sed quia ſuopte nutu & ex ſe, in nihilum vnde educta ſunt, propendent; non ſatis eſt id ſemel eſſe factum, ſed aſſiduè manu tua teneri, & ſubſtantifico influxu tuo foueri opus habent, vt beneficium, quod ſemel cùm eſſe inciperent acceperunt, omnibus momentis rurſus accipiant. Sicut pondus in aëre ſuſpenſum aſſiduè teneri debet, & ſi vel ad ictum oculi dimittatur ſibi, deorſum ruit: ita tota creaturarum vniuerſitas omnipotenti dextera tua continuè in eſſe & natura teneri debet, & ſi vel ad momentum laxaueris manum tuam, ſtatim in nihilum ſuum corruet, & velut vmbra peribit.

Dan. 7. Lucæ 1. Pſal. 109. 1. Cor. 15. Pſal. 101. Iſaiæ 29. ad Rom. 9. Hebr. 1.

66

Nihil eſt ſolidi vel in corporibus, vel in ſpiritibus, niſi quatenus virtus tua intrinſecùs ea continet & conſtringit, ne veluti aqua diffluant, vel tamquam fumus diſſipentur, vel vt viſum quoddam & phantaſma inane euaneſcant. Omnia mollia ſunt tibi & tractabilia, omnia fluxa & euanida, & minimo nutu imperij tui in quamuis formabilia ſpeciem. Nulla coram te eſt ſoliditas montium & ſaxorum, nulla durities ferri & adamantum, nulla firmitas cælorum & aſtrorum; nihil horum ſine perpetuo influxu fotuque lucis tuæ conſiſtere poteſt. Tu ergo omnium Dominus, à quo aſſidùè fiunt & pendent omnia; qui omnia ſuſtentas ne corruant, foues ne tabeſcant, contines ne diffluant, conſtringis ne diſpereant.

67

Tu omnium inuentor, auctor, formator, conſeruator, ſuſtentator, exemplar & finis. Propter te ſunt omnia vt ſeruiant gloriæ tuæ; rationalia, vt te cognoſcant, ament, colant & laudent; irrationalia, vt vſibus noſtris ſeruiant, & ſua admirabili ſpecie mentes noſtras in admirationem & amorem tui excitent. Neque ideò viliores aut miſerabiliores ſumus, quia propter te ſumus, & omnia noſtra ad

68

tuam

tuam gloriam destinantur. Hæc enim est natura nostra, hoc summum bonum nostrũ, gloriæ seruire tuæ. Tibi enim seruire, regnare est; tibi obedire, iter vitæ æternæ. Melius est tibi seruire, quàm totius mundi tenere imperium. Dum enim obsequio tuo mens nostra intendit, sursum erigitur, seseque in vnitatem colligit, tibique propior effecta illuminatur, & similis tui efficitur: dum aliis regendis incumbit, ab vnione recedit, ad inferiora descendit, & in multitudinem dissipatur, neque aliquid inuenit, cuius coniunctione melior euadat. Nihil enim meliorem efficit mentem, nisi quod est supra mentem.

66

69 Magna fascinatio mortalium, tantopere æstimare & sitire Imperia, Regna, gubernationes & prælaturas, quibus aliis præsint, & seipsos negligant; nihil non agere, ius omne & fas proterere, vt assequantur hanc vmbram felicitatis, veri boni & salutis æternæ impedimentum. Nihil enim est quod vel animum magis auocet à cælestibus, & implicet terrenis; vel maiorem peccatorum suppeditet occasionem, vel effrænatiorem tribuat peccandi licentiam, vel ampliorem exequendi copiam, vel salutares magis arceat monitores, vel magis aggrauet peccatorum culpam, vel magis oneret peccatis alienis; quàm Principatus & Prælatura. Quamquam qui non honoris & commodi sui causa, sed vt bono publico prosint, & plurimos ad salutẽ dirigant, eam susceperint & ritè administrauerint,

67 magnum præmium ob rei difficultatem, & boni quod procurant amplitudinem, à te consequentur. Sed longè tutius est in imo de-

70 litescere, & suæ salutis curam agere. Da mihi, Domine, laudes humanas contemnere, honorem mundi fugere, & amare nesciri ab hominibus. Satis mihi sit nosse te, & cognosci vicissim abs te: seruire tibi, & seruitutem tui omnibus mundi Imperiis anteponere, omnibus dignitatibus & honoribus præferre. Hæc sit gloria mea, hæc eminentia & sublimitas, hæc omnis dignitatis titulus & insigne. Glorientur alij de Regnis & Principatibus, de nobilitate & opibus, ceteriseque huius vitæ excellentiis; mea gloria sit, esse seruum tuum, & omnia mea esse addicta & mancipata tibi; & omnes

68 meas cogitationes, omnes curas, omnes conatus, omnia studia seruire gloriæ tuæ.

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER VNDECIMVS, DE PROVIDENTIA DEI.

CAPVT PRIMVM.

Deum habere omnium rerum prouidentiam: & quid sit Prouidentia.

In Deo esse prouidentiã rerum omnium.

DEVM habere omnium rerum prouidentiam & gubernationem, certum est ex Scripturis. Psalm. 146. *Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam; qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum; qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Quibus verbis S. Scriptura etiam ad minima eius curam & prouidentiam pertinere indicat. Psal. 138. *Ecce Domine tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam,* vt me protegas & dirigas, &c. Item Psalm. 103. 106. 134. 135. & aliis locis celebratur diuina prouidentia. Sap. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*. hoc de conseruatione & gubernatione rerum intelligendum est, vt rectè docet D. Augustinus lib. 4. De Genesi ad lit. cap. 12. Priori enim parte significatur, ita potenter omnia à summa natura 1

natura vsque ad infimam, à supremo Angelo vsque ad infimam materiam, eius manu teneri in suo esse suaque specie, vt nulla nisi ipso volente vel permittente possit excidere. Altera, omnia suis collocari locis & ordinibus, & aptissimis mediis ad suos fines dirigi. Sap. 14. *Tua, Pater, sapientia gubernat* mundum & omnia. & cap. 15. *Tu autem Deus noster suauis & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia.* Matthæi 6. pulcherrimè ostendit Dominus, prouidentiam diuinam etiam ad minima pertingere, & illa semper fidendum. *Ideò dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis? Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent. dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos modicæ fidei?* Luc. 12. ex eo quòd Deus etiam circa minima prouidentiam habet, ostendit non esse timendum, ne desint nobis necessaria, etiamsi omnia propter Deum relinquamus. *Nónne quinque passeres væneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus pluris estis vos.* Denique nihil ferè passim Scriptura adeò nobis proponit & insinuat, ac Dei prouidentiam.

2 Est autem *Prouidentia* iuxta Boëtium lib. 4. De consol. Prosa 6. *diuina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit*, nimirum in suos fines, vt S. Thomas explicat 1. p. q. 22. a. 1. quo loco eam simili modo describit: *Prouidentia*, inquit, *est ratio ordinis rerum in finem, in Deo existens.* In rebus duo spectari possunt. Primum, Res ipsæ in se secundùm suam essentiam. Alterum, Ordo & habitudo quam habent singulæ ad finem tum proprium, tum communem totius vniuersi, qui est manifestatio perfectionum diuinarum. Vtriusque *ratio*, id est notio seu conceptio, & (vt Græci dicunt) λόγος, est in Deo. *Notio* rerum in se spectatarum, nempe quatenus sunt talis formæ & speciei, vocatur idea: *notio* verò illarum quatenus ordinantur in finem, vocatur *prouidentia*. Verùm cùm prouidentia diuina sit perfectissima & vniuersalissima; nec solùm extrinseco modo, sed etiam intrinseca ordinatione res omnes in suos fines destinet, creando & formando rerum naturas, conferendo proprietates natiuas, & vires, & figuras con-

Quid sit Prouidentia.

gruentissimas, & partes mirifica proportione confirmatas, & omnia quæ ad rerum pulchritudinem, vsum, functiones & conseruationes sunt opportuna; necesse est vt cõtineat etiam ideas seu notiones essentiarum, quarum creatio & formatio intrinsecè ordinem ad finem includit: præsertim cùm Deus nihil nisi ob aliquem finem velle aut facere possit. Vnde & ipsa creatio, quatenus fit ob certum finem à Deo intentum, est opus summæ prouidentiæ, vt infrà ostendemus. Itaque ideæ intrinsecè in ratione prouidentiæ diuinę includuntur vel eidem supponuntur. Petes, ad vtram facultatem prouidentia pertineat, ad intellectum, an ad voluntatem. Respondeo, à S. Thoma poni in intellectu, sicut & ideæ in intellectu ponuntur. Sicut tamen notiones rerum in Deo non dicuntur ideæ, nisi applicentur à voluntate ad rerum productionem; ita *notio* & conceptio ordinis rerum in finem non dicetur prouidentia, nisi à voluntate applicetur ad executionem. Vnde etiam quodam modo includit actum voluntatis, nimirum decretum exequendi. Hinc quidam DD. volunt prouidentiam pertinere ad voluntatem: quod confirmatur ex Damasceno lib. 2. De fide Orthodox. cap. 29. vbi dicit, *prouidentiam esse voluntatem Dei, per quam omnia quæ sunt, conuenientem gubernationem accipiunt.* Quare vtroq; modo loqui possumus de *prouidentia*; nimirum, ipsam esse rationem seu præconceptionem ordinis rerum in finem cum decreto exequendi; vel, decretum exequendi rationem ordinis rerum in finem, à Deo præconceptam. Parum autem refert, vtrùm propriè nomine *prouidentiæ* significetur, ipsane conceptio ordinis, an ipsum decretum executionis; cùm constet, vtrumque necessariò & essentialiter requiri. Quod tamen antè diximus, videtur magis consentaneum, nimirum vt ipsa conceptio ordinis rerum in diuina mente existens, à voluntate ad executionem applicata, prouidentia dicatur. Vnde ad intellectum pertinebit, etsi voluntatem supponat. Nam prouidentia futurorum, est *prudentiæ* præcipua pars; vel species quædam quæ *prudentia monarchica* dici possit. Sicut enim prudentia œconomica & militaris dicitur species prudentiæ, & ad intellectum pertinet; ita etiam prudentia Politica & Monarchica, qua rectè instituitur & gubernatur Respublica.

Est actus partim intellectus, partim voluntatis.

Aristoteles 6 Ethicor. c. 8.

Obiiciet aliquis: Ad prouidentiam pertinet, non solùm res disponere in suos fines, sed etiã permittere excidere à suo fine, & punire malefactores: ergo non rectè definitur esse *ratio ordinis rerum in finem.* Dũ enim permittuntur excidere à suo fine, & puniuntur pœna æter- 3

Permissio sub prouidentiã cadit.

æterna, non disponuntur in finem. Respondeo, Non est necesse vt omnis actus prouidentiæ positiuus, vel etiam negatiuus, qualis est permissio, dirigat naturam rationalem vel irrationalem ad suum finem consequendum. Neq; enim in eum sensum accipienda est illa descriptio prouidentiæ: sed sufficit vt Deus nihil faciat vel permittat circa res creatas, nisi ob certum finem, quem ipse sibi propositum habet. Non enim ratio prouidentiæ postulat, vt omnis actio prouisoris dirigat res subiectas ad consequendum proprium illarum finem: sed satis est vt tendat ad finem, quem prouisor sibi statuit. Sic punitio peccatorũ fit ad ostendendam diuinam iustitiam; permissio verò, vt opera virtutis sint libera, & excitetur in nobis solicitudo benè operandi, & ob alios optimos fines, vt docet Damascenus lib. 2. cap. 29.

CAPVT II.

Quæ sint Prouidentiæ diuinæ functiones.

4 VT meliùs intelligatur quid & qualis sit diuina Prouidentia, considerandæ sunt eius functiones, & generales operationes circa res creatas. Hæ generatim sunt duæ, *creatio* & *gubernatio*. Quòd *creatio* sit opus diuinæ prouidentiæ, patet Primò, Quia mundus non est casu factus, sed certissimo consilio, & specialissimo decreto: atqui nihil est quod potiùs sit dicendum opus prouidentiæ, quàm quod absoluto & peculiari decreto ad omnes rei circumstantias pertingente præfinitum est. Deinde, Quia res omnes secundùm suam essentiã conditæ sunt propter finem, tum proprium cuique, qui est cuiusque operatio, tum communem omnium, qui est gloria Dei. itaque in sua essentia habent ordinem & habitudinem ad finem, qui ordo est impressio diuinæ prouidentiæ. Tertiò, Quia per creationem acceperunt vires, qualitates, temperamentum, locum, ordinem & figurã, prout cuique congruebat ad suum statum, functionem, finemque proprium. atqui hoc nihil est aliud quàm conuenienter ordinari & instrui ad suum finem: ergo est opus prouidentiæ. Denique, omnis operatio tendens ad aliquem finem, est opus prouidentiæ: atqui creatio est operatio tendens ad finem; est enim operatio primi & supremi operantis, qui omnia propter vltimum finem, qui est ipse operans eiusque gloria, operatur. Itaque quòd iste mundus, istis corporibus constans, ea magnitudine,

Duæ functiones prouidentiæ.

1. Creatio est opus prouidentiæ.

tudine, multitudine, ſitu, qualitate, viribus, figuris, tempore, loco, ordine, ſympathia, antipathia prædítis, non alius, nec ex aliis aut aliter factus ſit, eſt opus diuinæ prouidentiæ, omnia certo conſilio facientis, & ad certos fines ordinantis.

2. Gubernatio.

Quòd etiam *gubernatio* ſit opus prouidentiæ, per ſe notum eſt: 5
ſed multi actus hoc nomine continentur: nimirum *conſeruatio, cooperatio, prædefinitio, permiſsio, impeditio multorum malorum, motio cælorum, illuminatio naturæ rationalis, redemptio hominum, iuſtificatio, remuneratio, punitio.* de quibus ſingulis aliquid dicendum eſt.

Qui ſint actus gubernationis.

CAPVT III.

De Conſeruatione & Cooperatione.

Conſernatio eſt primus actus ad gubernationem pertinens.

In gubernatione primum locum tenet *conſeruatio* rerum, quam 6
etiam SS. Patres paſſim gubernationem vocant; vt conſtat ex teſtimoniis ſuprà Libro x. n. 21. & ſeq. allatis, & ex D. Auguſtino l. 4. De Geneſ. ad literam c. 12. Nam primum munus gubernatoris eſt, conſeruare ea quæ gubernanda ſuſcepit, ne pereant. ſic enim planè ab ordine & directione qua in finem diriguntur, exciderent.

2. eſt cooperatio ſeu concurſus. Neceſsitas concurſus.

Secundum locum tenet *cooperatio*: nam ſine diuina cooperatio- 7
ne nulla res creata poteſt operari, ac proinde nec aſſequi finem, aut in illum tendere; ſed inſtar inanis idoli, ſenſu, motu, & omnibus viribus defecti, ſtabit. Si Deus concurſum ſuum ſubduceret rebus, ceſſaret motus cælorum, & illuminatio orbis; ceſſaret elementorum & omnium contrariorum pugna; ceſſarent ortus & interitus rerum, viciſſitudines temporum, incrementa & decrementa viuentium, omnis alternatio, & motus localis omnis. Ceſſaret in beatis viſio beatifica, amor & gaudium omne; in damnatis omnis dolor & triſtitia, in omnibus viuentibus omnis intelligentia, omnis memoria, omnis volitio, omnis affectio, omnis paſſio, omnis imaginatio, omnis ſenſus, & motus vitalis omnis: neque vllum eſſet inter animata & inanima, inter ſentientia & ſenſus expertia, inter rationalia & irrationalia, inter beatos & damnatos diſcrimen, quod ad ſenſum boni vel mali, commodi vel incommodi attinet; ſed omnia eodem modo ſe haberent, tamquam ratione, ſenſu, motu, vita, & vigore omni deſtituta. Hinc patet quanti momenti ſit hic concurſus, cùm inde pendeat tota beatitudo, & omne bonum naturale & ſupernaturale, & ſine ipſo ſimus perinde ac ſi non ſimus.

Et

8 Et quamuis non sit expressum dogma fidei, hunc concursum esse necessarium; tamen est communis sententia DD. vno Durando excepto (qui lib. 2. Sentent. d. 1. q. 5. putat, Deum non concurrere cum creaturis ad operationem earum, nisi quatenus eis dedit vires operandi, easque vires conseruat) & consentiunt omnes Academiæ Catholicorum, & potest probari ex Scripturis. Iob 10. *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseũ me coagulasti?* Psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Ioan. 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Act. 17. *Quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrûm; in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.* de quo loco suprà.

Concursum Dei esse necessarium vt res operentur.

Contra Durandi sententiam.

Sed dicet aliquis pro Durando, hæc omnia intelligi posse ratione virtutis operandi quam rebus inseuit, & conseruat. Vis enim operandi rebus impressa, est veluti semen & instrumentum per quod Deus operatur omnia, multò magis quàm per concursum generalem. Ratione enim illius concursus non potest propriè dici Deum formare omnia membra, dare cuique suam speciem, suum temperamentum, suam figuram, suam connexionem, suam virtutem: alioquin etiam sol diceretur hæc omnia propriè facere, quia etiam ad formationem omnium membrorum cooperatur; quod tamen nemo dixerit. Et ratio est, quia diuersitas illa quæ est in partibus corporis, non est referenda ad concursum Dei aut solis, qui ex se est vniformis; sed ad multiplicem virtutem quæ est in causa secunda, nimirum in semine. Quia tamen Deus omnem illam vim semini impressit, eamque assiduè conseruat, quasi assiduè eam creans, verè & propriè dicitur illa facere per virtutem seminis tamquam per suum instrumentum. Et hac ratione creaturæ possunt dici instrumenta respectu Dei, & Deus omnia per illas operari; omnia, inquam, bona, non mala, quæ Deus non intendit, neque ex perfectione virtutis à Deo insertæ, sed ex defectu creaturæ sequuntur.

Responsio pro sententia Durandi.

Hæc interpretatio videri possit omnino non inepta, & ideò hæc loca non conuincunt rem esse fide certam: tamen non satisfacit. Si enim Deus solùm dicitur illa operari, quia vires dedit & conseruat, solùm mediatè & per accidens illa operabitur, nimirum, quia contingit rem illam quam ipse fecit illa operari. Neque reverà

Responsio ista refutatur.

magis operabitur aut cooperabitur cùm causæ secundæ operantur, quàm cùm cessant: nam vtroque tempore solùm eas conseruabit. At Scriptura amplius significare videtur, cùm effectus causarum Deo tribuit, quàm nudam causarum secundarum conseruationem. Itaque etsi concursus generalis non sufficiat, vt illius solius ratione Deus dicatur omnia operari; sed requiritur vt vires dederit, & eas conseruet: tamen præter hoc debet etiam cooperari & actu concurrere, alioquin solùm remotè & denominatione valdè extrinseca dicetur illa facere, nec poterit dici præbere opem & auxilium creaturis in operando, quod tamen apertè indicat Scriptura cùm ait: *Etenim manus tua deducet me*; quasi dicat, Non possum eò ire, nisi me iuues & deducas, sicut mater deducit infantem, qui ambulare absque ope alterius non potest. Certè *deducere* amplius est quàm *conseruare* vires. nam etiamsi non deduceret, vires conseruaret. Simili ergo modo de omnibus aliis causis creatis dicendum est, non posse illas suas functiones edere, nisi iuuentur à Deo. eadem enim est omnium ratio & proportio respectu suarum operationum, & eadem à Deo essentialis dependentia.

Probatur ex S. Hieronymo.

Confirmatur ex D. Hieronymo l. 1. Contra Pelagianos, vbi hanc sententiam videtur clarè tradere, inducens Pelagium sub nomine Critobuli obiicientem, & Catholicum sub nomine Attici respondentem. Critobulus: *Si in singulis rebus quas gerimus, Dei vtendum est adiutorio, ergo & calamum temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manum aptare literis, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere, & cetera huiusmodi, nisi Deus iuuerit, non poterimus?* Atticus: *Iuxta meum sensum, non posse perspicuum est.* Critobulus: *In quo igitur liberum habemus arbitrium, & Dei in nos gratia custoditur, si ne hoc quidem absque Deo possumus facere?* Atticus: *Non sic donata est liberi arbitrij gratia, vt Dei per singula tollatur adminiculum.* Critobulus: *Non tollitur Dei adiutorium, cùm creaturæ ex semel dati liberi arbitrij gratia conseruentur. Si enim absque Deo, & nisi per singula ille me iuuerit, nihil possum agere; nec pro bonis me iustis operibus coronabit, nec afficiet pro malis; sed in vtroque suum vel recipiet vel damnabit auxilium.*

Pelagius non negauit conseruationem, sed cooperationem.

Ex hoc loco tria colligimus. Primum est, Etiam Pelagium posuisse, conseruationem rerum à Deo esse necessariam; cùm gratiam in eo constitueret, quòd Deus liberum arbitrium dedisset & conseruaret. *Conseruatio* enim nullam adferebat libertati difficultatem. Alterum est, Pelagium negasse concursum & cooperationem

nem generalem Dei, non minùs quàm gratiam supernaturalem. hic enim concursus potissimùm negotium facessit ingenio humano in causa libertatis. Itaque hunc negabat etiam in actionibus naturalibus liberi arbitrij, ne cogeretur earum tollere libertatem. Tertium est, Hieronymum pro indubitato habere, Deum non solùm dedisse vires, easque conseruare, sed etiam in singulis operibus iuuare, & creaturam sine illo adiutorio nihil posse. Quod etiam confirmatur ex Epist. ad Ctesiphontem, vbi contra Pelagium sic agit: *Fraudulenter prætendis vt gratiam Dei ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus auxilium Dei requiras, ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere, & cùm Dei contemnas adminiculum, hominum requiras auxilia. Audite, quæso, audite sacrilegum: Si, inquit, voluero curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa iacere, duobus digitis narium purgamenta decutere, releuare aluum, vrinam digerere, semper mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingrate, imò sacrilege, Apostolum prædicantem: Siue manducatis, siue bibitis, omnia in nomine Domini facite.* Hic Hieronymus requirit auxilium Dei etiam ad singula opera adiaphora & naturalia: neque fingi potest, quòd aliud auxilium ad ista sit necessarium, præter auxilium generalis cooperationis. Nec obstat quòd adducat locum Apostoli, in quo agitur de operibus ad Deum referendis: ex eo enim quòd omnia opera etiam per se adiaphora, ad honorem Dei referenda sint, colligitur etiam, illa à Deo pendere, esseque eius beneficia. Idem probari potest ex testimoniis Patrum suprà allatis. Si enim creaturæ sunt per se adeò debiles, vt nisi Deo conseruante & assiduè velut creante, non possint existere; quomodo sine ipsius auxilio & cooperatione poterunt operari?

Ex aliorum Patrum testimoniis.

11 Sed omissis Patrum testimoniis, probatur ratione. Primò, Res solidissimæ & per se subsistentes, vt substantia Angelica & cælorum, egent assiduo influxu Dei, quo immediatè ab ipso conseruentur, vt suprà Libro x. num. 21. & seq. ostensum est: ergo multò magis res imperfectæ & aliis inhærentes, vt actus vitales, lumen aëris, & quiuis alius effectus causæ creatæ. Neque dici potest, illas sufficienter conseruari à suis subiectis: tum quia subiectum nihil præstat effectiuè ad conseruationem, sed solùm recipit, vt modo sibi connaturali existant; vnde opus est alio influxu, quo effectiuè conseruetur ipsa existentia; quo continuato, continuaretur illarum existentia etiam subiecto subtracto vel annihilato, vt alibi ostensum est, & patet in mysterio SS. Eucharistiæ: tú quia etsi subiectum

Ratione probatur.

Formas rerum & accidentia non posse conseruari sufficienter à suis subiectis.

in quibusdam etiam effectiuè influat, vt in actibus vitalibus, & aliis accidentibus quæ ab intrinseco manant; tamen illud ipsum, vt est causa efficiens formæ accidentalis intra se, non minùs eget concursu generali, quàm cùm producit aliquia extra se, verbi gratia, calorem vel frigus. Si enim aqua, vt producat frigus extra se in mea manu, eget concursu generali; cur non etiam vt producat illud in seipsa, vt cùm ex calore reducit se ad frigus? Dices, esse magnum discrimen: nam cùm frigus producitur ab aqua foris, non potest assiduè à forma aquæ conseruari; vnde eget alio conseruante, donec à contrario vincatur & aboleatur. itaque debet immediatè conseruari à prima causa. Cùm autem producitur in ipsa aqua manans ab intrinseco, sufficienter conseruatur assiduo influxu essentiæ ipsius aquæ, vnde ab initio manauit; & sic non eget alio conseruante. Sed hoc absurdum est: quia constat, frigus aquæ posse à Deo conseruari, ipsa aqua in nihilum redacta; ergo non habebat essentialem dependentiam ab essentia aquæ, sed magis dependebat à Deo, cuius solius influxus sufficit ad illius conseruationem. Confirmatur; Quia omni enti creato essentiale est dependere à Deo: hoc enim ita est illi intrinsecum, vt eius essentia sine hac dependentia concipi distinctè nequeat. Vnde etiam diuisio entis, in ens à se, & ens ab alio; siue in ens per essentiam, & ens per participationem, est essentialis. Neque dici potest hanc dependentiam in quibusdam rebus esse solùm mediatam; quia hoc nihil est aliud, quàm rem illam non dependere propriè à Deo, nec ab illo aliquid accipere, sed dependere & accipere esse ab alia creatura, quæ immediatè dependeat à Deo: & ita illa res dicenda potiùs est habere dependentiam essentialem à causa creata quàm à Deo; quod est absurdum.

Secundò, Si aliqui effectus possent fieri à causis secundis absque 12
Dei cooperatione, maximè id haberet locum in actibus vitalibus, vt in visione, intelligentia, volitione, &c. hi enim videri possint sufficienter pendere à suis potentiis à quibus eliciuntur, & in quibus recipiuntur. Atqui dici non potest, in huiusmodi nos non egere Dei auxilio, vt suprà ex Hieronymo ostensum. Confirmatur: Quia cùm in huiusmodi actibus sita sit perfectio naturæ intelligentis, poterit hæc natura suam perfectionem & finem consequi sine auxilio diuino, quod sanè videtur absurdum. sic enim perfectio naturalis non pendebit à Deo, nisi remotè, quatenus natura pendet à Deo: & illa natura non egebit Deo ad felicitatem naturalem, nisi

ad

ad hoc præcisè, vt ipsa conseruetur; non autem vt suam naturalem felicitatem assequatur. Confirmatur secundò; Quia Deus sæpè actus vitales nobis immediatè immittit, non solùm proponendo obiectum, sed etiam ipsos actus in nobis effectiuè causando & formando; vt patet in gratiis præuenientibus, quæ sunt actus supernaturales intellectus & voluntatis: ergo isti actus etiam immediatè à Dei concursu pendent. Sicut enim cùm Deus peculiari & determinato concursu ad illos actus concurrit, etiam concurrit ipsa potentia, vt patet in actibus prædictis: ita etiam cùm potentia se ad illos determinat, Deus concurret concursu generali. Itaque nulla est ratio cur excipiantur actus vitales.

13 Tertiò, Si negetur iste concursus, tollitur illa perfectissima subiectio & dependentia creaturarum à Deo. Nam in operando non pendebunt ab auxilio & cooperatione Dei, cùm tamen in operando consistat summa perfectio viuentium. Vnde etiam effectus operatione productus non pendebit à Deo, saltem quamdiu subest virtuti suæ causæ producentis & conseruantis. Quare lumen à sole per totum mundum diffusum, & in ipsis stellis & planetis existens, non pendebit à Deo; similiter nec calor inde consequens: neque sol in mundo illuminando, suoque calore fouendo, egebit auxilio Dei. imò non poterit Deus impedire quin sol illuminet mundum, nisi lucem ipsius extinguat, vel opacum aliquod corpus circumponat. Similiter non poterit impedire cogitationes & volitiones Angelorum aut dæmonum, nisi fortè species intelligibiles (si tamen hæ sunt necessariæ) illis auferat, & eorum naturam lædat. Quæ omnia sunt valdè absurda, & multùm derogant perfectissimo Dei dominio, & summæ dependentiæ creaturarum ab ipso. Confirmatur: Quia Deo in creaturas omnes tribuendum est perfectissimum dominium & summa potestas quæ animo concipi potest, & creaturis summa subiectio & dependentia. Atqui multò erit perfectius dominium Dei & potestas, maiorque creaturæ subiectio & dependentia, si hæc nihil sine ipsius auxilio possit: ergo statuendum, ipsam in omnibus eius ope egere. Maior per se patet; similiter & Minor. Confirmatur: Sic enim facilè intelligitur, Primò, Quomodo nihil sine ipsius nutu fieri possit. Secundò, Quomodo omnes actiones creaturarum possit impedire absque vlla vi, aut earum læsione, solius sui concursus generalis insensibili denegatione. Tertiò, Quomodo possit conseruare, verbi gratia, lumen a sole productum, cessantibus causis secundis. Quarto, Quomodo intel-

Tolleretur perfecta subiectio creatura.

lectui & voluntati possit immediatè supernaturales actus immittere,&c. Quintò, Quomodo actionem ignis Babylonici suspenderit in pueros, non in regios ministros: quomodo Dominus se adspectui Iudæorum subtraxerit,&c.

Quartò, Accedit, quòd ipsum *operari* & *producere* sit res valdè 14
mirabilis, adeò vt aliqui Doctores negauerint creaturam posse aliquid propriè producere, putantes Deum omnia operari ad præsentiam creaturæ. Ita senserunt aliqui, quos tacito nomine refert S.Thomas 1.p.q.105.a.2. quam sententiam Petrus de Alliaco,& Gabriel in 4.d.1.q.1.a.3.dub.3. putant probabilem. In omni enim operatione producitur aliquid ex nihilo; quia id quod producitur, anteà nihil erat. hoc autem videtur excedere vires creaturæ, estq; ingenio humano inexplicabile. Verùm nullo modo neganda est creaturis vera efficientia: alioquin frustrà illis vires datæ essent, frustrà variis organis instructæ. Imò si generatim hæc sententia intelligatur (sicut intelligi debet,cùm omnium causarum secundarum eadem sit ratio) tolletur libertas arbitrij, & cõsequenter meritum & peccatum, cælum & infernus; & Deus omnium malorum solus erit auctor. Dicendum igitur,creaturam posse operari & producere non solam,sed concurrente & adiuuante causa prima, cui primò & per se ipsum *esse* in quouis effectu respondet, vt multis locis docet S.Thomas 1.p.q.8.a.1.& q.45.a.5. & in 2.Sent.d.1.q.1.art.4. & alibi. Denique, hæc sententia media est inter duas extremas; quarum altera affirmat, solum Deum effectus causarum secundarum producere; altera, solam creaturam. Dicimus enim, vtrumq; concurrere,& physicè in effectum influere; ita vt causa secunda verè &propriè effectum producat,non tamẽ absq; ope & auxilio Dei.

Hinc sequitur, sicut nulla creatura fieri potest,quæ non dependeat ab influxu Dei in existendo: ita nulla fieri potest,quæ non dependeat ab illius influxu in operando. In vtroque enim æquè egget influxu Dei propter essentialem ordinem & dependentiam ab ipso,qui est omnium esse, omnium vigor.

CAPVT IV.

Quo modo Deus creaturis cooperetur.

Quo modo Deus cooperetur rebus suo concursu generali.

OSTENDIMVS Deum omnes causas creatas in operando iuua- 15
re; nunc breuiter explicandum,quomodo hanc opem confe-
rat. qua de re plurima dici possent, de quibus alibi ex professo satis actum.

actum. Itaque nunc absque vlla disputatione vel refutatione sententiæ contrariæ, statui simplici modo veritatem declarare. Suppono, *concursum generalem* Dei nihil esse aliud quàm benignam & suauem Dei cooperationem, qua singulis rebus accommodatè ipsarum naturæ cooperatur, vnà cum ipsis influendo immediatè in earum effectum. Etsi enim causæ secundæ sint sufficientes & totales in suo ordine, absolutè tamen non sunt totales, sed quasi partiales, egentes adminiculo causæ primæ, ita vt ex causa prima & secunda vna totalis & omnino integra causa, nullius alterius opis indiga, constituatur.

Explicatur exemplo causarum partialium.

Sicut igitur partiales causæ eiusdem ordinis altera nõ agit in alteram, nec determinationem aliquã præuiam altera alteri imprimit, sed simul omnino & dependenter à mutua cooperatione influunt immediatè in effectum (vt patet his exemplis. Primò, quando duo trahunt nauem, vel leuant aliquod pondus: Secundò, quando potentia[a] visiua vnà cum specie visibili producit visionem: Tertiò, quando intellectus[b] vnà cùm specie intelligibili intellectionem: Quartò, quando voluntas vnà cum habitu charitatis dilectionem supernaturalem, &c.) ita quando Deus concurrit concursu generali cum causa secunda, non agit in illam, nec vllam præuiam motionem, impulsum, vel determinationem illi imprimit; sed simul agit cum illa, ita vt vtraque causa cum mutua dependentia immediatè in effectum influat, non secùs ac si causæ partiales essent. Et quamuis Deus possit solus totum effectum producere, tamen quando cooperatur causæ secundæ, non adhibet tam fortem & plenum influxum, sed modicum & veluti partialem, vt creaturæ etiam in agendo suas partes relinquat. Sicut cùm vir robustus iuuat puerum in onere portando, ita se accommodat, ita temperat suum auxilium, vt puer etiam aliquid conferat; sic vt oneris gestatio ab vtroque partialiter procedat.

[a] [b] Hęc intellige iuxta sententiam probabiliem eorum qui ponunt species visibiles & intelligibiles effectiuè cũ potentia concurrentes.

Totus effectus est à singulis causis partialibus.

16 Rursus, sicut cùm causæ partiales eiusdem generis concurrunt ad eumdem effectum in exemplis prædictis, non est putandum, hanc partem effectus fieri ab hac causa partiali, illam ab illa (nam multi effectus sunt omnino simplices, vt patet in visione, intellectione, volitione) sed totus effectus secundùm omnes suas partes est à singulis causis partialiter influentibus, & veluti dimidiatas vires dimidiatosque influxus conferentibus. Eodem modo cùm causa prima & secunda concurrunt, non est existimandum, aliam partem effectus, aut alium gradum esse à causa prima, alium à secunda:

cunda: sed totum quoad omnes partes & gradus esse à prima, & totum à secunda; vtraq; causa veluti partialem influxum præbente. Sicut tota visio est à potentia visiua, & tota à specie visiua: totus actus charitatis à voluntate, & totus ab habitu supernaturali: totus motus nauis, totusq; impetus illi impressus ex quo motus sequitur, est ab hoc trahente, & totus ab illo. Sicut enim tota vis necessaria ad productionem effectus potest esse in vna re, ita potest interdum esse veluti diuisa in duobus: & tunc illa duo erunt causæ partiales, & constituent vnam causam integram. Pari modo influxus vnius causæ potest interdum esse ita plenus, vt sufficiat ad productionem effectus; interdum ita tenuis, vt nihil valeat nisi influxus alterius causæ ei sit coniunctus. Talis est vis & influxus omnis creaturæ sub Deo.

Hi concursus non sunt res distincta.

Hinc patet, concursum Dei non esse rem aliquam distinctam à concursu causæ secundæ, cùm vnum eumdemque simplicem terminum habeant: sed productio vnius eiusdemque rei, vt est à Deo, dicitur concursus Dei; vt est à causa secunda, dicitur concursus causæ secundæ. Itaque solùm distinguitur per respectum & dependentiam à causa. Idem cernitur, quotiescumque simplex effectus à duabus causis partialibus procedit. *Productio* enim rei non distinguitur ab ipsa re producta, sed est ipsa res spectata vt in fieri, seu vt dependens in primo instanti à sua causa. Quare cùm in re producta non sit aliqua distinctio realis, neque in ipsa productione, aut inter ipsos concursus vlla distinctio realis erit.

Quid productio.

Singulis causis partialibus aliquid in effectu respondet.

Semper tamen quando plures causæ partiales, vel quasi partiales, ad eumdem effectum concurrunt, singulis respondet aliqua propria ratio formalis in effectu, quę per se primò in talem causam sit referenda; verbi gratia, cùm potentia videndi vnà cum specie visibili producit visionem albi, in illa visione multa considerari possunt; vt, quòd sit talis speciei, quòd sit visio, quòd actus vitalis, quòd hîc & nunc fiat. Et quidem quòd illa visio sit talis speciei, id est, quòd potiùs sit albi quàm nigri, habet à specie visibili; quòd sit visio potiùs quàm auditio, vel alterius potentiæ operatio, habet à potentia videndi; quòd sit actus vitalis, habet ab anima, siue à potentia, vt est vis animæ; quòd hîc & nunc fiat, habet à libertate voluntatis, vel quia contingit hîc & nunc applicari obiectum. Simili modo quòd dilectio Dei sit supernaturalis, habet à gratia præueniente, vel habitu charitatis; quòd sit dilectio potiùs quàm actus alterius speciei, habet à libertate voluntatis determinantis se potiùs 17

potiùs ad hanc speciem, quàm ad aliam; quòd sit actus liber, similiter habet à libertate voluntatis se pro hoc tempore & loco determinantis.

Quid causa prima, quid secunda respondeat in effectu communi.

Pari modo, quia causa prima & secunda concurrunt veluti causæ partiales, assignandum est aliquid in effectu quod vtrique propriè respondeat. Quæ cùm Deus concurrat vt causa prima & maximè vniuersalis, ei respondebit tamquam proprius effectus in re producta, illa ratio quæ maximè est vniuersalis: effectus enim vniuersales attributione, referendi sunt in causas vniuersales causalitate; maximè autem vniuersalis est ratio essendi: hæc igitur in omnibus rebus propriè & per se primò est à Deo. quod etiam multis locis alta mente tradit S. Thomas, vt supra num. 14. ostensum, neque rectè à quibusdam oppugnatur. Rationes verò particulares referendæ sunt in causas secundas, vt ex prædictis exemplis constat. Itaque quòd res illa quæ producta est, sit aliquid particeps esse & essentiæ, & consequenter, vnitatis, veritatis, bonitatis, habet per se primò à causa prima; quòd autem sit talis speciei vel generis potiùs quàm alterius, per se primò habet à causa secunda.

Conclusio 5. ex doctrina de concursu Dei.

Non ledi libertatem.

18 Ex his patet Primò, Per concursum Dei nullo modo lædi libertatem; quia non est influxus aut impressio in voluntatem vt ipsa est agens, nec vllo modo præuenit influxum liberum voluntatis in actum; sed eum comitatur, ita vt simul cum influxu voluntatis sit vna simplex & immediata productio actus volitionis aut nolitionis, &c. Vnde non magis adfert necessitatem voluntati quàm concursus habitus supernaturalis. Sicut enim habitus ita coniunctus est voluntati, vt eius influxus in actum sit in potestate voluntatis: ita Deus se eo modo voluntati accommodat & coniungit, vt concursus & influxus eius sit in voluntatis potestate. Cum enim intimè sit præsens rebus omnibus, easque suo substantifico influxu conseruet, omnibus esse & vigorem impertiens; non est ei difficile ita se illi attemperare, vt vnà cum illis operetur, easque iuuet.

Concursus Dei generalis non est causa cur actus sit huius vel illius speciei.

19 Patet Secundò, Concursui diuino non esse imputandum quòd actus sit prauus, vel talis speciei, vt si rationis vsus adsit, non nisi prauus esse queat: quia concursus diuinus quatenus à Deo est, non tendit ad talem speciem actus, sed potiùs ad opus bonum; nam in eum finem à Deo datur: sed concursus voluntatis illum determinat & restringit contra intentionem Dei ad illam speciem; sicut vis quæ est in semine, suo influxu flectit & restringit influxum

solis ad hanc vel illam speciem plantæ producendam. Quare non est dicendum simpliciter, affectum furti, fornicationis, homicidij, odij esse à Deo, vel Deum esse causam & auctorem talis affectus, vel talis actus positiui, secundùm suam speciem considerati. Talis enim modus loquendi denotat intentionem vel causalitatem determinatam. atqui Deus actum illum non intendit in specie, nec cupit illum fieri, sed grauiter prohibet: non enim solùm odio habet & prohibet ipsam malitiam operis, sed etiam opus ipsum, cui necessariò malitia in eo qui ratione vtitur, connexa. Vnde etiam in tale opus non præbet influxum ex se determinatum ad speciem talis operis, sed indeterminatum; qui non sufficit vt simpliciter dicatur auctor illius operis. Hinc nemo Catholicus dixerit, Quòd in me sit affectus adulterij, vel homicidij, id à Deo prouenit; Deus est mihi causa vel auctor talis affectus. Quam ob causam S. Augustinus expressè docet, tales motus & affectus non esse à Deo, nec Deum esse illorum auctorem; quia, inquit, talis motus peccatum est. vide illum lib. 12. Confessionum cap. 11. & lib. De perfectione iustitiæ, ratiocinatione quarta; vbi etiam dicit, tales motus *non esse res*, sed nec censendos in numero rerum, quando dicimus rem omnem esse à Deo, & Deum auctorem esse omnis rei. Possunt tamen huiusmodi locutiones admitti cum hac limitatione, vt dicatur esse à Deo *vt à causa vniuersali*, qui solùm influxu generali ad illos motus cooperatur absque intentione talis motus, vt eruditè tradit Molina 1. p. q. 19. a. 6. disput. 3. Talis enim modus causandi non sufficit vt possit simpliciter dici causa vel auctor illorum motuum secundùm propriam speciem. Nec obsistat quòd Deus sit causa vniuersalis effectuum qui ab aliis causis fiunt, vt fructuum terræ, procreationis animaliũ, ventorum, &c. & tamen propriè dicatur illorum omnium auctor, & omnia illa facere ac producere: quia non solùm est causa istorum vniuersali concursu, sed etiam peculiari virium ad hos effectus institutione. vnde etiamsi non præberet concursum (vt volebat Durandus) nihilominùs absolutè diceretur illorum auctor. secùs est in re proposita: quia vires liberi arbitrij non instituit ad tales actus, nec præbet concursum vt tales actus fiant. Potest tamen dici auctor istius operis quatenus est res quædam, vel etiam vt est actus voluntatis in genere: nam concursus quem præbet Deus voluntati, per se primò tendit ad esse, & datur eo fine vt eliciatur actus aliquis vitalis à voluntate: datur enim concursus à Deo rebus singulis, vt operationes naturæ

suæ

ſuæ conſentaneas edant. Vnde operationes illæ ita in genere ſpectatæ,& ſecundùm genericam illam rationem ſunt intentæ à Deo, & Deus earum auctor dici poteſt. Hæc de concurſu, inſtituto noſtro ſufficiant.

Tertiò colligitur, quanta ſit hac in re Dei benignitas, qui ne creaturæ iam factæ remanerent inutiles,& tamquá mortuæ,omni ſenſu, motu, vigore, energia deſtitutæ; benigniſſim è ſe illisapplicat, illas ad omnes actiones iuuat, illis vbique cooperatur,& cum illis aſſiduè dies nocteſque veluti laborat, idque hominis potiſſimùm cauſa,propter quam tota creatura corporalis eſt inſtituta. *Benignitas Dei.*

Quartò, quanta ſit creaturæ ad Deum ſubiectio, quanta in omnibus dependentia. Nam ratione neceſſitatis huius concurſus, nihil omnino nec boni nec mali ſine ſingulari Dei nutu fieri poteſt: & omnes cauſæ creatæ à ſuis functionibus abſque vlla vi, ſolo concurſu denegato, ſuauiſſimè impediri poſſunt. *Subiectio creaturæ.*

Quintò, cauſas omnes ſecundas triplicem habere à prima dependentiam. Primò,ratione virium acceptarum. Secundò, ratione aſſiduæ conſeruationis. Tertiò, ratione concurſus. Nemo igitur in ſeipſo glorietur, nemo ſuam ſapientiam, potentiam, virtutem, robur iactet, cùm etiam in minimis à Deo pendeat,& ſine ipſius ope,ne manum quidem mouere queat. *Dependentia triplex.*

CAPVT V.

De prædefinitione ſeu decreto diuino.

20 TERTIVS actus pertinens ad gubernationem eſt,*prædefinitio* ſeu *decretum*. Eſt autem *prædefinitio* Dei, (Græci προορισμὸν vocant) æternum Dei decretum,quo ſtatuit vt aliquid fiat in tempore ſiue à ſe,ſiue à creatura. Itaque eſt actus internus & liber diuinæ voluntatis, reſpiciens obiecta quæ extra Deum. Verùm vt reſpicit primam rerum originem & conditionem, non pertinet ad gubernationem, neque inter actus gubernationis cenſeri debet, ſed ad primam inſtitutionem, qua ea quæ gubernanda ſunt,inſtituuntur: eiuſque opus externum eſt *creatio*. Sed ad gubernationem pertinet quatenus extendit ſe ad ea quæ poſteà circa creaturam, vel à creatura agenda ſunt. *Tertius actus, Prædefinitio.*

Notandum autem eſt, longè aliter eſſe prædefinita, quæ initio mundi à Deo ſunt creata & inſtituta, aliter quæ ſucceſſu tem- *Diſcrimen prædefinitorũ.*

poris in mundo erant futura. Quæ enim initio sunt instituta, prædefinita fuere absoluta & efficaci voluntate, ante omnem præuisionem determinationis causarum secundarum cum omnibus suis circumstantiis & conditionibus; nimirum, vt fierent ista non alia, tali momento, in tali spatio, tali mensura & forma, tali situ & ordine, talibus viribus & qualitatibus. Hæc omnia distinctissimè ab æterna mente concepta, & sic absolutè decreta, & ex vi æterni decreti initio mundi sic condita & formata. Hoc tamen intellige de conditionibus rerum quæ perfectionem insinuant, non quæ defectum; vt esse corruptibile, posse peccare, posse annihilari. Hæc enim non sunt per se intenta à Deo in rebus, sed permissa tantùm, & quasi necessitate materiæ obuenientia. Ideò enim res potest dissolui, quia ex elementis composita; ideò annihilari, quia ex nihilo; ideò peccare, quia non est sua regula, nec suæ regulæ necessariò coniuncta: vel si vlteriorem causam requiris, quia ex nihilo. Itaque ex vi intentionis diuinæ res non sunt huiusmodi.

Posse peccare, an præfinitum à Deo.

Augustinus l. 12. De Ciu. c. 1. & 6. Fulg. l. De fide ad Petrum c. 3.

Quæ verò posteà fiunt in rebus ferè aliter prædefinita sunt. Primò, Quia ferè præfinita sunt, suppositâ præuisione alicuius conditionis in causa secunda à libertate eius dependentis. Hoc enim bona gubernatio postulabat, vt nihil in cursu primæ institutionis mutaretur, nihilque noui adderetur, nisi ex aliqua causa de nouo exorta: quæ causa non poterat esse nisi ex libero arbitrio; reliqua enim omnia sequerentur necessariò ex prima institutione. Deinde, non ita absolutè, sed multa sub conditione, & cum assidua dependentia à determinatione voluntatis creatæ. Tertiò, In plurimis adiaphorum est Deo, sic an sic res fiant. Præcipuè autem difficultas est de operibus bonis, quomodo à Deo sint prædefinita: ex modo enim præfinitionis illorum, facilè intelligi poterit quomodo indifferentia & plerique effectus rerum naturalium præfinita sint. Damascenus l. 2. Fidei orthodoxæ c. 30. videtur simpliciter negare ea esse à Deo præfinita: Πάντα μὲν, inquit, προγινώσκει ὁ Θεὸς· οὐ πάντα δὲ προορίζει· προγινώσκει γὰρ τὰ ἐφ' ἡμῖν, οὐ προορίζει δὲ αὐτά. *Omnia quidem Deus prænoscit, non omnia tamen præfinit: prænoscit enim ea quæ in nostra sunt potestate, non tamen ea præfinit.* Quidam putant illud *præfinit*, hìc ita accipi à Damasceno, vt sit idem quod *necessitatem adfert*: & ipsum solùm velle, Deum non adferre necessitatem operibus nostris. Verùm aliud est προορίζειν, *præfinire*; aliud ἀναγκάζειν, *necessitatem adferre*. *Præfinitio* enim est in Mente diuina, vtpote decretum seu volitio diuina: necessitas verò, seu

21

22

actio

actio qua necessitas infertur rebus, est in ipsis rebus. Vnde nemo vmquam istis nominibus ita vsus est, vt προορίζειν sit idem quod *necessitare*, seu *necessitatem adferre*. Itaque loquitur Damascenus de decreto diuino, non quolibet; sed quo ante præuisionem determinationis causæ secundæ, ex se aliquid absolutè decernat & statuat. Hoc enim est propriè προορίζειν, *præfinire* seu *prædefinire*. Hoc modo non prædefinit omnia, etsi omnia prænoscat. Quia non prædefinit ea quæ sunt in nostra potestate, & pendent à libertate arbitrij nostri. Probat Damascenus, Deum hæc non prædefinire, *Quia*, inquit, *non vult malitiam seu peccatum, neque cogit ad virtutem*. Ibi insinuat, duo requiri ad præfinitionem. Primò, Vt Deus velit illud fieri. Secundò, Vt velit absolutè; ita vt si homo sponte non faciat, illum cogat & necessitet. Itaque etsi ex absoluta præfinitione secundùm Damascenum sequatur coactio vel necessitas, non tamen idcircò præfinire idem est quod necessitare vel cogere.

Duobus tamen modis possunt opera bona dici prædestinata & prædefinita. Primò, Præfinitione non absoluta, sed conditionata; idque ante præuisionem determinationis nostræ voluntatis. Desiderat enim vehementer vt opera bona faciamus, & in hunc finem nos excitat variis modis internis & externis. Secundò, Præfinitione absoluta, supposita præuisione nostræ determinationis, vel ea comitanter se habente. Cum enim ante præuisam nostram determinationem prædefiniat nostra bona opera ex hypothesi, si nostra voluntas se ad illa velit determinare; posita illa hypothesi, illa prædefinitio conditionata transit in absolutam, & fit efficax, ita vt simul cum nostra voluntate influat in opus. Mala tamen non sic vult, ne sub conditione quidem: quia non desiderat ea fieri; neque vt illa fiant, vires & concursum præbet, nec vllo modo approbare potest: sed tantùm permittit, iuxta illud Habacuc 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Ne videas*, id est, ne approbes, ne velis aliquid quod sit iniquum & legi diuinæ contrarium. Quòd autem bona opera non sint in particulari prædefinita absoluto decreto ante præuisionem absolutam determinationis nostræ voluntatis, fusè à nobis ostensum est in Tractatu de Prædestinatione n. 17. & sequentibus: quæ omnia ex hoc loco in illum transtulimus. est enim illa quæstio magni momenti in Theologia; & ideò prolixiùs ibidem tractata, neque hìc repetenda.

CAPVT VI.

De Permissione.

Quartus actus, Permissio.

QVARTVS actus ad gubernationem pertinens, est *permissio*. Est 23
autem permissio propriè non actus internus in Deo sicut decretum, sed externus; accepto nomine *actus* latè, vt comprehendit etiam liberum *non-agere*. Aliud enim est permittere, aliud velle non impedire. Alioquin si permittere esset formaliter velle, cùm dicimus, Volo permittere, esset reflexio voluntatis super suum actum, & significaremus nos habere volitionem volitionis non impediendi, quod non est verum: tantùm enim significamus nos habere volitionem non impediendi.

Quid permissio.

Est igitur *permittere* idem quod non impedire, cùm tamen fa- 24
cultas impediendi suppetat. Pertinet propriè ad ea quæ vel displicent (in quibus subest aliqua impediendi ratio) vel sunt adiaphora, ita vt non curemus, fiant nec ne; sic fiant, an aliter, &c. Nemo enim dicitur propriè permittere fieri, quæ fieri cupit. Itaque vt propriè & in actu secundo aliquid dicatur permitti, requiruntur quin-

Quinque requisita ad permissionē.

que. Primò, Vt displiceat permittenti, vel illi sit adiaphorum, vt dictum est. Secundò, Vt sit euenturum, nisi causa impediatur. quod enim non est euenturum, propriè non est permissum, nisi in actu primo, quatenus causa non fuit impedita, quò minùs posset illud sicut alia facere vel producere. quo modo Deus dicitur sinere res agi suis motibus, dum illas non impedit, quin secundùm naturæ suæ conditionem quidlibet operentur: quo etiam modo ex consequenti, & secundariò sunt permissa multa mala, quæ homo potest facere, & non facit. Tertiò, Vt sciat euenturum nisi ipse impediat, si enim nesciat euenturum, non potest dici voluntariè & in particulari permissum. Quartò, Vt adsit facultas impediendi. Impropriè enim dicimur permittere solem moueri, cœlum pluere, &c. Quintò, Vt nolis, vel voluntariè omittas impedire; siue vt te non opponas, sed sinas rem fluere suis motibus. qui enim se opponit & conatur impedire, non dicitur permittere, etiamsi res eueniat.

Permissio est quid temporale.

Ex his patet Primò, omnem permissionem propriè fieri in tem- 25
pore. Sicut enim actus impediendi, quo aliquis effectus impeditur ne fiat, est temporalis: ita actus permissionis, qui consistit in non impediendo, estque negatio operationis positiuæ, temporalis est, &

co-

coëxistit causæ, quæ suis motibus agi sinitur, eiusque operationi.

Patet Secundò, Omnem permissionem diuinam non minùs quàm operationes Dei positiuas cadere sub æternum Dei decretum. Sicut enim Deus nihil facit in tempore, nec vllum creaturæ effectũ impedit, quin decreuerit illud facere vel impedire ab æterno: ita etiam nihil omnino permittit, quin illius permissionem ab æterno decreuerit. Itaque nullum committitur peccatum in mundo, quin Deus in particulari ab æterno permittere statuerit. *Cadit sub decretum diuinum.*

26 Patet Tertiò, Sicut omnis Dei operatio est bona, & ob eam est laudandus & benedicendus; ita quoque omnes ipsius permissiones bonas esse, & ipsum ob eas laudibus celebrandum, quamuis ea quæ permittit, detestanda & pessima sint: habet enim iustissimas & sanctissimas rationes cur mala permittat. Vnde D. August. in Enchirid. c. 96. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum, Deum benè facere, etiam fieri sinendo quæcumq; fiunt malè. Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit.* *Omnis Dei permissio bona & laude digna.* *Cur Deus permittat mala, præsertim culpæ.*

27 Prima causa est generalis; quia decet gubernatorem vniuersalem & supremum, vt postquam res omnes optimè & sufficientissimè ad omne bonum instruxit, sinat eas agi suis motibus: alioquin auxilium collatum non videretur fuisse sufficiens, & bonum opus videretur coactum, nec esset tanta laude dignum. Secundò, Vt creatura rationalis sese excitet ad bonum faciendum & malum vitandum, semper intenta & solicita ne gratiæ diuinę desit. quòd si Deus nullum peccatum permitteret, cessaret illa solicitudo, & Deo committerentur omnia. Tertiò, Quia ex malo nouit elicere maxima bona. Hæc est causa non finalis, sed *sine-qua-non* permissionis mali. Vnde S. August. in Enchiridio cap. 11. *Neque*, inquit, *Deus omnipotens, cui rerum est summa potestas, cùm summè bonus sit, vllo modo sineret mali aliquid esse in opere suo, nisi vsque adeò esset omnipotens & bonus, vt benè faceret etiam de malo.* Bonum autem quod ex ma- *Prima causa generalis permissionis malorum culpæ, vt plena relinquatur libertas.*

28 lo elicit, est multiplex. Primò, Est ostensio diuinæ iustitiæ, quæ in castigatione peccatorum maximè splendet; & magnitudinis diuinæ Maiestatis, quæ tanta est, vt vel vnicum peccatum mortiferum, eò quòd contra illam committitur, mereatur æternam pœnam. Secundò, Ostensio diuinæ misericordiæ, quæ in remissione peccatorum cernitur. Tertiò, Incarnationis mysterium, vnio hypostatica, Christi humanitas, & quidquid ille pro nobis fecit & pertulit: quæ omnia occasione peccati sunt constituta. Vnde occasione peccati multò magis gloria Dei est illustrata, quàm si nullũ vmquam *Quæ bona ex malo elicent Deus.*

pec-

peccatum fuisset. Quartò, Peccatis impiorum vtitur ad profectum & maiorem gloriam saluandorum. Sic malitia tyrannorum vsus est ad exercitium & gloriam Martyrum. Si enim nulli fuissent tyranni, careret Ecclesia gloria martyrij: si nulli hæretici, non ita probata & illustrata esset fides Ecclesiæ. Vide hac de re S. August. Epist. 141. & 157. & Tract. 90. in Ioan. & in Psal. 54. Quintò, Vtitur ad castigationem aliorum. Sic vsus est malitia Regum Assyriorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Romanorum, & aliorum ad castigationem populi Israëlitici. Vtitur autem non incitando, sed permittendo vt diabolus illos incitet. Simili modo vtitur malitia diaboli ad exercitium sanctorum, & punitionem peccatorum, qua de re vide pulcherrimum locum August. Serm. 3. De Machabæis.

Peccatum posterius est pœna prioris vatione permissionis quæ posterius permittitur in pœnam prioris.

Sextò, Sæpè permittit peccatum in vindictam & punitionem alterius peccati, vt colligitur ex Apost. ad Rom. 1. & hac ratione peccatum dicitur pœna peccati; non quòd ipsum propriè sit pœna, cùm non sit à Deo puniente intentum: sed quia permissio eius pœna est, à Deo volita in vindictam, ex qua permissione per accidens aliud peccatum sequitur. Cùm enim homo per prius peccatum se facit indignum inspiratione & protectione diuina; Deus eam subtrahit, id est, non præbet, vt alioquin fecisset, & ita miser in alia peccata labitur, quæ per gratiam illam euasisset. Nam *permissio peccati*, nihil est aliud, quàm non dare illam gratiam, per quam peccatum fuisset impeditum. Septimò, Interdum permittit Deus hominem in aliquod peccatum labi, vt teporem ipsius vel præsumptionem emendet. Vnde S. August. Serm. 53. De verbis Domini: *Audeo dicere, superbis continentibus expedit cadere, vt in eo ipso in quo se extollunt, humilientur.* Sic cùm quis putat se satis fortem, & de se præsumit, vt Petro accidit, nec cum timore & tremore salutem suam operatur, vtiliter permittitur labi, vt suam miseriam agnoscat, & humiliter de se sentiat. Sic multi Sanctorum occasione lapsus alicuius, postea cautiores, feruentiores, & humiliores fuere. Denique bonum elucet & splendet ex comparatione mali, vt docet Augustinus in Enchirid. c. 11. *Malum benè ordinatum & suo loco positum, eminentiùs commendat bona, vt magis placeant & laudabiliora sint, dum comparantur malis.* Ex his constat, maximè pertinuisse ad diuinam prouidentiam, permissionem malorum, vnde tanta bona redundarunt.

Permissio peccati quid sit.

Dixi hæc bona non esse causam finalem permissionis peccati, sed *sine-qua-non*: quia nullum bonum, quod ad sui executionem requirit

quirit vel ſupponit peccatum, poteſt per ſe appeti vel intendi à Deo priuſquam ſit peccatum, ſed ſolùm appetitur ſuppoſito peccato. Tale bonum eſt, quod per ſe eſt remedium peccati, ſicut *pœnitentia*, vel *caſtigatio peccati*; ſicut pœna tum huius vitæ, quæ eſt medicinalis; tum futuræ vitæ, quæ eſt pura vindicta: vel *exercitium* & *patientia piorum* ex afflictionibus irrogatis ab impiis: vel *oſtenſio miſericordiæ* in condonandis peccatis, aut *iuſtitiæ* in puniendis: vel humiliatio hominis per proprij lapſus conſiderationem; vel quid ſimile, quod ſine peccati interuentu non poteſt executioni mandari. Nihil horum Deus ex ſe cupit, nec captat occaſionem vt talia faciat, aut vt talia fiant priuſquam ſit peccatum: imò ex ſe optat vt numquam talium bonorum detur occaſio. Suppoſito tamen peccato, illa bona deſiderat & intendit: quia tunc illa rationem boni & deſiderabilis obtinent, & eorum executio ſine peccato fieri poteſt. Itaque dicuntur hæc volita non *voluntate antecedente*, quam Deus ex ſe concipit, & tantùm ad ea, quæ per ſe bona ſunt, pertinet; ſed *conſequente*, quæ ex nobis occaſionem accipit, vt inquit Damaſcenus l. 2. De fide orthodoxa cap. 29. Ex quibus perſpicuum eſt, permiſſionem peccati (cùm ipſo peccato ſit prior) non prouenire ex affectu quo Deus cupiat iſta bona, ita vt hæc ſint prò priè finis illius permiſſionis: ſed ſolùm habere rationem cauſæ *ſine-qua-non* reſpectu illius permiſſionis.

Bonum ſupponens peccatum, non eſt per ſe expetendum.

Voluntas antecedens.

Voluntas conſequens.

31 Quod vt meliùs percipiatur, conſiderandum eſt, dupliciter poſſe aliquod malum permitti. Primò, Ex deſiderio vt eueniat, nimirum vt inde habeas occaſionem alicuius boni eliciendi; vt ſi Medicus permittat morbum ingraueſcere, vt ex curatione plus lucretur, vel artem ſuam magis oſtentet. & tunc ipſum malum directè eſt volitum, vt ſit occaſio illius boni. Secundò, Non ex deſiderio vt eueniat (imò diſplicet ſi eueherit) ſed ob aliam cauſam, verbi gratia, ſic videaris importunus (quo modo qui aliorum curam gerunt, nonnulla interdum permittũt;) vel vt cognoſcas conditionem hominis, vt cùm pater permittit filium furari, vt eius indolem exploret, & ſi furetur corrigat. Hoc modo Deus permittit peccatum, etſi ſummopere illud diſpliceat. habet enim iuſtiſſimam cauſam permittendi, vt antè dictum eſt; nimirum, vt res ſinantur agi ſuis motibus, & vires quas ab ipſo acceperunt, ſponte in opus exerant. Ob hanc tamen cauſam (quæ eſt eius bonitas) tantum malum non permitteret, niſi ſciret ex illo aliud bonum elicere: & ita hoc bonum eſt cauſa non finalis, ſed *ſine-qua-non* iſtius permiſſionis. quod

Duplex permiſſio mali.

apertè indicat S. Augustinus in Enchiridio cap. 11. quem suprà adduximus.

Quo modo peccata cadant sub diuinam prouidentiam.

Patet quartò, Etiamsi peccata non sint opera diuinæ prouidentiæ, neque ex prouidentiæ vi proueniant, cùm nullo modo à Deo sint volita, neque vires eo fine naturæ rationali contulerit; non tamen fieri absque diuina prouidentia (hæc enim valdè sunt distincta, fieri per diuinam prouidentiam, & fieri non sine diuina prouidentia) sed verè & propriè sub diuinam prouidentiam cadere. Primò, quia sine permissione & concursu diuino fieri nequeunt: atqui permissio est actus diuinæ prouidentiæ, supponens decretum permittendi & præscientiam conditionalem, qua præuidet futura si permittantur. Similiter concursus est actus diuinæ prouidentiæ supponens decretum & præscientiam. Deinde, quia peccatum est veluti materia, ex qua diuina prouidentia multa bona elicit, vt ostensum est. Ex quibus constat, etsi Deus nullo modo velit aut decernat peccatum, multos tamen diuinæ prouidentiæ actus circa illud versari. Primus est, scientia conditionalis qua præuidet illud futurum si permittatur, & notitia distincta rationum omnium cur possit meritò permitti. Hic actus est in hoc ordine veluti fundamentum. Secundus est, voluntas permittendi, & concursum generalem præbendi. Tertius est, cognitio quasi abstractiua illius peccati tamquam absolutè futuri. hæc enim cognitio sequitur immediatè ex decreto permittendi, suppositâ præscientia conditionata. Quartus est, visio intuitiua absoluta illius peccati. Quintus est, voluntas vindicandi, parcendi, aut alia bona inde eliciendi. Sextus est, permissio temporalis & concursus. Septimus, punitio, vel condonatio illius peccati: ex qua sequitur admiratio, laus iustitiæ diuinæ vel misericordiæ, aliaque bona quæ in tempore Deus ex peccatis elicit. Quare perspicuum est, etiamsi Deus opera peccatorum non prædefiniat, non ideò otiosè tamquam spectatorem quemdam se ad illa habere, quasi nihil ad ipsum pertineant; sed vndique eius prouidentiam se illis ingerere. 32

Actus diuinæ prouidentiæ circa peccatum versantes.

Nihil fugere potest prouidentiam diuinam.

Patet quintò. Nullam omnino rem posse amplitudinem diuinæ prouidentiæ egredi & effugere; sed omnia eius ambitu concludi. Omnes enim causæ, quantumuis magnæ vel paruæ, ita diuina potestate continentur, vt absque eius nutu & concursu, nulla vel in minimum actum motúmve possit emicare. Vnde S. Augustinus in Sentent. apud Prosperum: *Voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium spiritualiumq; motionum. Nihil enim fit visibiliter* 33

ter & sensibiliter, quod non de inuisibili & intelligibili summi Imperatoris aula aut iubeatur aut permittatur, secundùm ineffabilem iustitiam
32 *præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensáque Republica.* & in Enchirid. cap. 96. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat,*
34 *vel ipse faciendo.* Et quamuis peccatores nitantur se diuinæ prouidentiæ & dispositioni subtrahere, non tamen possunt: dum enim subtrahunt se ordini diuinæ directionis, incidunt in ordinem castigationis; & dum subtrahunt se benignitati misericordiæ, incurrunt in seueritatem iustitiæ; & dum nolunt Deum honorare bonis operibus, coguntur honorare perpetiendis suppliciis; denique, dum nolunt ei sponte subesse obediendo præceptis, coguntur subesse inuiti in sustinendis tormentis.

CAPVT VII.

De malorum impeditione.

QVINTVS actus gubernationis est, *multorum malorum impeditio.* Tot enim & tanta mala, posito semel peccato, à causis creatis irruerent, vt nisi per diuinam prouidentiam impediren-
35 tur, breui mundum perderent. Ac primùm infinita mala impedit, quæ quisque in seipso esset facturus, & quibus suam animam grauissimè damnaturus. Nam, vt inquit S. Augustinus, *Nullum malum facit homo, quod non faceret alius homo, nisi eum custodiret gratia illius, qui pro nobis factus est homo.* Quisque id in seipso facilè aduertit, cùm variorum peccatorum occasiones propinquas vel remotas, in quibus aliquando fuit, considerat. Itaque gratiæ diuinæ imputare debet non solùm bona quæ fecit, sed etiam mala quæ vitauit: vt quod in hæreses non inciderit, quòd libidinis barathrum vitauerit; quòd homicidia, furta, sacrilegia, &c. non commiserit. nisi enim Deus hominem à pueritia protegat, occasiones malo-
33 rum auertat, salutaria inspiret, & cursum vitæ dirigat, facilè in quæ-
36 uis peccata incidit. Secundò, Impedit infinita mala quæ diabolus esset illaturus. vnde Dominus Luc. 22. ait: *Simon, Simon, expetiuit vos satanas, vt cribraret tamquam triticum: ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* Tanta enim est diaboli potentia, vt facilè omnes mortales posset peruertere, omnẽ religionem extinguere, omnia sacra & cultui diuino dicata vastare, & omnia hęc inferiora turbare, miscere, perdere; nec deest ei ad hoc incensa voluntas: sed

per diuinam prouidentiam furor illius tamquam vinculis quibusdam cohibetur,& potentia comprimitur,vt ne hilum quidem amplius valeat, quàm Deo manum suam laxare placuerit, vt perspicuum est ex Historia S. Iob, cui absque peculiari Dei concessu ne minimum quidem nocere poterat,non solùm in corpore, sed neq; in rebus externis & possessionibus. & ex historiâ legionis dæmonum, quæ expulsa ab homine rogauit Dominum vt permitteret inuadere porcos: Matthæi 8. & Lucæ 8. Ita enim à Deo continentur sicut furiosi canes vel leones, quos moderator sic cõstrictos tenet,vt nihil possint,nisi quantum ipse permittit, vinculum laxando,vel contrahendo. Simili modo continet vim impiorum ne Ecclesiam euertant,& omnia sua impietate inficiant.

Quomodo Deus vtatur impijs.

Ex quo facilè intelligi potest, quõ modo dicatur illis vti ad alio- 37
rum exercitium vel castigationem: non enim ad hoc opus est incitatione aliqua occulta, aut motione; absit à Deo tantum nefas: sed sufficit vt manum qua illos cohibebat, remittat, & vires compressas relaxet, finatq; ferri suis motibus; cohibendo tamen ne ad alia,aut aliter id fiat,quã ipsi placuerit permittere. Etsi enim Iudaicæ malitiæ habenas dedit in Christum sæuiendi,non tamen quouis modo illos sæuire permisit; sed ita continuit, vt nec alia nec aliter id facerent, quàm mysteriò illi congrueret, idque vel alias cogitationes impediendo, vel alias opportunitates subtrahendo, vel etiam, si fortè opus fuit, obiecta quædam eò pertinentia phantasiæ offerendo: quamuis hoc tertium credibile est, non per se, sed per diabolum sola permissione sua effecisse, quando res mala erat. Etsi enim, cùm malitia alicuius est in genere ad malum inferendum determinata, non sit per se malum, obiectum animo obiicere, verbi gratia, hominem, vel instrumentum,vel tormenti genus; tamen non videtur ita conueniens, vt Deus id per se faciat; sufficit vt diabolo id facere permittat. Itaque non sine singulari diuinæ 38
prouidentiæ dispositione accidit, quòd Dominus in sua passione ab omnibus Apostolis desertus, quòd à Petro negatus, quòd ab Herode veste alba indutus, quòd sub specie castigationis tamquam dimittendus tam durè flagellatus, quòd spinis coronatus, quòd arundo potiùs quàm baculus veluti sceptrum in manus ei tradita,quòd ad crucem potiùs quàm ad lapidationem damnatus, quòd homicida pro eo dimissus, quòd extra ciuitatem in monte versus Occidentem inter duos latrones (quorum alter qui saluandus erat, ad dextram, alter qui damnandus, ad sinistram positus) fuerit

Mysteria passionis Christi quo modo à diuina prouidentiæ dispositione pendeant.

fuerit crucifixus, quòd felle & aceto potatus, & alia huiusmodi. Omnia enim hæc mysterium continent, omnia res arcanas significant, vt ex sanctis Patribus constat. Vnde sine singulari Dei dispositione, qui per ea nos instruere & occultâ significare voluit, non acciderunt: quæ dispositio in eo consistit, quòd Deus voluit sic permittere, non aliter, idque auferendo opportunitates, vel impediendo cogitationes quibus aliter fieret; sciebat enim infinita vi penetrantis omnia scientiæ suæ, malitiam Iudaicam se ad omnia hæc supplicia inflexuram, si ipse permitteret, & quasdam alias cogitationes vel opportunitates submoueret; qua suppositâ voluit sic permittere, & sese, vbi opus esset, inserere.

39 Petat aliquis, quomodo diabolus impediatur, à Deóne immediatè, an per Angelos, & qua ratione? Respondeo, quatuor modis impediri posse. Primò, Angelorum ministerio, quibus hominum custodia est commissa. Hi enim omnes dæmones vident, & quid moliantur cognoscunt, & vbi periculum imminet, statim adesse possunt. Verum hoc ministerium non videtur sufficere: quia non semper adsunt dæmonibus vt eos coërceant. Itaque tunc possent vires suas exercere, & grauissima mala inferre, diruendo domos, occidendo homines & animalia, excitando incendia. Plurima enim mala sunt, quæ breuissimo tempore inferri possunt, ad quæ impedienda, oporteret Angelum semper esse præsentem. Non enim potest absens dæmonem coërcere. Fatendum tamen est, plurima per Angelos impediri, cùm ipsi ad hoc dati sint hominibus custodes, vt eos contra dæmonum vim & fraudes tueantur. Ipsi enim dæmonibus sunt formidabiles, vtpote iis longè potentiores & celeriores. Sic Raphael impediuit dæmonem, qui septem sponsos Saræ occiderat, ne occideret Tobiam, *Apprehendit*, inquit Scriptura, *dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Aegypti.* Sed quibus vinculis illud adstrinxit? non aliis sanè quàm diuinæ potentiæ, quæ vbique præsens cùm sit, dæmonem ibi detinuit, quò eum Angelus vi sua transtulerat. Simili modo multi detinentur in desertis locis, vt insinuat Dominus Lucæ 11. cùm ait: *Ambulat per loca arida & inaquosa:* vel apud inferos, ne hominibus nocere possint; ibique detinentur non per Angelos, sed vi diuinæ potentiæ. Sic Lucifer ligatus apud inferos ad mille annos, id est, vsque
40 ad nouissima tempora: Apocal. 20. Secundus modus impediendi est, subtractione concursus diuini. Cùm enim non possit nocere, nisi aliqua actione positiua, applicando actiua passiuis, vel mo-

Quatuor modis impeditur diabolus.

Psalm. 90.

Tobiæ 8.

Lucæ 11.

uendo aliqua ſuis locis,& ad talem actionem opus ſit concurſu diuino : ſi Deus hunc concurſum ſubtrahat,nihil poterit , ſed erit inſtar paralytici viribus deſtituti. hoc modo Deus facilè omnia mala , quæ ipſe machinatur, impedire poteſt. Sic impediuit actionem
Daniel 3. fornacis Babylonicæ. Tertius modus eſt , conſtringendi ipſius vim motiuam , vt ea per quæ nocere cupit, moũere vel applicare ad nocendum non poſſit . Sicut cùm vir robuſtus tenetur à robuſtiore ne poſſit ferire, vel inuadere. Eodem modo ligatur in certo loco , vt non poſſit egredi. Quartus modus eſt , per minas & metum ne ſtatim coniiciatur in tartarum , ibiq́ue detineatur. Valdè enim timent dæmones iſtam pœnam , vt patet Lucæ 8. vbi *rogant Dominum, ne mittat ipſos in abyſſum.* Cupiunt enim frui libertate vagandi per orbem , & verſandi inter homines vt noceant.

His addi poteſt modus quintus, per cogitationum diuerſionem, efficiendo vt aliquid menti non occurrat ; vel ſi occurrit , mens ei non inhæreat : facile enim eſt Deo id facere. Sic (vt ſenſit S. Ignatius) diabolus neſciuit Chriſtum ex Virgine conceptum:quia cùm videret illam matrimonio iunctam , ſuppoſuit illum modo vulgari ex illa genitum , neque venit illi in mentem eam rem vlteriùs examinare. His ferè modis diabolus impeditur.

Sciendum tamen eſt , diabolum in multis malis inferendis im- 41
pediri , ne per ſe illa poſſit inferre , quæ tamen ei permittuntur, quando hominum accedit conſenſus vel cooperatio , vt benè notauit Franciſcus Victoria Relectione de Magia, ſub finem. Hominibus enim viatoribus , quia parum habent virium , & illis ab hominibus reſiſti poteſt, multa permittuntur quæ non ſpiritibus,quibus non poſſumus reſiſtere : ac proindè interdum quædam illis conceduntur propter hominum conſpirationem , vt patet in magis. Sic interdum adducunt ventos , concitant tempeſtates , necant homines & animalia conſpirantibus hominibus cum ipſis : quorum pacto ceſſante, nequeunt ampliùs nocere. Hæc de modis quibus dæmones impediuntur.

Tertiò, Impedit infinita damna quæ ab elementis generi humano ſæpè inferrentur , vt à ventis, à fulmine , à grandine, ab imbribus, à ſiccitate , à terræ motu , ab incendiis,ab eluuionibus:imò aqua ſola omnia quæ ſuper terram viuunt deleret , niſi Deus longè maximam eius partem in vaporem tenuem conuerſam in aëre ſuſpendiſſet , & per vaſtiſſimas illius regiones diffudiſſet. Omitto pericula quæ à feris belluis impenderent , niſi Deus illis terrorem humani

humani vultus iniecisset. Omitto damna, quæ satis ac frugibus à locustis, vermibus, aliisque vilissimis animalculis sæpè irrogarentur, nisi Deus auerteret. Omitto quæ inferrentur ab hominibus, præsertim impiis in pios cultores, nisi singulari Dei dispositione impedirentur. Exempla habemus in Dauide, quem tot annis Saul cum suis est persecutus, magno quidem terrore & afflictione Dauidis, sed irrito conatu, Deo miris modis ipsum protegente. Porrò Dauid typus est iustorum, Saul impiorum & persecutorum. Quòd hæc & similia mala hominibus impendentia à causis explicatis impediantur & auertantur, ipsius prouidentissimæ curæ, qua genus nostrum fouet & protegit, & singulos (quantum decet dulcissimum parentem omnium) tuetur & custodit, vt ad salutem æternam adspirent, deputandum est, eique gratiæ pro his omnibus referendæ.

CAPVT VIII.

De gubernatione per motum cælorum.

43 SEXTVS actus gubernationis est, *cælorum motio*. Per hanc enim totam naturam corporalem maxima ex parte gubernat; 41 in qua motione quatuor potissimùm sunt consideranda: velocitas, varietas, æquabilitas, effectus. *Velocitas* est pænè incomprehensibilis: nam sol, iuxta Astronomos, singulis horis plus quàm vndecies centena millia milliarium peragit. Vna verò stella sphæræ octauæ circa Æquinoctialem, eorumdem Astronomorum iudicio, vna hora percurrit supra 42. milliones milliarium, quantum videlicet eques quotidie 40. milliaria percurrens, annis bis mille nongentis vix conficeret. Quanta igitur suprema sphæræ mobilis erit pernicitas? Nam hæc incomparabiliter est altior, cùm Astronomi demonstrent duos cælos inter illam & octauam intercedere.

1100000.
42000000.
2900.

44 *Varietas* quoque est mira: singuli enim planetarum orbes, suos habent peculiares motus, tardiores vel celeriores, suisque temporibus & momentis constitutis ambitus suos peragunt: & cùm singuli suo nutu ab Occidente tendant in Orientem, nihilominùs à primo Mobili rapiuntur omnes quasi in contrarium, nimirum ab Oriente in Occidentem. hic tamen raptus proprios illorum motus non impedit nec perturbat; sed optimè cum illis ita contemperatur, vt vno tantum motu cieri videantur. Omitto quæ de motibus planetarum in epicyclis, de motu octauæ sphæræ propriæ

prio,& de motu trepidationis dici possent: & vtrũ planetæ propriũ impetum habeant quo ex Occidente concitẽtur,an solùm ita moueri videantur, quòd magis vel minùs à sphæra suprema rapiantur. Satis sit hanc rationem motuum cælestium esse adeò admirabilẽ,vt hactenus nullum ingeniũ eius modos & mensuras assequi potuerit.

Aequabilitas est prorsus admiranda ; nulla enim tot sæculis anomolia est notata ; sed semper eodem tenore , & pari celeritatis mensura procedunt. Et quamuis planetæ videantur habere interdum motus inæquabiles ratione epicyclorum , & maioris vel minoris elationis supra terram ; tamen hæc non est vera inæquabilitas,sed solùm respectu centri terræ. Nam & ipsi epicycli semper eadem velocitate circa centrum suum , & orbes deferentes circa suum æquabiliter gyrantur, nullo vnquam tempore vel ad momentum quiescunt, nullo velociùs aut tardiùs procedunt ; sed eodem tenore, eadem semper pernicitate circumuolant. 45

Calorum motus non esse ab Angelis , sed à diuina potentia immediatè.

Hinc meritò alicui videri possint isti motus non per Angelos (etsi magni Auctores aliter senserint) sed à solo Deo immediatè regi, & in ea exactissima æquabilitate conseruari. Nam præterquam quòd ad vniuersalem mundi gubernationem pertineat, quàm proximè à causa vniuersali ad omnia pertinente , non à particularibus & restrictis pendere par est. Quomodo tam immensæ vastitatis corpora ab Angelis valdè limitatas in orbe vires habentibus , per tot sæcula torqueri possunt ; præsertim tam incomprehensibili velocitate, & tam stupenda æquabilitate ? Sanè sicut Angelus vnus, vel etiam plures (si tamen pauci sint) non possunt elementa loco mouere,& primarias orbis partes confundere ; sic credibile est non posse cælos, qui incomparabiliter sunt maiores,tanta celeritate impellere. Si enim sol tanto impetu ferretur iuxta terram , quanto fertur in suo orbe ; breuissimo tempore tota terra & mare instar pulueris distraherentur & dissiparentur in auras, vt quiuis ex tractu aeris, quem globus tormento impulsus efficit , colligere potest. Et quamuis ille motus tot millionibus milliariorum absit ab hoc orbe elementari,tanta tamen est illius vis,vt immensam sphæram ætheris secum rapiat, &, vt multi sentiunt,etiam mare vniuersum. Non videtur ergo dubitandum , quin à maxima aliqua vi impellente , quæ Angelicæ naturæ superet conditionem , procedat. Accedit, quòd Angelus iste deberet esse assiduè quasi affixus suo orbi, & summè intentus, vt eadem semper celeritate impellat. Vnde nec posset pro arbitrio adire cælum empyreum , aut visitare homines 46

in

in terris, aut vllius alterius rei administrationem susçipere, sed semper deberet manere affixus suæ rotæ: quæ sanè non videntur consentanea illorum felicissimæ libertati, & liberrimæ felicitati. Præterea, Angelus non potest se diffundere per totam sphæram, & toti vim suam applicare, sed solùm alicui particulæ, verbi gratia, quantum est spatium vnius oppidi, aut multò minus. at non est consentaneum, tantam molem concitari tam exiguo & angusto impetu, sed oportet impetum esse diffusum per totum certa proportione; vt sicut singulæ partes mouentur pro ratione sui situs, ita & congruum impetum susçipiant. Si enim tota terra vel totum mare in orbem raptandum esset, non conueniret impetum fieri dumtaxat in exiguam particulam, quanta est vola manus humanæ; sed in totam fieri oporteret, vt suauiùs & absque conuulsione partium motus fiat. Denique, si Angeli cælestes orbes circumagunt, in potestate eorum esset illos sistere; quod non videtur consonum verbis Domini Iob 38. *Concentum cæli quis dormire faciet?* id est, quis sistet? quasi dicat, nemo præter me id potest. Item in eorum potestate esset, celeriùs vel tardiùs mouere, & ita totum mundum facilè possent turbare; vnde etiam grauissimo præcepto deberent esse obstricti, vt summam curam adhibeant, ne vmquam vllus sit defectus, nulla inæqualitas, nulla maior minórve concitatio. Est enim res maximi momenti, vnde salus rerum inferiorum pendet. Omitto alia quæ in hanc sententiam adferri possent.

47 Itaque valdè rationi consentaneum est, vt motus isti tam admirandi, tantæ potentiæ, & tam vniuersales effectus habentes, à solius Dei omnipotenti manu immediatè pendeant: Angelorum ministerio potissimùm in ipsis hominibus protegendis & dirigendis vt salutem assequantur, & in ferocia dæmonum saluti humanæ insidiantium compescenda vtitur. Vnde Apostolus ad Hebr. 1. dicit: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?* Deinde etiam in aliis rebus inferioribus, quæ instabilitati vel interitui obnoxiæ, moderandis, vt & earum species continuentur, & ita procedant, vt hominum vsibus, correptioni vel eruditioni congruit.

Angelorũ ministerio quibus in rebus vtatur Deus

48 *Effectus* cælestium motuum sunt omnes pænè corporales motus, & mutationes rerum, quæ in hoc mundo elementari fiunt. Excipio illos motus qui à libero arbitrio, & aliquos qui ab imaginatione animantium pendent. quamuis & horum multi etiam in illos motus, veluti in causas, etsi non cogentes, tamen inclinantes, referri

Effectus cælestium motuum.

possint. Ab illis igitur proueniunt venti & turbines, tonitrua & fulmina, niues & grandines, nubes & pluuiæ, æstus & frigora, siccitates & inundationes, salubres auræ & pestilentes; tot incendia & phasmata in sublimi, tot colores & picturæ in nubibus. In mari agitatio illa, qua instar viuentis assiduè se totum nunc in hanc, nunc in illam partem in immenso alueo suo se commouet: præter infinitas tempestates, quibus vsque ad imum barathri dehiscere, & mox ad nubium celsitudinem assurgere videtur. In terra tot exustiones & subterranei ignes, tot tremores, tot concluſi spiritus mugitus, & erumpentis horrendi fragores; tot fontes & flumina (hęc enim duo nisi aqua pluuia vel niuali per altiora loca colata non perpetuantur;) tot siluæ & loca deserta. Item omnia quæ in terræ visceribus gignuntur; tot nimirum abstrusæ opes, tanta vis auri & argenti, tanta stanni, æris, ferri ac plumbi, & gemmarũ omne genus. Et quamuis omnino credibile sit, hęc ab initio fuisse à Deo suis locis condita, tamen non videtur dubitandum, quin vi cælestium corporum ibidem possint succrescere & augeri, materia vicina & intermixta sensim in illam naturam excocta. Experientia enim constat, latomias lõgi temporis progressu à natura restitui, & vicina lapidescere. Omitto in numera alia quæ cæcis illis latebris nascuntur; qualia sunt, sulphur, alumẽ & sal, chrysocolla & stibium, chalcanthum & arsenicum, lithargyrum & hydrargyrum, rubrica & lithanthrax; & alia id genus plurima, quæ magnum in vita humana, præsertim ad medicamina vsum obtinent. Præter hæc, assidua & irrequieta noctis & diei, æstatis & hiemis, veris & autumni alternatio & constans vicissitudo proximè ab illo motu pendet.

Quantas mutationes inducat solis obliquatio.

Admirabile prorsus est diuinæ prouidentiæ ingenium, modicam illam solis obliquationem, qua singulis diebus ferè vno gradu sub Zodiaco, motu proprio ex Occidente in Orientem retrocedit, tantas vbique terrarum facere mutationes, & in omni regione (maximè extra Tropicos) quatuor illa anni inducere tempora, ver, æstatem, hiemem, autumnum. Cum enim sol illo suo motu ad signa Borealia adrepere cœperit, tempus vernum in omnibus versus Boream regionibus inducit, & omnia hieme emortua incipiunt excitari, reuirescere, & quodammodò hilarescere; & quò tendit vlteriùs versus Tropicum Borealem, eò magis omnia crescunt & perficiuntur, aucto radiorum calore: non quòd sol tunc sit vicinior terris, cùm iudicio Astronomorum multò longiùs tunc absit quàm hieme; sed quia directioribus radiis loca illa adspicit,

49

ſpicit, ſeu quia radiorum directior ſit reflexio. Rurſus cùm à ſignis Borealibus cœperit recedere, & radiis obliquioribus terras noſtras ſpectare, ſenſim ea quæ apud nos ex terra naſcuntur, incipiunt langueſcere, & virorem ſuum vigoremque amittere. Sed econtrariò in parte Auſtrali omnia incipiunt reuiuiſcere, vireſcere, creſcere, idque eò magis & magis, quò ſol verſus illas oras magis accedit. Itaque cùm apud nos eſt æſtas, apud illos eſt hiems; cùm apud nos autumnus, apud illos ver. Conſideranda hîc eſt mira vis ſolis, cuius ſolus aſpectus nunc directior, nunc obliquior, tantam inducit varietatem, quantam videmus inter æſtatem & hiemem. Quid hieme tetrius? omnia horrida, mortua, aſpera, gelu & torpore obſita. Quid æſtate pulchrius, amœnius, vitalius? omnia virent, florent, rident, vigent, & externa ſpecie lætitia quadam geſtire videntur. Si tantas mutationes, tamque diuerſum ſtatum rebus inuehit modica ſolis huius corporei in mortalium & peccatorum miniſterium conditi acceſſio & declinatio; quantam inducet Sol iuſtitiæ, cùm electis ſuis præſentem ſe exhibuerit, & clarè lucere cœperit, nubilo huius mortalitatis diſcuſſo, & hieme præſentis ſæculi exacta? Tunc *iuſtus ſicut palma florebit in domo Domini*, & ſicut cedrus Libani exaltabitur. tunc omnes iuſti ſicut quidam ſoles ſplendebunt in regno Dei. Sed quamuis hiems noſtra deformis ſit ad aſpectum, non tamen idcirco inutilis. recipit enim ſe calor & ſpiritus ab externis ad interiora, à circumferentia ad centrum, ibique ſe conſtipans & corroborans, humorem colligit & concoquit, vt ſuo tempore foras in foliorum & floſculorum ornamenta, & fructuum delicias ſe effundat: adeò vt ſine hiemis aliqua aſperitate, verna amœnitas & æſtiuæ opes conſtare vix queant. Sic quoque etſi vita hæc aſpera & ærumnoſa homini, cuius conuerſatio in cœlis eſt, videri poſſit; tamen ſummas vtilitates continet. Cùm enim mens huius vitæ calamitatibus tamquam hiemis frigoribus repercuſſa & afflicta fuerit, deſertis externis ad interiora ſe colligit, ibique humorem diuinæ gratiæ attrahit, quem in bonorum operum decora, in virtutum ornamenta, & in fructum vitæ æternæ expendat. Vnde ſicut quò ſæuiores ſunt hiemes & diuturniores, eò lætiores æſtates & frugum maior vbertas: ita quò vitæ huius afflictiones ſunt diuturniores & maiores, eò maior erit gloria in regno Dei.

Analogia inter ſolem & Chriſtum.

Pſalm. 91. Dan. 12. Matth. 13.

Hiemis vtilitas.

Analogia inter hiemem & afflictiones huius vitæ.

51 Deniq; cęlorum conuerſio cauſa eſt omnibus viuentibus, animantibus pariter & plantis, herbis & arboribus, beſtiis & hominibus,

ortus,accretionis & ſtatus perfecti: in multis etiam decretionis & interitus naturalis; aliter tamen & aliter. Nam ortus, accretionis & perfectionis eſt cauſa vi ſua & per ſe, dum calore cæleſti & ſuperno influxu viuentia fecundat, fouet, roborat: decretionis & interitus ex euentu; vel quia viuificum ſolis aſtrum abducit, vel quia ardore ſolis humorem rerũ ſenſim abſumit, eaſque arefacit.

Ex his conſtat Primò, Diuinam prouidentiam motu cæleſti generatim hunc mundum inferiorem, & omnia corporalia quæ illo continentur, gubernare, ortus & interitus viciſſitudines efficere, rerum ſpecies perpetuare, viuentium omnium vitas ſuis ætatibus & acceſſibus prouehere, diſtinguere, definire; denique omnes ordinarias mutationes rerum & temporum inducere. 52

Dico *ordinarias*: quia multa ſæpè præter vel ſupra communem rerum curſum & cauſarum naturalium ordinem eueniunt, quæ diuina prouidentia per Angelos bonos vel malos fieri iubet aut permittit, exigentibus id hominum meritis vel demeritis; vel quia ita congruit eorum exercitationi. Sic inductus orbi cataclyſmus, ſic pluit ignem ſulphureum in Pentapolim, ſic Mare rubrum diuiſum iter præbuit Iſraëlitico populo, ſic terra dehiſcens abſumpſit Dathan & Abiron cum tabernaculis & familiis ſuis, ſic igne cæleſti duo quinquagenarij cum quinquagenis militibus ſub Elia abſumpti, ſic ſæpè tempeſtates terra marique excitantur; ſic interdum fulmina, grandines, imbres, venti, terræmotus. Denique hoc modo innumera alia & olim facta ſunt, & quotidie fiunt, & fient vſque ad extremam mundi cataſtrophen.

Gen. 7. Gen. 19. Sap. 18. Exod. 14. Num. 16. 4. Reg. 1.

Inhibito cælorum motu quæ ſequerentur.

Secundò, Si motus cælorum ſiſteretur, ſenſim hæc inferiora præſertim viuentia contabeſcerent, & in ſua elementa ſoluerentur. Nam quibus ſol aſſiduè incumberet, ea exurerentur, vel omnino areſcerent, & omni penitus humore abſumpto tandem nihil niſi terrena eorum portio remaneret. Si valdè obliquè, vt hieme, ea aſpiceret; frigore aſſiduo calor vitalis extingueretur. Si medio quodam modo, vt verno tempore, putreſcerent humores, debili calore eos non valente concoquere; quod maximè accideret in herbis, frugibus, & omnibus aliis quæ ex terra creſcunt. Homines quoque & bruta animantia paucis annis extinguerentur, nec poſſent diu vitam prorogare; partim ob cauſam dictam, partim ob alimenti defectum, terra nihil reddente; partim ob aëris & aquarum corruptionem & peſtilentem affectum, ceſſante ventorum flatu & agitatione omni, per quam noxa illa ſolet impediri. Argumento ſunt aquæ ſubter- 55

subterraneis in specubus stagnantes, & spiritus inclusi, qui perspira-
54 tionis & afflatus inopia pestilentes efficiuntur. Denique saxa, metalla, & gemmæ, quæ firmissima videntur, sensim soluerentur, & in sua principia facesserent. Quidquid enim ex elementis conflatum est, necesse est temporis successu dissolui, tum propter internum principiorum pugnam; tum ob externam elementorum impressionem, qua & humor naturalis, quo maximè res coaluerunt, absumitur; & naturalis dispositio ac temperies euertitur, aliena & corruptrice qualitate sensim introducta. Vnde etiam aurum & adamantes tempore obscurantur, langueſcunt, & corrumpuntur; etsi ob longissimum temporis spatium ab hominibus non ita possit animaduerti. Motus autem cælestis temperamenta rerum, & qualitatum quas forma requirit syndromen, magna ex parte tuetur, & noua pereuntibus veteribus, sensim substituit, vt in metallicis fodinis est obseruatum. Quod autem quidam putant, cælesti motu cessante, statim in rebus inferioribus cessaturas omnes actiones & alternationes rerum, omniaque permansura immota; alienum à veritate censeo: quia nulla ratione ostendi potest, vires rerum inferiorum intrinsecam à cælo dependentiam habere. quid enim igni vt comburat stuppam & ligna iniecta, cum motu locali primi Mobilis? sed ideò tantùm motus iste à Deo institutus est, vt lumen & vis astrorum deferatur circum terram, & ita omnibus communicetur.

55 Tertiò patet, Hunc mundum inferiorem tribus potissimùm mediis & quasi administris gubernari. Primò, Vi impressa cuique propria: Deus enim singulis rebus vires dedit, partesq; ac membra formauit, prout cuiusque naturæ congruebat. Hæ vires sunt velut instrumentum Dei, quo omnes rerum naturalium actiones cuique rei accommodatas perficit, & ratione cuius ipse auctor est illarum omnium; sicut qui sagittæ impetum ad motum impressit, est auctor illius motus. Secundò, Per motum cælestem, quo solem & salutaria astra adducit & abducit, ortus ac interitus vicissitudinem perficit: omnia nasci, crescere, matureſcere facit, & rerum corruptibilium species perpetuat. Tertiò, Per ministerium Angelicum, quo res à diaboli furore, qui eas vel deleret, vel in perniciem hominum conuerteret, tuetur; & multa in rebus præter naturalium causarum ordinem efficit, etsi ad hoc interdum etiam dæmonum opera vtatur. Supererant adhuc aliqui alij Prouidentiæ actus: nam septimus erat, Illuminatio creaturæ rationalis; octauus, Redemptio; nonus,

Iustificatio; decimus, Iudicium extremum; vndecimus, Remuneratio. Verùm de his dicendum in Misericordia & Iustitia.

CAPVT IX.

De fructu considerationis diuinæ prouidentiæ.

CONSIDERATIO *diuinæ prouidentiæ* multos in nobis parit fructus, sed potissimùm quatuor insignes. Primò, Magnum solatium & animi tranquillitatem in ista rerum perturbatione. Cùm enim perpendimus hunc mundum (in quo pleraque casu potiùs quàm diuina prouidentia euenire, & malitia prævalere impuneque grassari videtur) tanta prouidentia, tanta ratione & consilio gubernari; facilè animos nostros componimus, & in diuina prouidentia acquiescimus, etiamsi impios dominari, pios opprimi, religionem euerti, & iustitiam extingui videamus: nihil enim horum fieret, nisi Deus singulari nutu permitteret; non permitteret autem, nisi iustissimæ rationes ei suppeterent, atque adeò nisi melius esset sic permittere quàm impedire. Nec refert quòd grauia inde incommoda, & animarum plurimarum iactura sequatur, quia etsi ob eam causam meritò dolere debeamus; dolor tamen iste moderatus esse debet, quia placuit Deo ob iustissimas causas sic permittere, qui potens est omnia ista sarcire, & suo tempore ex magnis malis nouit maiora bona excitare. Quid tristius lapsu generis humani? & tamen Deus inde tantum bonum elicuit, vt lapsus ille videatur fuisse optabilis. Et quamuis possint res à Deo meliùs gubernari ad commodum horum vel illorum, non tamen idcircò meliùs absolutè: quia non meliùs ad vltimum finem, quem supremus moderator potissimùm intendit, qui est perfectio vniuersi, vel potiùs gloria Dei, seu diuinarum perfectionum manifestatio, quo fine diuina prouidentia frustrari non potest. Quidquid enim euenerit, semper ex eo diuina gloria reddetur illustrior. 56

Primus fructus, Magnam adfert animo consolationem.

Nec refert quòd hæc sapientia modò in gubernatione mundi non ita appareat; imò Deus tam parcè & tenuiter rebus humanis miscere se videatur, vt plurimi de Numine & Prouidentia dubitent: quia posteà suo tempore perspicuè se ostendet, nimirum quando quidquid modò inordinatum esse permisit, in ordinem rediget, suoque loco & statui congruo assignabit. Tunc veluti in speculo cernetur totus humani generis per orbem diffusi decursus, & simul tota prouidentiæ ratio, seu gubernandi forma, qua Deus tum generatim 57

neratim in singulis regnis, oppidis, familiis; tum speciatim cum singulis est vsus. Sicut enim singulorum patescent facta bona & mala, vt constat ex Apostolo 1. ad Corinth. 4. *(qui illuminabit*, inquit, *abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium)* ita etiam apparebit (præsertim beatis) specialis prouidentiæ modus quem singulis adhibuit, vt clarè pateat quanta benignitate & patientia erga peccatores sit vsus; & quàm quisque illorum siue plus siue minus sit inexcusabilis; denique, quàm ista prouidentiæ ratio qua vsus est, fuerit & naturis rerum & gloriæ diuinæ manifestandæ accommodata.

58 Secundus fructus, Tollit murmurationes, quæ aduersus Deum fieri solent. Murmurant enim interdum quidam contra Deum, quòd illos miseriis & calamitatibus inuolui sinat; quòd paupertate, fame, siti; quòd æstu & frigore, mœroribus & angoribus, doloribus, morbis, & aliis incommodis; quasi vel Deus curam ipsorum non habeat, vel etiam iniustè hæc irroget. Sed reprimitur impius iste animi motus, si cogitemus, Deum hæc omnia sapientissimè, benignissimè, & ob iustissimas rationes immittere vel permittere. Nec aliter ipsosmet qui nunc murmurarunt facturos, si tanta sapientia & bonitate præditi essent. Primò, Quia decet supremum moderatorem, qui res omnes satis ex parte sua ad bonum instruxit, vt eas sinat agi suis motibus, nec assiduè earum ordinem mutet, aut impetum inhibeat. Et quidem si de causis naturalibus agatur; an semper impediet ventos, imbres, fulmina, æstus, frigora, nebulas, & alia huius generis, quando huic vel illi homini, huic vel isti loco videntur nocitura? Habeant ista cursum suum, nec propter priuata damna vniuersalis ordo rerum turbandus, aut cursus naturæ cohibendus, præsertim cùm, etsi his obsint, aliis prosint. Si autem causæ sint liberæ, multò magis sibi sinendæ, ne bonum sit coactum; quia omnis coactio & necessitas meriti rationem extinguit. tanta enim est virtutis dignitas, & vitij turpitudo, vt omnes sponte illam complecti, hoc fugere debeant. Si quid à recto ordine deflexerit, ipse facilè suo tempore emendabit & restituet.

Secundus fructus est, Quòd tollat murmurationes cõtra Deum.

Causa cur Deus permittat bonos affligi.

Primò, Decet supremũ moderatorem vt sinat res ferri suis motibus.

59 Deinde, Quia istæ calamitates sunt fructus partim mortalitatis nostræ, partim peccati originalis; & congruunt huic nostro statui & loco. Itaque Deus ista permittit, primò, vt nosipsos nouerimus, nempe quales ex nobis simus, & quantis malis absque Dei supernaturali beneficio obnoxij: deinde, vt sciamus quantum mali inuexerit peccatũ: denique, vt cogitemus nos esse in loco exilij, non in patria;

Secũdò, Sunt fructus nostræ mortalitatis & peccati originis.

patria; in valle lacrymarum, non in paradiso voluptatis; in loco pœnitentiæ & certaminis, non gaudij & triumphi. Etsi enim natura nostra per se istis omnibus malis sit obnoxia; tamen singulari Dei protectione ante peccatum hæc omnia impediebantur, & semper impedita fuissent, si peccatum non superueniisset. Ita enim Deus cohibuisset & gubernasset res omnes quæ in mundo sunt, vt nullum detrimentum, nullámve molestiá homini possent adferre. Verùm patrato peccato sublata est illa protectio, & natura ad suam relapsa sortem, his omnibus est exposita & subiecta. Hæc est igitur naturæ nostræ conditio, eò quòd inter species naturæ rationalis sit omnium infima & imperfectissima. Hic etiam est fructus peccati communis, quò diuinum illud donum, per quod ista omnia impediebantur, est euersum & extinctum. Denique hæc est conditio nostri exilij, vt ardentiùs ad patriam adspiremus.

Tertiò, Sæpè grauiora commeriti.

Tertia causa est, Quia ita omnia sæpè nostris peccatis sumus commeriti. Si enim vel ob vnicum peccatum mortiferum æternas pœnas inferorum mereris; cur durum tibi videatur, etiamsi omnibus huius vitę calamitatibus in vnum conspirantibus propter illud affligaris? Imò cur non reputetur id summa clementia, cùm huius afflictionis ad illam nulla sit proportio, siue acerbitatem spectes, siue durationem? Hæc enim est temporalis & momentanea; illa æterna, nullis vmquam sæculis finienda aut mitiganda: hæc est leuis & toleratu facilis; illa prorsus intolerabilis, omnis acerbitatis æstimationem superans. Quid ergò si plurima & pænè innumera peccata mortifera commiseris, nonne infinitæ clementiæ erit, si omnia illa leuibus huius vitæ flagellis vindicentur & expientur? Sic ergo quisque apud se in afflictione cogitet, Millies inferorum incendia sum commeritus, cur hoc breue & leue malũ non æquo animo feram? cur benignissimæ Dei prouidentiæ tam clementer me tractantis, & æternas grauissimasque pœnas in momentaneas & leues mihi commutantis gratias non agam? 60

Peccata venialia merentur afflictiones huius vitæ.

Addo etiam, peccata venialia huiusmodi temporales afflictiones merer. Sicut enim quædam bona opera iniquorum, etsi non mereantur vitam æternam, tamen merentur aliqua bona temporalia, vt diuitias, honores, imperia, teste S. August. l. 5. De ciuit. Dei cap. 15. ita quædam opera mala iustorum non merentur quidem pœnas æternas, tamen merentur temporalium amissionem, & similes afflictiones. Quare etiamsi numquam aliquod peccatum mortiferum commisisses, tamen non idcirco deberes existimare te 61

imme-

immerentem affligi, sed reputare animo, te illa & multò maiora commeritum.

Quarta causa est, Quia ista omnia sunt nobis virtutum vel exercitamenta vel instrumenta, & seges magnarum coronarum, si benè voluerimus vti. Multorum Sanctorum virtus consopita iacuisset in tenebris, nec ità coram Deo & hominibus splenduisset, nec ipsis tantam gloriam in cælis peperisset, nisi tribulationibus excitata & exercita fuisset. Vnde Iacobi 1. dicitur : *Patientia opus perfectum habet.* Facile enim est Deo seruire cùm nihil aduersi se offert, cùm omnia ad votum suppetunt, cùm nihil naturæ aut studiis nostris incommodat; neque inde conspici potest, quantum quis profecerit. sed si in aduersis perstet, nihilque de pietatis studio remittat, si grauia incommoda propter Deum sustineat, nec se vllo modo vinci aut inclinari sinat; signũ est magnos in pietate progressus fecisse. Hoc sensu dictum est, *Patientia opus perfectum habet.* Accedit summa afflictionum vtilitas: nam vt Apostolus 2. ad Corinth. 4. ait, *momentaneum & leue tribulationis huius, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Has igitur & similes rationes spectat diuina prouidentia cùm nobis afflictiones immittit, vel obuenire sinit; quas si consideraverimus, cessabit omnis aduersus illam murmuratio. *Quarto, Exercitatis virtutis.*

Tertiò, Tollit consideratio prouidentiæ anxiam rerum huius vitæ sollicitudinem. Ostendit hoc pulcherrimè Dominus Matthæi 6. & Lucæ 12. Si enim diuina prouidentia pascit volatilia cæli, prouidens eis alimenta, tegumenta, cubilia; si flores qui nihili æstimantur, tam pulchrè vestit & ornat: quantò magis seruis suis quos adoptauit in filios, quos prædestinauit ad regnum, qui vbique illi placere studeant & gloriam promouere, de necessariis prouidebit? Vbi tamen Dominus non excludit moderatam sollicitudinem & diligentiam, sed potiùs requirit; nam nec auiculæ pastum & nidos sine aliquo labore obtinent: sed excludit nimiam anxietatem, quæ totum animum hominis occupet, & in temporalia tamquam præcipua bona intentum teneat. Singulis enim rebus ea adhibenda cura, quam pro sua quæque præstantia & dignitate vel necessitate meretur. Itaque prima, summa, intentissima cura impendenda negotio salutis, & ijs quæ huic necessaria vel conducibilia; secundaria seu moderata, rebus necessariis ad hanc vitam: superfluis autem, vel etiam impedimenta saluti adferentibus, vt sunt diuitiæ, honores, voluptates, nulla. Hęc enim cuiuis sapienti fugien- *Tertius fructus, Quòd tollat anxiã sollicitudinem rerum huius vitæ.* *Prima cura sit salutis.*

da potiùs quàm sectanda. Hunc ordinem insinuat Dominus cùm
Matth. 6. ait: *Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia* (vitæ necessaria) *adijcientur vobis.* Eódem pertinet quod subiicit
Lucæ 12. Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex* (ne vobis desint vitæ necessaria) *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* quasi dicat: Si regnum cælorum vobis dare statuit, quantò magis suppeditabit vobis ista temporalia & infima? Neque id parcè faciet & malignè, instar vitrici; sed liberaliter & copiosè tamquam benignus pater, vt nihil desit pro statu & conditione cuiusque. Si enim inimicis suis, à quibus quotidie offenditur & blasphematur, tam effusè omnia subministrat; cur in suos famulos, qui toti in eius obsequium & gloriam intenti, sit restrictus, & rerum necessariarum penuria eos laborare sinat? Vnde Psal. 30. Propheta ait: *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Tota die miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit. Iustum* intelligit eum qui eximiè iustitiæ est deditus, & iuxta monitum Domini, *primùm quærit regnum Dei, & iustitiam eius*; nempe qui totus bonis operibus, & præsertim misericordiæ est intentus. Exempla habemus in Abrahamo, in Iacob, in Ioseph, in Moyse, Iob, Dauide, Tobia, Daniele & sociis, vt omittam innumera noui Testamenti. Nec obstat quòd Dominus huiusmodi in grauem interdum inopiam sinat incidere; quia id fit subinde ad maiorem probationem & coronam. sed ea res ordinariè non est diuturna: nam vel Deus eos eripit ex hoc mundo, vel opportunitatem offert illius miseriæ depellendæ.

Quartus fructus, Fiducia in periculis.

Quartò, Parit maximam in periculis fiduciam. Cùm enim 65
Deus maximam suorum prouidentiam & curam gerat, & nihil sine ipsius nutu & prouidentiæ consilio fieri possit; non est quòd magnopere timeamus vel hominum potentiam, vel dæmonum terriculamenta, vel bestiarum sæuitiam, vel quiduis aliud quod creatura possit inferre. Non enim sinet aliquid nobis irrogari, quod non cedat in magnum bonum, si ipsi nobis non defuerimus, & illud quo par est modo exceperimus. Nam, vt ait Apostolus ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Itaque illa omnia accipienda tamquam de manu Dei, sine cuius nutu fieri nequeunt; sicut Dauid excepit maledicta Semei 2. Reg. 16. *Sinite,* inquit, *illum. Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid.* vbi maledictionem illam ad ipsum castigandum à Deo solùm permissam, tamquam præceptam excipit. Et Iob calamitates, quas ei per se &

per

per membra sua intulit diabolus: *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, sic factum est: sit nomen Domini benedictum.* hìc mala à diabolo, Dei dumtaxat permissu irrogata, tamquam ab ipso Deo illata acceptat.

66 Nihil hæc omnia nobis possunt obesse, sed plurimùm proderunt si ipsi velimus. Vnde Dominus Luc. 21. cùm loqueretur de persecutionibus, quæ Apostolis & viris Apostolicis imminebant, volens ostendere illas quantumuis magnæ essent futuræ, nihil ipsis nocituras, ait: *Et capillus de capite vestro non peribit. in patientia vestra possidebitis animas vestras.* quasi dicat: Nihil illas curetis, quia ne in minimo quidem vobis oberunt; quin potiùs maximum commodum adferent. nam illas patienter ferendo, acquiretis æternam animæ salutem. Quamuis enim auferantur bona, & corpus suppliciis excrucietur, parum ea afflictio durat, & mox omnia infinito cum fenore restituentur. Hac cõsideratione Apostoli, Martyres, & Sanctorum reliqui se adeò intrepidos & fortes in periculis præstiterunt. Sic B. Pater noster Franciscus Xauerius inter Iaponios in ipsum frementes & mortem præsentem minitantes, imperterritus & securus egit, nihil de acri illa superstitionum & impietatis refutatione remittens.

CAPVT X.

Recollectio precatoria, de Prouidentia diuina.

65 67 TVA, *Pater, prouidentia gubernat* omnia, *pertingens à fine ad finem*, ab extremis cælorum ad ima terrarum, à supremo spiritu ad infimum vermiculum, *fortiter, & disponens omnia suauiter.* Fortissimus est eius attactus, quo creantur & sustentantur omnia: suauissima dispositio, qua singula pro naturæ conditione suis locis & ordinibus collocantur, suos in fines diriguntur, suosque motus agere sinuntur. Non fortuito atomorum concursu, aut elementorum acri conflictu, aut sponte sua mundus iste coaluit, vel emicuit in lucem, sed prouidentiæ tuæ consilio & vi. Quomodo enim res tanti ingenij & artificij, in qua omnia summa ratione & proportione, summa pulchritudine, symmetria & eutaxia constant, Sap. 14. Sap 8.

68 sine ratione & sapientia fieri potuissent? Tua prouidentia hæc omnia ab æterno excogitauit, concepit, distinxit, digessit, ordinauit. Hęc singulorum species, mensuras, formas, partes, qualitates, indoles definiuit; vires multiplices & instrumenta veluti panopliam *Omnia ab æterno constituta in diuina prouidentia.*

quamdam ad proprias functiones, suique defensionem attribuit: hæc omnibus fines præstituit, causas destinauit, & omnia quæ rei cuique sunt congrua, prouidit. In illa, omnia hæc ex antiquis, & priusquam terra fieret, constituta, vbi etiam ordo temporum sine tempore est; nec quidquam ibi noui occurrit, vbi ante omnia tempora extitit, quidquid pro temporum varietate in lucem promitur: mutabilium enim dispositionem immutabilis illa ratio continet, vbi sine tempore simul sunt, quæ in tempore non simul fiunt, quia tempora non simul currunt. Ibi mutabilium omnium immutabiles stant causæ, & omnium temporalium æternæ lucent rationes, & omnium contingentium fixæ sunt necessariæ radices, & omnium agentium ac operationum stabiles præscriptæ leges, & determinati fines. Ibi cuique pro meritis salus constituta vel exitium, decreto firmo, indelebili, irreuocabili, tabulis pluſquam adamantinis inciso. Ibi extant decreta & sanctiones de rebus omnibus, de earum ortu & progressu, functionibus & effectis, euentis & interitu; quibus temporibus, momentis, locis, causis, quo ordine & modo horum singula sunt futura. Sine prouidentiæ tuæ legibus nihil omnino nascitur, nihil occidit, nihil operatur, nihil mouetur, nihil quiescit. Illa ad suos omnia fines destinat, & singulis intimè 69 insidens ac præsidens, propriam cuiusque indolem format ac inserit, & per eam rem quamlibet in congruas cuique functiones & proprios fines dirigit. Quid enim est aliud cuiusque rei ingenium & natiua propensio, quàm tuæ prouidentiæ vestigium & impressio? Hinc res omnes ratione carentes, tanta ratione operantur, & in fines suos, quos nec animo percipiunt, nec vllo modo cognoscunt, tam ordinatè tendunt. Quanta arte araneus telam e suis visceribus texit, plagulas tendit, venabum muscarum instituit? Quanta subtilitate & industria apiculæ struunt fauos, formant hexagonos vtrinque loculos sobolis matrices, & nectarei succi apothecas; colligunt cælestem rorem, & alia mira in commune veluti in quadam republica gerunt? Omitto admirabile auicularum ingenium in extruendis nidis ad suam quietem & tutelam, pullorum procreationem & educationem. Omitto stupendam bombycũ indolem in texendis tenuitate pænè inuisibili filis sericis, in concinnandis filorum glomere loculis, quibus veluti sepulchralibus tumbis inclusi immoriantur, vt post aliquot menses reuiuiscentes & ex sepulchris suis egredientes palingenesiam nobis adumbrent. Alia innumera prætereo tum in animantibus, tum in plan-

Iudicium extremum in prouidentia diuina iam peractum.

Ex vi prouidentiæ prouenit vt singula operentur ac si ratione prædita essent.

plantis, quæ tanta ratione, arte & prouidentia fiunt, vt maiore fieri non possint: non sua quæ ipsis inhæreat, sed tua quæ ipsis assistit, quæque vestigium & specimen quoddam sui ipsis imprimens, ita operari facit, ac si summa prouidentia & arte præditæ essent. Omnis igitur actio & omne opus naturæ, est actio & opus tuæ sapientiæ & tuæ prouidentiæ. Nec aliter omnia secundùm legem tuæ prouidentiæ agunt, quàm si eius plenam notitiam possiderent.

70 Rationalem tamen naturam excipio, quæ cùm suæ cuiusdam prouidentiæ sit particeps & libera, sæpè non tuæ prouidentiæ directioni se accommodat, sed sua prouidentia & arbitrio viuere cupit. Hinc omnis peccati fons, omnis calamitatis origo. Non tamen hoc absque prouidentia tua geritur. Etsi enim creatura rationalis dum peccat, secundùm legem quam illi statuisti non agat; non tamen absque prouidentiæ lege agit, à qua & vires habet, quibus in suam perniciem abutitur; & finitur agere ea quæ absque eius permissu agere non posset; & certis circumscribitur limitibus, ne aliter aut amplius malè agat, quàm tibi permittere visum fuerit. Sic omnia intra prouidentiæ tuæ ambitum concluisti, vt illam nihil possit effugere; ita omnia illi subiecta, vt eius iugum & dominatum excutere non possint.

Sola natura rationalis se subtrahere nititur ordini diuinæ prouidentiæ.

69

71 Væ peccatoribus, qui eius gubernationi & legibus subtrahere se conantur, & sua prouidentia, suis placitis & arbitrio viuere. Dum enim subducunt se prouidentiæ dirigenti ad vitam, incidunt in prouidentiam destinantem ad mortem: & dùm recedunt ab ordine benignitatis & misericordiæ, incurrunt in ordinem seueritatis & iustitiæ: & dum excutiunt iugum suaue diuinorum præceptorum, subeunt iugum crudele dæmonum & æternorum suppliciorum. O insaniam sanguineis lacrymis deflendam! Quis mentes mortalium ita fascinauit, & in tantam amentiam adduxit?

Dum subtrahunt se vni prouidentiæ ordini, incidunt in aliũ.

72 Infelices quoque Religiosi illi, qui cùm à tua prouidentia se gubernari per suos Superiores sinere deberent, sua prudentia & consilio viuere volunt, non secùs de se solliciti, ac si nullius curæ subessent. Subtrahunt enim se suauissimo & certissimo illi prouidentiæ ordini, quo securissimè & fructuosissimè ad salutem directi fuissent. Varij enim sunt prouidentiæ tuæ modi, variæ series gubernationum & gratiarum, cuique magis vel minùs accommodatæ & salutares. Felix ille cui eum prouidentiæ ordinem, eam gubernandi rationem adhibes, quam nosti maximè salutarem illi fore, & copiosissimi fructus. Nihil in hac vita optabilius, nihil beatius

Periculum Religioso, si ornni obedientia se subtrahere nitatur.

quàm sub tali ordine & directione cursum vitæ peragere, ex qua tam certa salus, & tantum æternæ gloriæ emolumentum. At meritò credi potest eam gubernandi formam viro religioso salutarem esse præ ceteris, qua illum prouidentia tua per Superiores illius in cursu vitæ, in officiis, functionibus, missionibus, mansionibus, studiis, ceteriscque omnibus dirigit: alioquin cur perfecta & cæca obedientia tantopere à sanctis Patribus laudaretur? cur à sanctissimis viris & sapientissimis ita frequentata esset & culta? cur securissima ad salutem prædicaretur via? cur Dominus ipse adeò eam commendasset, suasisset, eiusque tanta præbuisset nobis exempla?

Via tutissima Religioso, & directio Superiorum, quos loco Dei habet.

Itaque dubitandum non est, quin si quis huic formæ prouidentiæ se tradat, & veluti in vlnas eius se proiiciens, ab ea se duci in omnibus sinat, viam ille certissimam adipiscendæ salutis teneat. Qui verò ab ea se subducit, sua se prouidentia regere volens, magno periculo se exponit, ne in illius prouidentiæ incidat ordinem, in quo à salute excidat. Hæc enim ratio ab omnibus sanctis vituperatur, & periculosa iudicatur saluti, quantumuis in speciem sancta videatur & salutaris. Extant exempla plurima eorum qui hac viâ perierunt; nulla eorum qui perierint istâ, aut quibus minùs benè cesserit. Quomodo enim non optimè cedat, quod tu ipse suasisti, ad quod feliciter dirigendum te obstrinxisti? Hanc ergo viam indeclinabiliter teneam, hanc vsque ad extremum vitæ spiritum sequar, quam tu ipse, & qui Spiritu tuo afflati, præ ceteris commendarunt. 73

Prouidentia diuina numquam in sui dispositione fallitur.

Numquam prouidentia tua in sua dispositione fallitur, nouit enim priusquam statuat, quidnam ex quanis hypothesi & dispositione sit euenturum: vnde etiam numquam suo frustratur effectu & fructu. Etsi enim inferiorum causarum ordines, qui prouidentiæ tuæ sunt quædam participationes vel impressiones, ob imperfectionem & mutabilitatem suam sæpè deficiant, nec ad finem causis illis præstitutum perducant; numquam tamen tuæ sublimis prouidentiæ ordo ac dispositio proprio sibique commenso fine frustratur, sed hunc semper assequitur. Quod etsi modò nondum appareat durante adhuc mundi cursu, & termino quò tendunt omnia nondum adducto; vbi tamen decurso stadio suo ad metam peruenerit, clausulaque postrema impositа fuerit, nec vlteriùs humanarum rerum excurret volubilis rota: tunc se vis prouidentiæ aperiet, & correctis omnibus causarum inferiorum erroribus, omnibusque in ordinem firmissimum & sempiternum redactis, clarè perspicietur 74

tur quàm ſapienter, quàm ſuauiter, quàm congruè naturis rerum & ſaluti mortalium, quàm conuenienter diuinæ gloriæ, omnia ab ipſa adminiſtrata fuerunt.

75 Hæc igitur ſublimis prouidentia tua mihi ſemper ob oculos verſetur, & quidquid proſperi vel aduerſi obuenerit, ab illa duci & pendere intelligam, deque benefica manu tua excipiam. Nihil enim fit in tempore, quod ab illa ob iuſtiſſimas cauſas non ſit diſpoſitum in æternitate. Hæc mihi in aſperis ſit ſolatio; hæc animum turbidis mundi in rebus, in regnorum, religioniſque ſacræ, & animarum cladibus turbatum afflictumque componat & tranquillet. Omnia enim prouidentia tua ſapientiſſimè diſponit, & quidquid erratum fuerit à creaturis, quidquid ab ordine receſſerit, ita corriget & in ordinem rediget, vt in omnibus gloriæ tuæ maieſtas magis reſplendeat, quàm ſi omnia primum ordinem in quo poſita fuere, tenuiſſent.

Omnia placidè à manu diuinæ prouidentiæ excipienda.

76 Non patitur quidem huius vitæ conditio & lex charitatis, vt proximorum damnis & exitiis, diuinæque maieſtatis iniuriis non tangamur, non afflictemur; abſque huiuſmodi ſtimulo vix ad opitulandum excitaremur. ſed adhibenda moderatio; & vbi res peractæ ſunt, vel deſperatæ, nihilque opera & preces noſtræ poſſunt adferre præſidij, expedit inanes mœrores depellere, & prouidentiæ

77 tuæ contemplatione animum ſolari. Hæc mihi fiduciam pariat in terroribus, ſecuritatem in periculis, robur in arduis, tranquillitatem in turbulentis, tolerantiam in aduerſis, æquitatem animi in futurorum expectatione. Hæc vanas à mente noſtra ſolicitudines depellat, perinde ac ſi à ſola prouidentiæ tuæ benignitate omnia prouenirent; & ſimul ea ſedulitate rebus agendis intentam faciat, quam earum magnitudo & ſtatus poſtulat. Noſtram enim cooperationem, noſtrumque ſtudium poſtulat prouidentiæ tuæ gubernatio; ſed ſuperuacaneam curam, & anxietatem in rebus temporalibus

78 negotiiſque huius vitæ reſpuit & damnat. Hæc omnia mea diſponat & regat vſque in finem, ſicut ſaluti meæ & gloriæ ſuæ expedire nouit, ſiue per proſpera, ſiue per aduerſa, per honorem vel ignominiam, per infamiam vel laudem, per abundantiam vel inopiam, per morbos vel ſanitatem, per vitam vel mortem; nihil excipio, nihil refugio. Hoc vnicum & antiquum votum meum; Fac mecum ſicut ſcis profuturum ſaluti meæ & gloriæ tuæ, vt te in omnem æternitatem contempler & admirer, amem & honorem, laudem, benedicam & glorificem in omnibus & ſupra omnia. Amen.

Non excludit affectum compaſſionis, ſed moderatur.

DE

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER DVODECIMVS, DE MISERICORDIA DEI, ET OBITER DE PATIENTIA, MANSVETVDINE, ET CLEMENTIA EIVSDEM.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Misericordia.

1 MISERICORDIA est virtus incitans voluntatem ad opitulandum alienæ miseriæ, eamque depellendam. Potest autem quis ad hoc incitari vario intuitu & fine. Primò, Ob vanam gloriam, sicut Pharisæi, qui eleemosynam daturi canebant tuba; specie quidem congregandorum pauperum, sed reuerà, vt toti mundo suum opus ostentarent, & inde laudem ac existimationem captarent: de quibus Dominus ait: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Sic non est virtus, sed vitium cenodoxiæ. Secundò, Ob quemuis alium finem inhonestum: & sic pertinet ad illud vitium, cuius affectu imperatur; vt si des eleemosynam vt pertrahas ad hæresim, ad libidinem, ad homicidium, contrahet malignitatem illius

Matthæi 6.

lius peccati,& pertinebit ad vitium illi respondens. Tertiò, Fieri potest ob finem honestum; & sic erit opus imperatum ab ea virtute,quæ illius honesti rationem respicit, poteritque esse opus Religionis,vel satisfactionis,vel charitatis,&c. prout ex affectu harum virtutum procedit.

Actus externus misericordiæ potest ex affectu diuersarum virtutũ procedere.

2 Sed difficultas est,vtrùm misericordia sit virtus à ceteris, præsertim à charitate, distincta. Videtur non esse: nam in opere misericordiæ non conspicitur vlla ratio honesti propria,quæ ad aliam virtutem non pertineat. Vel enim tollis alienam miseriam, & opus misericordiæ præstas,vt te importunitate petẽtis liberes, sicut amicus ille in parabola Domini, qui nocte surgens panes amico commodauit, non quia amicus,sed vt improbam importunitatem eius à se excuteret. Et Petrus Telonarius,qui importuna pauperis quiritatione excandescens, arreptum panem in illum veluti lapidem iracundè contorsit; vt in vita B. Ioannis Eleëmosynarij refertur. Verùm hoc modo non est virtus, sed potiùs amor proprius: non enim intenditur leuatio miseriæ alienæ, aut aliqua alia ratio honesti,sed depulsio incommodi proprij,quæ per se est indifferens, omni virtutis laude carens. Huic tamen potest esse coniunctus affectus miseriæ alienæ subleuandæ, qui ad virtutem pertinet: & fortè ratione illius, eleëmosyna illa Petri Telonarij in visione ostensa est aliquo modo placuisse Deo.

An sit virtus distincta.

Lucæ 11.

Vel id facis, quia cupis vt ei benè sit; & sic est actus charitatis seu dilectionis proximi. Dilectio enim primò & immediatè inclinat in bonum alterius,illud volendo & procurando non sui commodi causa,sed tantùm,vt illi benè sit; secundariò & ex consequenti, in depulsionem mali. eiusdem enim rationis sunt, velle & procurare alteri bonum,& dolere eius malo,illudq; depellere: alterum enim ex altero sub vna ratione formali obiectiua oritur. Vis enim & procuras illi bona,vt ei benè sit; ob eumdem finem odisti, & depellis eius malum. Confirmatur; Quia affectus fugæ fundantur in affectibus prosecutionis, & ad eamdem virtutem pertinent: sicut etiam in actibus intellectus eiusdem scientiæ est,assentiri alicui veritati,& negare eius oppositum. Itaque hac ratione misericordia nihil videtur esse aliud quàm charitas inadæquatè spectata, quatenus nimirum respicit depulsionem miseriæ,& extendit se ad suum secundarium actum. Denique, vel tollis miseriam alterius non eo affectu,vt illi benè sit, sed ne illi sit malè; nimirum quia incongruum & inordinatum tibi videtur, eum, qui eiusdem tecum est naturæ,

tantis conflictari miseriis, cùm tu tam commodè habeas. Inter benè enim & malè, felicitèr & infortunatè se habere, est status quidam medius, notabili carens & molestia & commodo.

Qua ratione possit statui peculiaris virtus.

Si ergo tantummodò in opere misericordiæ spectetur, vt is qui afflictus est, illa notabili molestia careat, non autem vt ei benè sit, nec habeatur ad illum affectus amicitiæ (vt cùm inimico, qui maiore quàm velis calamitate oppressus est, subuenis ad hoc solùm, vt illo excessu calamitatis liberetur) sic misericordia videri possit virtus distincta à charitate & ceteris; nam spectat propriam & particularem rationem honesti; quam aliæ non respiciunt. propriam enim laudem habet, miseriam proximi, & illud inordinatum quod ex miseria illius resultat, tollere.

Huic tamen sententiæ obstare videtur, quòd misericordia hoc modo considerata, semper supponat & includat aliquam communionem & affectum illius communionis, ratione cuius apprehenditur inordinatio in miseria alterius. Videtur enim nobis inordinatum & incongruum, eum qui nobiscum est eiusdem naturæ, vel Religionis, vel officij, vel sanguinis, vel patriæ, vel studij, istis miseriis conflictari, cùm nos tam commodè agamus, & illi possimus subuenire. Itaque volumus tollere veluti dedecus naturæ, Religionis, patriæ, &c. idque ex affectu ad illud in quo est communio. Itaque si ex affectu communis naturæ id faciamus, videtur pertinere ad aliquam beneuolentiam generis humani; si ex affectu Religionis Christianæ, ad virtutem Religionis; si ex affectu patriæ, ad pietatem in patriam. & sic de ceteris. Pari modo beneuolentia erga aliquem ratione communis naturæ, ratione Religionis, ratione patriæ, ratione sanguinis, ad diuersas virtutes pertinet. Ex quibus videtur confici, misericordiam hoc modo non esse specialem virtutem, sed diffundi per omnes & quamlibet virtutem, quatenus intuitu & affectu proprij boni ac honesti miseriam ab aliquo depellit, misericordiam vocari.

Quo modo sit virtus à ceteris distincta.

Dici tamen potest, in tollenda miseria naturæ rationalis, vel humanæ, esse peculiarem rationem honesti; quatenus ea videtur incongrua illi naturæ per se spectatæ, adeò præstanti & sublimi; etiamsi id non fiat ex singulari affectu erga illam naturam, aut erga aliud bonum quod tibi cum altero sit commune; & hac ratione misericordiam esse specialem virtutem à ceteris distinctam. Cùm autem ex peculiari affectu boni seu honesti alterius virtutis hoc fit, tunc actum externum misericordiæ imperari ab illa virtute; &

te; & ad illam virtutem pertinere propriè affectum internum, vnde opus externum miseriam subleuans proficiscitur.

Dices, Affectus tollendi alterius miseriam, est affectus displicentiæ & odij erga illam miseriam tamquam erga malum: atqui omnis affectus odij erga malum nascitur necessariò ex affectu amoris erga aliquod bonum: ergo quomodocumque actus misericordiæ consideretur, necesse est vt procedat ex aliquo affectu ad aliquod bonum. Respondeo, Nos id non negare. Procedere enim potest ex affectu quodam quasi iustitiæ, quo quis cupit cuique rei inesse id quod ei secundùm naturam est consentaneum, etiamsi erga ipsam rem peculiarem affectum non habeat. Potest enim amari proportio & congruentia rerum, etiamsi ipsæ res non amentur. Ex hoc affectu prouenit, vt displiceat id quod ei dissentaneum seu malum, & velit illud tollere: quod est misericordiæ. Fateor tamen, opera misericordiæ ordinariè ex hoc affectu non procedere, sed potiùs ex affectu charitatis: ac proinde hanc virtutem non videri distingui à charitate, sicut suprà est explicatum. Hinc fit vt dilectio proximi ferè tota consistat in operibus misericordiæ.

Non videtur distingui à charitate.

CAPVT II.

Deo perfectissimè competere misericordiam, eamq; duplicem vel triplicem.

4 SIVE misericordia spectetur, vt ex affectu beneuolentiæ miseriam tollit, (quo modo non distinguitur reipsa à charitate,) siue vt ex odio & displicentia illius inordinationis in natura rationali, (qua ratione videtur virtus distincta, & suæ speciei,) ipsa est perfectissimè in Deo. Cùm enim ipse omnis boni, omnisque perfectionis, commodi & felicitatis sit fons, auctor, & largitor; ipse quoque omnis miseriæ (vt quæ nisi collatione boni non tollitur) est peremptor & exterminator: in qua tollenda quatenus mouetur affectu beneuolentiæ, vt creaturæ benè sit, est actus charitatis: quatenus verò displicentia illius inordinati, est actus distinctæ virtutis misericordiæ. Sed quia Deus in tollendo malo potissimùm spectat vt creaturæ benè sit, misericordiæ opera potiùs sunt charitatis, quàm alterius virtutis, & ita ipsius misericordia est ipsa charitas inadæquatè considerata, nimirum vt tollit malum dilecti ex affectu quo vult illi bonum, vt ei sit benè & optimè.

Misericordia est perfectissimè in Deo.

An includat imperfectiones.

Nec obstat quòd *misericordia* videatur includere tristitiam & 5
afflictionem animi, cùm cordis quamdam miseriam insinuet, quæ ex sympathia alienæ miseriæ concipitur: quia hæc afflictio non est de ratione misericordiæ, quæ simplicem affectum voluntatis ad opitulandum alteri significat; sed est solùm quid comitans misericordiæ affectum in nobis, qui proximi miseria spectata, ei compatimur & condolemus, à quo dolore tamquam à nobis notiori virtus ipsa nomen traxit. Vnde etiamsi in Deo non sit illa cordis afflictio, nisi metaphoricè; ipsa tamen misericordiæ virtus, cùm nihil imperfectionis includat, sed perfectionem potiùs summam, (si ipsa summa sit) supponat; in Deo formaliter & propriè existit. Simili modo in Deo constituenda est ira, non vt turbidum animi motum, qui humorum concitatione rationem obnubilet, sed vt simplicem voluntatis affectum ad vltionem accensum denotat. Quia tamen ira propriè significat motum animi bilem concitantem, misericordia verò simplicem subuentionis affectum, quamuis à miseria cordis nomen traxerit, idcircò ira in Deo ponitur metaphoricè, misericordia propriè.

Commendatur in Scripturis.

Misericordia Dei luculentissimè commendatur in Scripturis: 6
& quia satis exprimi nequit, vtpote omnem cogitationem & sermonem superans, & omnem miserendi affectum includens, multis & variis modis & verbis proponitur. Exodi 34. *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera atque peccata.* Psalm. 85. *Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ.* Similis verborum synathrismus, quo omnes misericordiæ modi & affectus insinuantur, habetur Sapientiæ 15. Ionæ 4. & alibi. Psalm. 32. *Misericordia Domini plena est terra.* & Psal. 144. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia ōpera eius.*

Duplex in Deo misericordia.

Porrò duplex in Deo misericordia conspicitur; altera generalis, altera specialis: illa prior, hæc posterior: non per se & ratione affectus intern- prior aut posterior; sic enim vtraque semper extitit, vtpote æterna: sed ratione operis externi, & effectus creati. illius enim effectus est prior, huius posterior. 7

Generalis est, qua ab initio tota creatura rationalis, Angelica & humana (& propter humanam totus iste mundus corporeus) ad bona supernaturalia, & statum beatum, quo defectus nudæ naturæ tollerentur, est destinata. Cùm enim natura rationalis per se sibi-

sibique relicta, sit multis subiecta defectibus, imperfectionibus, & veluti miseriis: immensa Dei bonitas cùm statuisset illam ex nihilo condere, & donis omnibus naturæ debitis exornare, videretque eam adhuc tot defectibus obnoxiam, & tanto à visione ipsius interuallo disiunctam, misericordia motus statuit illam ad ordinem supernaturalem, & æternorum bonorum suorum communionem, qua omnes illi defectus profligarentur, sublimare & attollere. Hæc est misericordia prima, de qua intelligi potest illud Prophetæ Psalm. 144. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Si enim super omnia opera, ergo etiam super Angelos effusa. At quando, nisi cùm illos ad supernaturalem statum euexit? Effusa quoque super omnem creaturam corpoream; quia cùm hæc tota sit propter hominem, dum hic ad statum illum sublimem eleuatur, ipsa quoque simul attollitur, vt domus & habitaculum habitatoris sui dignitati congruat. Insinuat hoc Apostolus ad Rom. 8. *Vanitati*, inquit, *creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe; quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* & B. Petrus Epist. 2. cap. 3. *Nouos cælos & nouam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.* Idem colligitur ex cap. 21. Apocalypsis, & 65. Isaiæ. Denique totam creaturam innouandam, & pro suo captu ad statum incorruptibilem & glorioſum subuehendam, est communis Patrum & Sanctorum doctrina.

Generalis & prima misericordia fuit subuectio naturæ rationalis ad statum supernaturalem.

8 Prima autem rerum productio, quatenus ex nihilo in suas species & naturas cum perfectionibus naturalibus sunt conditæ, non tam misericordiæ, qua depellitur miseria, quàm bonitati seu benignitati, quæ fons est omnis boni creati, adsignanda videtur. Cùm enim creatura penitus non esset, non erat propriè misera, aut vlli malo subiecta: nam malum est priuatio boni quod deberet inesse; vnde supponit subiectum existens cui insit, & cui bonum contrarium inesse possit. Si tamen malum & miseriam non ita stricte accipiamus, sed generaliùs pro quouis positiuo, priuatiuo, aut negatiuo, à quo natura abhorret, sic *non-esse* non paruum est malum, nec modica miseria: est enim summa imperfectio, summusque defectus totum bonum exhauriens, à quo omnis natura rerum vehementissimè abhorret. nihil enim natura ita refugit ac sui interitum. Vnde & animantia & homines grauissima mala perpeti malunt, quàm subire interitum, quasi hoc sit peius & miserabi-

Prima productio.

lius. Hoc modo triplex misericordia vel misericordiæ opus statui potest.

Triplex misericordia.

Prima est, qua res omnes, præsertim rationè præditæ, ex nihilo, 9
in quo æternùm retrò velut sepultæ delitũerant, in suas naturas productæ sunt. Deus enim in tanto defectu tantaque imperfectione (qua maior animo concipi nequit) illas videns, misericordia quadam commotus statuit imperfectionem illam tollere, easque ex nihili sui tenebris in lucem essentiæ & vitæ educere, naturam formare, speciem distinguere, suisque facultatibus & ornamentis instruere. Secunda est, qua rerum totam naturam statuit ad supernaturalem statum extollere. Tertia est, qua naturam humanam à statu supernaturali prolapsam tum in peccatum, tum in suas naturales miserias, tum in mortem æternam, constituit reparare, & maioribus præsidiis supernaturalibus quàm anteà fulcire.

Prima misericordia.

Magna & admirabilis est misericordia prima, qua omnia ex profundo nihili educta, ad celsitudinem essentiæ & naturæ sunt euecta: infinitè enim melior est essentia cuiusque quam acceperunt, quàm nihilum vnde emerserunt. Verùm infinitè præstantior

Secunda misericordia.

est misericordia secunda, qua omnia ad supernaturalem ordinem eleuata: nam infinitè præstantior est gratia quàm natura, & status ille diuinus quàm conditio naturalis, & communicatio bonorum

Tertia misericordia.

diuinorum, quàm omnia dona naturalia. Sed & hac misericordia infinitè præstantior est tertia, qua diuina natura copulata est humanæ in vnam persõnam, per quam nobis præstita redemptio, remissio peccatorum, iustificatio, & omne bonum. De prima & secunda misericordia satis dictum est Libro IX. De Benignitate diuina, & Libro X. De Dominio proprietatis. Nunc dicendum de tertia.

CAPVT III.

De lapsu hominis: & cur homo potiùs quàm angeli lapsi redemptus.

De tertia misericordia.

PROLAPSA natura generis nostri in primo parente, fraude dia- 10
boli à statu supernaturali, & amissa iustitia originali ceteriscque virtutibus, (fidem & spem excipio) subtracta etiam singulari illa Dei protectione ac directione, & partis inferioris obedientia, &

im-

immortalitatis dono, in miserrimum statum incidit; neque aliud restabat, quàm vt sibi relicta, suo pondere & impetu instar fluminis cuiusdam de peccato in peccatum ruens, per varios anfractus errorum & dolorum in pelagus exitij sempiterni deuolueretur. Tanta enim erat ad malum pronitas, vt nihil ferè nisi peccare posset; tantus impetus, vt à nemine nisi à solo Deo posset sisti ac inhiberi; ipsum verò malum tam atrox ac penitus inolitum, vt à nullo præterquam à Dei manu posset exscindi.

Difficultas redemptionis

11 Deus igitur, cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, intimis misericordiæ viscеribus commotus, statuit nos ista multiplici miseria eripere, & rursum ad statum supernaturalem erigere. Verùm id nec ita conuenienter, nec satis fructuosè fieri poterat, nisi & pro peccato iustitiæ diuinæ æquiualens satisfactio exhiberetur, & fons quidam perennis ac inexhaustus, quo peccata, quotiescumque homines in ea inciderent, deleri possent, constitueretur. Parum enim fuisset, in pristinum gradum iustitiæ restitui, nisi etiam futuris lapsibus in tanta infirmitate & mali procliuitate fuisset consultum. At neutrum illorum à pura creatura præstari poterat: nulla enim pro homine liberando poterat offerre pretium æquiualens, nulla etiam fontem perpetuæ remissionis & iustificationis construere. Tanta enim est vel vnius peccati mortiferi malignitas, tanta in maiestatem illam infinitam iniuria, vt omnibus Sanctorum, Angelorum, & hominum obsequiis, laudibus, cultibus, precibus, humiliationibus, pœnitentiis, afflictionibus ex æquo, &, vt ita dicam, ad æquilibrium iustamque æqualitatem nequeat compensari, vt infrà de Iustitia ostendetur. Cùm igitur nullum remedium nec in terra nec in cælo malis nostris medendis, & bonis amissis recuperandis appareret, nec vllus Angelus aut vlla mens creata quidquam congrui auxilij posset inuenire, misericordia diuina inauditum, admirabile, ineffabile, incomprehensibile, omnibus sæculis, omnibus Angelis & hominibus obstupescendum excogitauit consilium; nimirum, vt Filius Dei, Sapientia genita per quam facta sunt omnia, naturam nostram sibi copularet, & in ea ac per eam totum genus humanum repararet. Nisi enim reparator noster esset Deus, non posset exhibere pro offensione & iniuria à nobis in Diuinitatem commissa quidquam æquiualens: nec constituere perennem & indefectibilem reconciliationis thesaurum. Nisi esset etiam homo, cessaret meritum, cessaret satisfactio, cessaret exemplum, cessaret illa suauis & natu-

Duo erant necessaria ad nostram reparationem.

Malitia peccati quomodo infinita.

naturæ congruentissima prouidentia, qua res per ea quæ sui sunt generis gubernantur.

Cur homines potiùs quàm Angelos restituit.

Sed cur potiùs genus humanum quàm cœtum angelicum qui cecíderat, reparare voluit? Vnus enim Angelus, si natura spectetur, æquipollet infinitis hominibus. cuius signum est, quòd infiniti homines infinito temporis tractu non possent sibi tantam comparare sapientiam, quanta vel in vno est Angelico spiritu; imò nec centesimam quidem illius partem. Deinde, omnes totius mundi exercitus, & tota generis humani multitudo omnibus suis armis instructa, non posset vel vni Angelo resistere, aut eius vim sustinere. cur ergo naturæ tam eximiæ non est habita ratio? 12

Vnus Angelus, si natura spectetur, æquiualet infinitis hominibus.

Bernardus Serm. 1. De Aduentu. Greg. lib. 4. Moral. c. 9.

Multæ sunt causæ, quarum hæ præcipuæ. Prima, Quia homo fraude naturæ superioris in culpam prolapsus est; angelus sponte sua. Et quamuis superiores fortè induxerint inferiores, videbant tamen isti alios suos socios pestiferæ suasioni resistentes, eorumque exemplo debebant confirmari.

Bernardus & Gregorius suprà.

Secunda, Quia genus humanum, exceptis duobus primis hominibus, voluntate aliena absque proprio consensu lapsum est: angeli suo iudicio, suo arbitrio, & propriæ voluntatis electione peccarunt.

Gregorius.

Tertia, Quia ob perfectissimam cognitionem, & solutum animi impetum, peccatum illorum erat incomparabiliter grauius: sicut ob eamdem causam illorum bona opera sunt maximè meritoria. Hominis notitia est multò obscurior, & affectus passionibus obsitus longè imbecillior. Vnde homini longa via & longum tempus merendi constitutum, Angelo breuissimum.

Lucæ 1.

Denique, Misericordiæ indoles est inclinare vbi maior miseria, abiectio, vilitas. *Deposuit* enim *potentes de sede, & exaltauit humiles.* Facile est Deo, vilitatem naturæ cælestium donorum præstantia compensare. Vt igitur nostrum genus, non vt angelos redimeret, mirabile illud consilium suscipiendæ carnis humanæ misericordia diuina iniit.

Maximum misericordiæ opus.

Hoc igitur post lapsum est primum & maximum misericordiæ diuinæ in nos beneficium, vtpote infinitum, & aliorum multorum, quorum singula infinitæ sunt æstimationis, origo & fundamentum; quo maximè Deus infinitum suum in nos amorem & misericordiam declarauit. De quo Dominus ipse Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quis hoc animo 13

voluens

voluens non obstupescat? quis tantæ benignitatis consideratione lacrymas contineat? quis in obsequium Dei vicissim se non libentissimè expendat? Sic, tam intensè, tam effusè, tam ardenter, tanta æstimatione, tanti illum fecit & appretiauit *Deus*, illa infinita maiestas, nullius egens, sibi sufficientissima, qui verbo creauit omnia, cui tot milliones seruiunt Angelorum, & qui momento temporis infinitos alios multò excellentiores seruos & cultores sibi ex nihilo poterat condere; *Mundum*, humanum genus, infimum naturæ rationalis terminum, brutis affine, terrenis addictum, cælestium inane, immundum, ingratum, inimicum, rebelle, in quo nihil dignum amore, plurima digna odio & supplicio. Obstupesce homo; angelicis spiritibus, tam sublimi ingenio & natura præditis in sua damnatione relictis, tibi vilissimo & nullius pretij vermiculo, à magno illo Numine tam immensum amorem & fauorem exhibitum. *Filium suum vnigenitum*, non Angelum, non Cherubinum, non Seraphinum, non filium aliquem adoptiuum, sed Filium suum vnigenitum, naturalem, consubstantialem, eiusdem maiestatis, potestatis, sapientiæ, excellentiæ, quem infinito dilexit amore, cui totam suam substantiam, vnà cum omnibus suis perfectionibus & thesauris bonorum ab æterno profudit. *Daret*, in Rectorem, in Doctorem, in exemplum vitæ; in Redemptorem, in pretium & satisfactionem pro peccatis; in thesaurum perpetuum iustitiæ & reconciliationis; in iuge Sacrificium, in Sacerdotem æternum; in panem vitæ æternæ, & alimentum immortalitatis, in pignus futuræ gloriæ; in Regem, Iudicem & remuneratorem viuorum & mortuorum; in gloriam & triumphum cœlestis patriæ. *Daret*, ad vnionem nostræ naturæ, ad nuditatem & paupertatem, ad labores & incommoda huius vitæ, ad contumelias & persecutiones, ad alapas & sputa, ad flagella & spinarum punctiones, ad omne genus probrorum & dolorum, ad crucem & mortem, vt totius nostri generis peccata in se susciperet, eaque in suo, quasi illorum auctor ac reus, lueret corpore. *Vt omnis qui credit*. Totum hoc fecit vt nos ab exitio sempiterno, cui addicti eramus, eriperet, & æterna vita donaret: nec à nobis requirit aliud, quàm vt credamus in Filium, eique obediamus.

Explicatur locus Ioan. 3.

CAPVT IV.

De incarnationis Verbi necessitate.

Primum opus misericordiæ tertiæ, incarnatio Verbi.

NVNC singula misericordiæ huius beneficia consideremus. 14
Primum igitur & fundamentum ceterorum, vt dicebamus, est *diuini Verbi incarnatio*, qua natura nostra per omnipotentiam Dei supra omnem creaturam eleuata & attracta, Filio Dei substantialiter & hypostaticè adstricta est & vnita; ita vt iste homo cœperit esse Dei Filius naturalis, verusq; Deus impassibilis, immortalis, æternus: & contrà Filius Dei verus Deus, cœperit esse verus homo passibilis, & mortalis. In hoc tria sunt perpendenda. Primùm, An fuerit necessaria. Secundum, Quomodo facta sit. Tertium, Quantum hoc sit beneficium.

Necessitas incarnationis Verbi.

Quod ad primum attinet: necessarium fuit diuinæ Incarnationis mysterium ad reparationem nostram, non absolutè, quasi nulla alia ratione posset nos liberare (poterat enim per absolutam & infinitam auctoritatem suam, vel gratis omnia condonare & in pristinum statum restituere, vel tenui aliqua satisfactione, qualis ab homine præstari poterat, acquiescere; vel Angelicas preces in ea re admittere) sed vt ea modo optimo, Deique iustitiæ ac misericordiæ, & hominis saluti congruentissimo perficeretur. In hunc sensum intelligendi Patres, cùm dicunt, alia ratione hominem redimi non potuisse; quia nulla fuit tam congrua, tam Deo digna. S. Leo epistola 83. *Quæ reconciliatio esse potest, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causam mediator Dei hominúmque susciperet?* & Serm. 1. De Natiuitate: *Talis natiuitas decuit Dei virtutem, & Dei sapientiam Christum, qua nobis & humilitate congrueret, & Diuinitate præcelleret. nisi enim esset Deus verus, non adferret remedium: nisi esset homo verus, non præberet exemplum.* Et Cyrillus lib. 5. Thesauri, c. 7. *Hanc* [immortalitatem] *quia nullus homo poterat dare, ipse Filius Dei increatus secundùm naturam, necessariò vt homo creatur propter nos.* & infrà: *Quia imperfectum esse semper opus Dei non decuit, nec potuit aliter reparari quàm incarnatione Verbi, necessariò Dei Filius homo factus est.* Imò sancti Patres contra Arianos & Nestorianos probãt Christum hominem fuisse verum Deum, ex eo quòd pretium condignum pro nobis obtulerit, nosq; redemerit; quòd peccatum & mortem sua passione destruxerit: apertè indicantes, ista alio modo præstari non potuisse. Cyrillus loco citato: *Quomodo Christus mediator*

diator Dei & hominum erit, nisi verè sit Deus, & verè sit homo? & paulò pòst: *Quomodo peccatum, quomodo mortem destruxit, si est creatura?* Idem lib. 2. De Trinitate, pag. 2. *Christus non esset condignum pretium totius creaturæ redimendæ, neque sufficeret ad benè redimendam mundi vitam, etiamsi suam deponeret animam & sanguinem vt pretium pro nobis, nisi verè & Filius & tamquam ex Deo Deus.* Et S. Augustinus in Enchirid. cap. 108. *Nam neque per ipsum liberaremur vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, nisi esset & Deus.*

Fuit cõgruentissimus diuinæ iustitiæ.

15 Fuit iste modus saluandi per Filium incarnatum congruentissimus. Primò, Diuinæ iustitiæ, idque triplici ratione. Primò, ratione solutionis debiti; quia cùm non esset conueniens vt iustitia diuina maneret semper violata ac læsa per peccatum, nulla facta reparatione idonea tantæ iniuriæ, per Verbum incarnatum exhibita est plena & æquiualens satisfactio, quam diuina iustitia postulabat, quæ à nulla pura creatura præstari poterat, vt Patres locis citatis insinuant. Secundò, ratione manifestationis iustitiæ: quia sic ostensus est summus rigor & seueritas iustitiæ diuinæ, vt quæ ad remissionem peccati infinitum pretium & satisfactionem infiniti valoris exigat. Ostensum etiam quanta sit peccati malitia, vt quæ nullis creaturarum operibus quantumuis bonis compensari, sed solo Sanguine Filij Dei possit deleri. Tertiò, ratione modi spoliandi diabolum; quia conuenientiore modo superatus & spoliatus est; dum non potentiæ virtute, sed iustitiæ ratione suo dominatu exuitur, victus ab illa natura quam vicerat, & amittens omnium seruitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. quod pulcherrimè explicat D. Leo Serm. 2. de Natiuitate.

Misericordia ostendenda.

16 Secundò, Fuit congruentissimus misericordiæ; quia nulla re magis charitas Dei in homine & misericordia declarari potuit, quàm donando Filium, vt Dominus ipse insinuat Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Nihil maius pro nobis facere potuit, nihil datè præstantius aut efficacius ad salutem. Videri poterat maior misericordia, si gratis peccatum condonasset, & omnes transtulisset in cælum; sed reuerà maior non fuisset. quia infinitè amplius est dare Filium, quàm quoduis bonum creatum: & longè præstantior est hæc saluandi ratio, qua satisfit iustitiæ, quàm illa gratuita, qua absque satisfactione saluaremur. Si Rex deposito diademate suscipiat statum serui vt ipsum à morte liberet, longè maiorem illi charitatem & misericordiam exhibet, quàm si sola

auctoritate nihil pendens iustitiæ, morti eximat. Iustitia diuina instar seueri iudicis hominem tenebat captiuum vinculis peccatorum cõstrictum, vt eum morte æterna plecteret: accessit misericordia, & oblato diuini Sanguinis pretio, iustitiæ abundè satisfecit, & hominem redemit. Vnde Apostolus 1. Corinth. 6. *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Deniq; quia hac ratione constitutus est homini perpetuus fons saluationis, semper patens ad ablutionem peccatorum, qui alia ratione constitui non poterat.

Sapientia & potentia declarandæ.

17 Tertiò, Fuit etiam accommodatissimus declarandæ Dei sapientiæ & potentiæ. Tale enim consilium non nisi ab infinita sapientia excogitari, neque executioni, nisi ab infinita potentia, mandari potuisset. Quid enim difficilius vel admirabilius, quàm Deum fieri hominem, & hominem Deum, & eidem personæ inesse ac tribui omnia quæ sunt Diuinitatis, & omnia quæ humanitatis? Sic etiam ostensum est, Deum non solùm aliquas sui participationes, & vmbraticas imitationes ad naturæ vel gratiæ ordinem pertinentes, posse creaturis communicare; sed etiam totam suæ Diuinitatis plenitudinem illis infundere, & substantialiter vnire; ac proinde esse tres gradus seu ordines generales rerum, ordinem naturæ, gratiæ, vnionis hypostaticæ.

Homini in salutem perducendo.

18 Quartò, Est conuenientissimus perducendo homini ad salutem. Primò, ad confirmandum in fide. Quis enim non firmissimè credat, quod Deus ipse nobiscum visibiliter versatus docuit & confirmauit? Vnde S. Augustinus l. 11. De ciuit. c. 2. *Vt homo fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa Veritas Dei Filius homine assumpto constituit atque fundauit fidem.* Secundò, ad erigendam spem salutis. Nam vt ait idem Augustinus lib. 13. De Trinit, cap. 10. *Nihil tam necessarium ad erigendam spem nostram, quàm vt demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus. Quid verò huius rei isto indicio manifestius, quàm quòd Dei Filius nostræ naturæ dignatus est inire consortium?* Et vt Apostolus ad Rom. 5. argumentatur, *Si cùm adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: multi magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius.* Timidum est genus humanum, & diffidentiæ obnoxium, cùm se tam longè ab illo beatitudinis statu dissitum videt, & quid de se cogitet Deus, nescit. Sed quis desperet, cùm Deum tanta & tam difficilia pro se fecisse videt, nec quidquam ampliùs ardui ad salutem suam ipsi patrandum restare? Non enim rursus carnem assumere, rursus laborare & pati deber,

debet, vt te saluet. Nec dubitare debes quin benignissimè de te cogitet, qui tanta pro te adhuc inimico fecit, si ipse pro modulo tuo responderis. Cur enim vellet pretium Sanguinis sui in te esse inane, & labores suos irritos & cassos? Tertiò, ad excitandam charitatem. Quomodo enim tam inusitata & ineffabilis dilectio, qua dilexit nos, carnem nostram assumens, & Sanguine suo nos redimens, ad redamandum non excitet, si vel modicum perpendatur? Nullum sanè maius esse poterat amoris incentiuum, nullum potentius illicium. Quartò, ad incitandum studium omnium virtutum, quarum ille in vita sua dedit clarissima exempla. Ipse exemplo suo nos prouocat ad paupertatem, castitatem, obedientiam, ad honorum & seculi contemptum, ad humilitatem, ad zelum animarum, ad labores pro illis suscipiendos, ad patientiam, ad studium orationis, ad vigilias, ad ieiunia; denique ad omne opus bonum. Quis tantum ducem non libenter sequatur? quis Deum ipsum exemplo præeuntem & hortantem imitari detrectet? Quintò, ad sanctificandum hominem, & Deo coniungendum. Sicut enim omnes vnius inobedientia peccauerunt, & ab eodem nascendo peccatum & mortem contrahunt; ita conueniebat vt vnius obedientia omnes reconciliarentur, & ab illo spiritaliter renascédo sanctitatem haurirent & vitã. Vnde Apostolus ad Rom. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem, iusti constituentur multi.* Atqui fieri non poterat vt vi obedientiæ vnius hominis reconciliarentur, & ab illo sanctitatem & vitam æternam haurirent, nisi ille esset Deus, qui est fons sanctitatis & vitæ. Id enim propter quod cetera sunt sancta, & viuentia vita spiritali, debet per se & vi sua esse sanctũ & viuum. Hoc modo Deus vnum hominem sibi substantialiter vniens, & sanctum efficiens, per illum sanctificat ceteros omnes qui illi adhærent, & spiritum, qui in ipso est, ad illos extendit. Sic omnes illi adhærentes rediguntur ad vnum corpus, vt viuificentur ab illius spiritu, veluti vna mystica persona seu hypostasis vno capite, vno corpore, vno spiritu, sed multis membris constans. Vt enim ait Apostolus, *omnes vnum sumus in Christo*, sicut omnia membra sunt vnum corpus in homine. Rom. 12. 1. Cor. 10. & 12.

19 Quintò, Fuit iste modus congruentissimus perfectioni totius vniuersi, & gloriæ Sanctorum. *Perfectiopi vniuersi*; tum quia homine assumpto, totum vniuersum quodammodò assumptum, & Diuinitati connexum. Nam in homine quodammodò est tota rerum *Vniuersitati rerum.*

vniuersitas, quatenus in eo sunt omnes rerum gradus. Vnde & μικρόκοσμος dictus est à Philosophis. Itaque omnes rerum gradus in illo assumpti. Tum quia totum vniuersum accepit caput & & rectorem sibi congruentem, nempe homogeneum, ac eiusdem naturæ, siue natura corporea spectetur, siue incorporea. Tum quia sic vniuerso additus est supremus gradus communionis diuinæ. Cùm enim anteà solùm constaret gradu naturæ & gratiæ, accessit gradus vnionis hypostaticæ, qui omnium est excellentissimus.

Gloria Sanctorum augenda.

Gloriæ Sanctorum, quia hæc tam illustri opere mirificè est aucta. Nam primarium post Diuinitatem beatitudinis obiectum, est humanitas Christi, tam sublimi modo Diuinitate refulgens. Plus enim inde gaudij omnes Beati percipient, quàm ex tota Sanctorum societate, & Angelorum innumerabili frequentia.

Obiectum secundariũ beatitudinis, est Christi humanitas.

Ex his patet, vnionem hypostaticam multis de causis fuisse congruentissimam, ac proinde necessariam, vt nostra reparatio modo conuenientissimo fieret.

CAPVT V.

Quomodo facta sit hæc vnio.

Modus quo facta est incarnatio.

SEQVITVR vt consideremus *quo modo facta sit*. Sed quis hoc non dico verbis explicet, sed vel animo concipiat, quod etiam intelligentiam Angelicam superat? Verùm etsi id perfectè à nobis intelligi nequeat, tamen potest propositis exemplis & analogico assensu adhibito aliquatenus apprehendi.

Modus Nestorianorum

Nestoriani volebant illum hominem, & illius naturam humanam ideò dici coniunctam Diuinitati, quòd ipse esset *Diuinitatis templum & tabernaculum*, in quo singulari modo Diuinitas habitaret ac coleretur: & *vestimentum*, per quod ipsa se hominibus visibilem quodammodò præberet; sicut Angeli assumpto corpore ex aëre tamquam veste, ad exhibendos se mortalibus visibiles, vtuntur: & *instrumentum*, per quod singulari modo Diuinitas operaretur, & *amictus* singulariter à Deo dilectus, & vicissim Deum summè diligens. Itaque ponebant inter Deum & humanam Christi naturam solam vnionem per modum inhabitationis, & vestitus, & instrumenti, & amoris; ac proinde statuebant duas distinctas personas, humanam & diuinam, sicut & duas naturas.

Refutatio.

Verùm etsi in vnione hypostatica isti quatuor modi eximiè reperian-

periantur & concurrant, non tamen sufficiunt: si enim non esset maior vnio, totum hoc mysterium, quod est salutis nostræ fundamentum, euerteretur. Sic enim Deus non esset factus homo, nec homo esset Deus, quod innumeris Scripturis manifestè repugnat. Sic Christus, vtpote purus homo, non potuisset nos redimere, & Deo reconciliare, quia nec pretium æquiualens exhibere; non potuisset peccatum & mortem sua morte destruere, neque in se credentibus sanctificationem impertiri, neque illis dare potestatem filios Dei fieri; quia hæc ad eum solum, qui est ipsa sanctitas & vita, & Filius naturâ, pertinent, vt ex Scripturis constat, & Patres fusè probant. 1. Ioan. 1. 2. 5. & 6. Act. 4.

Denique simili modo coniungitur plurimis Sanctorum: sunt enim templa Dei, & organa operum mirabilium, & amici dilectissimi, & interdum se per illos præsentem exhibuit, vt cùm in veteri Testamento loqueretur per Angelum. Debet ergo in Christo esse altioris rationis vnio, per quam iste homo non solùm sit templum, & vestimentum, & organum, & amicus, sed etiam Filius naturalis, & æternus, & Deus ipse.

21 Eutychiani vt contradicerent Nestorianis, volentes tollere diuersitatem personarum, statuerunt vnam tantùm in Christo post vnionem naturam, fingentes Diuinitatem conuersam in carnem, stulta prorsus imaginatione, quasi Diuinitas possit in carnem (tamquam vapor quispiam tenuis in aquam) crassescere; aut sicut res subtilis in palpabilem transmutari; aut ita possit cum substantia carnis misceri & confundi, vt inde aliquid tertium, sicut ex elementis corpus mixtum, exurgat. *Modus Eutychianorum*

Itaque & Diuinitas mutabilis erit & mortalis: quod enim in aliquam naturam mutatur, suam exuit & amittit, alienam induit, vel aliena ei succedit. Caro quoque Christi non erit eiusdem naturæ nostræ; sed vel phantastica, vt volebant Manichæi; & sic omnis Christi passio phantastica erit, & merum præstigium oculorum: vel cælestis indolis & impatibilis, vt Valentinus & Apollinaris; quo modo quoque crux & passio euacuatur. Denique sic Christus neque Deus verus erit, neque verus homo, cùm neutram naturam verè sit habiturus. Has duas hæreses doctissimè refutauit S. Leo epist. 10. ad Flauianum, quæ recepta & approbata est ab Oecumenica Synodo Chalcedonensi.

22 Vtroque igitur errore extremo damnato, certissima fide tenendum in Domino nostro esse duas integras, inuiolatas, omnibusque suis *Modus Orthodoxorum.*

suis naturalibus proprietatibus & conditionibus absolutas naturas, humanam & diuinam, easque ita in vnam coaluisse personam, vt vnus idemque sit verus Deus, & verus homo; habeatque omnia quæ sunt Diuinitatis, & omnia quæ sunt humanitatis; & omnia quæ Filio Dei vero Deo conueniunt, conueniant & huic homini; & quæ huic homini conueniunt, tribuantur quoque Deo. Est enim iste homo Filius Dei, est ab æterno genitus ex Patre: est vnà cum Patre principium Spiritus sancti, est Sapientia Patris, & omnium Opifex; est immensus, est incommutabilis & æternus, est omnipotens: rursus Deus factus est homo passibilis & mortalis, Deus natus est ex Virgine, Deus passus est, crucifixus, mortuus, sepultus. Hoc modo in Christo est idiomatum vtriusque naturæ perfecta communicatio, cùm humana natura omnia sua communicet Verbo, & diuina natura sua omnia communicet huic homini. Sic quoque Christi persona, etsi vnica sit & simplicissima, tamen vt in duabus naturis completè subsistit, habet vim duarum; ita perfectè operans per vtramlibet, quasi illam solam haberet. Ad hoc non sufficiunt illæ vniones supradictæ, sed requiritur alia infinitè excellentior, quæ explicari potest exemplo insitionis, ignitionis, & animationis.

Explicatur vnio illa exemplis.

Primò, exemplo insitionis.

Insitionis, vt si nobilissimo trunco pyri vnum ramum naturalem habenti, inseratur ramus pruni. Hic primò vtraque natura manet salua & integra. deinde ita vniuntur in vno trunco veluti hypostasi, vt quodammodò fiat vna arbor, ratione vnius trunci in quo subsistunt, quæ simul pyrus & prunus dici possit. Tertiò, Truncus quoque ille est alteri ramo naturalis, alteri extraneus: sicut hypostasis Verbi est naturalis Diuinitati, accessoria humanitati. Quartò, Vnio quoque est quodammodò substantialis: est enim continuatio quædam & connexio venarum & fibrarum trunci cum venis & fibris rami insiti, ita vt succum ex illis attrahat. Quintò, Ratione huius vnionis dicere possumus, pyrũ producere pruna, & prunum pyra: & si ramus pruni exaresçat, pyrum quodammodò exaruisse. Denique, fructus pruni excellentiam quamdam contrahent à succo tam nobilis trunci, sicut opera humanitatis à Verbo. Scio in hac comparatione multa esse dissimilia, & quædam haud ita propriè dici; tamen hoc exemplum non est contemnendum, cùm in eo quædam adumbratio tanti mysterij possit notari, ex qua, sublatis imperfectionibus, mens ad illud melius contemplandum queat assurgere. Nam & ipse Dominus

seip-

seipsum vitem, & omnes ipsi insitos palmites vocat. At nec ipse vitis esset, nec palmitibus vim ferendi fructum daret, nisi humana natura, secundùm quam vitis dicitur, radici illi cælesti, Verbo diuino insita esset. Vtuntur hac similitudine multi DD. in 3. ex Theodoreto Dialogo *Inconfusus*.

Secundò, ex emplo ignitionis.

Ignitionis, vt in ferro candente, vel carbone ignito. Sicut enim ignis totum ferrum penetrat, occupat, & ad suam puritatem ac nitorem attrahit, sibique penitus adstringit & vnit: ita Diuinitas naturam humanam totam penetrat, & omnes eius particulas sibi copulat. Et sicut illa vnio ignis cum ferro est intima, vt vix alterum ab altero distingui queat, manente tamen naturæ & proprietatum distinctione: ita quoque vnio Verbi cum natura humana est penitissima; ita vt hæc Verbi Diuinitate, (sicut carbo accensus) tota sit imbuta & refulgens, perseuerante tamen naturali discrimine & integritate. Rursus, sicut durante illa vnione ferrum est incapax ferruginis, nigroris & frigoris; ita humanitas incapax est peccati. Denique, sicut operatio ignis tribuitur ferro candenti, & contrà (ferrum enim dicitur splendere, calefacere, vrere, accendere; & ignis potest dici secare, diuidere, penetrare, condensari; imperfectiones tamen ferri ignem non afficiunt:) ita in hoc mysterio ea quæ sunt Diuinitatis tribuuntur homini, & quæ humanitatis Deo, sic tamen vt imperfectiones humanitatis Diuinitatem non lædant. Vtitur hoc exemplo Basilius Hom. De humana Christi generatione. *Quomodo, inquies, Deus Verbum humana fragilitate non est correptus aut inquinatus? Facilè respondemus, Sicut & ignis de ferri proprietatibus non accipit. Nigrum quidem est ferrum & frigidum, attamen ignitum & candens ignis formam subit, & quamquam ex eo splendens, ignem tamen sua nigredine non inficit; itemq; ardens flammam sua frigiditate non destruit*, &c. *Ignem* hic intelligo ardorem illum, qui humidum primigenium & oleosum corporum mixtorum immediatè occupat (siue illud forma sit substantialis, siue accidentaria) & illud si euaporat, in flammam vertit; si consistit, in speciem rutilantem.

Comparatio vnionis hypostaticæ cũ vnione corporis & animæ.

Animationis. Sicut enim anima rationalis & caro vnus est homo; ita (teste S. Athanasio in Symbolo) *Deus & homo vnus est Christus.* Maxima est distantia inter animam & carnem: anima enim est res subtilis, incorporea, simplex, viua, mobilis, pura, intelligens, immortalis, per se subsistens; caro est crassa, multiplex, impura, sordida, torpens, sensu & ratione destituta, corruptioni obnoxia: & tamen anima vi sua suoque contactu carnem extollit, & ad se attra-

hit, sibique substantialiter vnit, & vnus ex vtroque homo constat. Per hanc vnionem caro fit spiritalis, pulchra, viua, mobilis, & bonorum animæ particeps; ita vt omnis honor qui animæ defertur, simul etiam deferatur carni. Rursus caro non gestat animam, sed anima carnem, & ipsa in anima veluti in sustentante recumbit; non autem anima in illa. vnde illa ad hypostasim animæ eleuata & vnita videtur. Præterea, iste homo, verbi gratia Petrus, simul est anima & caro, vel vt magis propriè loquar, animalis & carnalis. Vt animalis (deducto nomine ab anima rationali) est incorporeus, immortalis, & ratione præditus; vt carnalis, est corporeus, mortalis, & ratione carens, &c. Denique, quidquid operatur aut patitur caro, operatur vel patitur homo animalis: & quidquid operatur aut patitur anima, operatur vel patitur etiam homo carnalis. Simili modo, etiamsi infinita sit distantia non loci, sed gradus & speciei, inter naturam humanam & diuinam, tamen Deus sua omnipotentia naturam humanam in infinitam celsitudinem supra omnem creaturam attollere, & ad hypostasim Verbi, (quæ naturæ humanæ & singulis eius partibus intimè tota præsens erat) insolubili & substantiali nexu adstringere & vnire potuit, ita vt iam non illa in se aut per se, sed in Verbo, veluti ramus terrenus in cælesti trunco, & veluti corpus in regente & sustentante se anima subsisteret. Neque idcirco Verbum mutari, sed humanitas eleuari, ad Verbum attrahi, & modum quemdam inexistendi Verbo accipere debuit. sicut cùm magnes attrahit & copulat sibi ferrum, non magnes, sed ferrum mutatur: cùm Angelus assumit corpus, non Angelus, sed corpus mutationem patitur: cùm cera infunditur sigillo, ipsa, non sigillum mutatur: denique in sanctissimo Eucharistiæ mysterio, cùm species à corpore Dominico inuisibiliter sub illis existente assumuntur, (vt ita dixerim) & illi copulantur, vt ab eo separari nequeant, quamdiu saluæ permanent, & nobis illud visibile quodammodò & tractabile exhibeant; non ipsum corpus Domini, sed species ipsas credibile est mutari. Potuit itaque Verbum diuinum, omnia penetrans, omnia sustentans, omnipotenti virtute sua naturam humanam apprehendere, & absque sui mutatione sibi adstringere, & vnione substantiali copulare, præsertim cùm per se totum intimè præsens sit naturæ humanæ, & singulis eius partibus, multò magis quàm lumen aëri, vel anima carni. *Substantialem* illam vnionem voco, non quòd ad substantiam humanitatis pertineat, cùm prorsus sit supernaturalis; sed quia non est res aliqua

Ex mysterio Eucharistia.

aliqua à ſubſtantia illius omnino diſtincta, verùm modus immediatus ſubſtantiæ, quo ipſa proximè vnitur Verbo ad vnum ſuppoſitum ſubſtantiale conſtituendum. Sic vnio carnis cum anima non eſt de ſubſtantia carnis, ſed modus ſubſtantialis vel carnis, vel animæ, vel vtriuſque. Et ſi Deus in materia cæleſti aliquâ animam collocaret, vnio illa eſſet ſupernaturalis, tamen ſubſtantialis.

23 Verùm hoc maximè admirabile & incomprehenſibile in hoc myſterio, quomodo Verbum diuinum abſque vlla noua habitudine ad humanam naturam poſſit eam ita ſibi adſtringere, vt ratione illius vnionis verè dicatur & ſit homo. Sed prouenit hoc ex infinitate Verbi, quòd ſicut in aliis, ita etiam in ratione hypoſtaſis vim infinitam habet, qua ſubſtantiarum omnium exiſtentias per modum hypoſtaſis poſſit terminare, naturas ipſas actuales per ſe formaliter hypoſtaticè ſuſtentandas. Sicut enim intellectio diuina propter ſuam infinitatem in ratione intellectionis, ad futura contingentia; & volitio diuina propter infinitatem in ratione volitionis, ad omnia exiſtentia quorum ipſa eſt cauſa, ſe extendit, idque abſque acceſſione alicuius habitudinis realis ad illas: ita quæuis hypoſtaſis diuina ob infinitam vim in ratione hypoſtaſis, talis eſt, vt poſſit ſe ad quamlibet naturam terminandam & ſuſtentandam, abſque vlla ſui mutatione, vel habitudinis intrinſecæ acceſſione, extendere & proferre. Sufficit enim illa habitudo virtualis eminentiſſima, quam ratione ſuæ infinitatis habet, ratione cuius non minùs perfectè vnitur, quàm ſi formalem, intrinſecam, & nouam habitudinem ad naturam humanam in aſſumptione acquireret. Recipit igitur ad ſe & in ſe Verbum diuinum naturam humanam, fitque eius hypoſtaſis abſque vlla ſui mutatione, ſola mutatione humanitatis, qua trahitur ad Verbum, & extenſione ſeu habitudine virtuali Verbi, qua recipit & terminat humanitatem. Quare etſi Verbum diuinum nullius extrinſeci ſit capax vt ſubiectum quod forma aliqua imbuitur, (hoc enim eſt potentialitatis, defectus, & inopiæ, vnde repugnat puro actui;) eſt tamen capax omnium naturarum ſubſtantialium, vt hypoſtaſis; quod eſt ſignum exuberantiſſimæ perfectionis. Et quamuis omnis ſubſtantia ſibi relicta per ſe exiſtat, nulli alteri inſita aut inhærés, ſibi ipſa ſufficiens hypoſtaſis; tamen omnipotentia Dei poteſt illi dare modum quemdam inexiſtẽdi, quo formaliter exiſtat in alio, præſertim in perſona diuina.

Punctus difficultatis in modo myſterij huius.

24 Multa igitur in hoc myſterio totius miſericordiæ pelago conſideranda ſunt miracula. Primum, Quòd natura completa, quæ in

Mira huius myſterij decem.

instanti formationis suæ per se alioquin subsistitisset, propriamque constituisset hypostasin, fuerit præuenta, accepto modo inexistendi, quo supra omnem creaturam elevata existeret in Verbo. Secundum, Quòd Verbum ita naturam illam exceperit eam sustentans, eiusque inexistentiam terminans, vt tamen nullam subierit mutationem, nullam intrinsecus nouam contraxerit ad illam habitudinem, nullum ordinem, nullam ῥοπὴν aut inclinationē. Sufficiebat enim infinita illa vis hypostatica, vt se ad illam naturam extrinsecus attractam & veluti insertam, absque vlla sui mutatione velut terminus & basis hypostatica extenderet. Tertium, Quòd Verbum diuinum absque vlla noua habitudine ad naturam humanam factus sit verus homo, sitque inter naturam diuinam & humanam ratione vnionis in Verbo mutua complexio seu περιχώρησις, vt Damascenus ait. Hoc miraculum sequitur ex duobus prioribus. Sed aduerte quòd dupliciter quis possit dici homo. Primò, Per identitatem cum natura humana per se subsistente; quo modo quiuis purus homo dicitur homo. Nihil enim est quilibet homo purus, quàm natura humana indiuidua per se subsistens. Hoc modo Verbum non est homō, cùm ratio hominis ipsi sit extrinseca. Secundò, Per vnionem humanitatis cum aliena hypostasi. Esse enim hominem generatim, est habere in se humanitatem, siue per identitatem quis habeat, siue per vnionem, vt hypostasis extrinseca. Verbum igitur est homo, quia habet humanitatem sibi substantialiter vnitam, nunquam eius hypostasis. Itaque etsi eadem sit humanitas in Verbo quæ in nobis, & Verbum æquè sit perfectus homo ac nos sumus; tamen modus habendi est diuersus. Nos enim habemus humanitatem per identitatem, Verbum per vnionem; nos naturaliter, illud supernaturaliter. Christus tamen, quia significat non nudam personam Verbi, sed suppositum ex persona Verbi & natura humana concretum, potest dici homo per identitatem, saltem partialem, quia naturam humanam includit.

Lib. 3. c. 8.

Reliqua miracula sunt extrinseca, & debita tanto mysterio, 25
veluti ex illo consectaria. Primū, Quòd corpus in instanti perfectè formatum. Secundum, Quòd omnipotens virtus Spiritus sancti vicem virtutis seminalis suppleuerit. Tertium, Quòd anima illa beatissima in primo instanti creationis & infusionis sui, lumine gloriæ & omnibus cælestibus bonis eminentissimè fuerit repleta, adeò vt per temporum spatia nulla ei potuerit fieri accessio. Quartum, Quòd à virgine conceptus. Quintum, Quòd à virgine

gine natus absque virginalis clauſtri apertione, mirabili corporum penetratione, ex vtero, veluti lumen per vitrum, effuſus. Sextum, Quòd gloria animæ in corpus non redundarit, ſicut gloria Diuinitatis in animam, ſed corpus manſerit paſſibile. Septimum, Quòd gaudium beatificum mœſtitiam animæ & dolorum acerbitates non excluſerit. Ecce decem ſtupenda miracula in hac mirabili vnione, quorum ſingula longam merentur conſiderationem.

CAPVT VI.

Vtrùm vnio hypoſtatica ponat aliquid creatum intrinſecum humanitati, nempe modum quemdam ex natura rei ab ipſa diſtinctum qui antè illi non inerat, ratione cuius dicatur vnita Verbo.

26 ANTEQVAM vlteriùs progrediamur, explicandum nobis parumper more Scholaſtico, vtrùm vnio hypoſtatica ponat aliquid noui quod ſit intrinſecum humanitati, ratione cuius ipſa dicatur vnita Verbo; an verò nihil tale ponat. Eſt enim hæc res magni momenti ad intelligentiam huius myſterij.

Sententia quorumdam.

Quidam nihil tale ponendum putant, ſed ſufficere voluntatem diuinam, quæ cùm ſit omnipotens, facit quod vult. Vnde hoc ipſo quo vult vt humanitas Verbo ſit vnita eo modo vt Verbum ſit homo, ſtatim humanitas immediatè illi vnitur, abſque vlla intrinſeca ſui mutatione, ita vt Verbum ſit verus homo, & homo verus Deus. Fauet huic ſententiæ Gregor. Ariminenſis in 1. d. 28. quæſt. 2. in Reſp. ad 17. & 18. Argumentum. & Didacus Aluarez in 3. part. diſput. 13. ad 7. art. quæſt. 2. vbi ex profeſſo refutat Suarem & Vaſquezium ponentes modum quemdam vnionis creatum, quo formaliter humanitas Verbo vniatur.

Non requiri vllum modum intrinſecum humanitati ex natura rei diſtinctum.

Probatur Primò hæc ſententia, Quia alioquin humanitas non immediatè & ſubſtantialiter vniretur Verbo; nam interueniret aliquid aliud creatum diſtinctum ab humanitate, nempe modus quidam humanitatis; quod videtur abſurdum. debet enim Verbum eſſe vnitum humanitati omnino immediatè & proximè, alioquin non eſſet vnio ſubſtantialis; ipſaque myſterij dignitas poſtulat vt nihil creatum intercedat.

Secundò, Quia modus habet minimam & debilissimam entitatem, estque quid imperfectissimum. ergo non potest habere eam vim vt faciat hominem esse Deum, & Deum hominem. Confirmatur: Si enim nulla qualitas (quæ multò est perfectior omnibus modis) potest nos efficere gratos Deo natura sua sine noua Dei acceptatione & peccati condonatione, multò minùs tenuis modus poterit hominem ita vnire Deo, vt ex vi illius vnionis homo sit Deus, & Deus homo: sic enim alicui rei creatæ connaturale esset facere hominem Deum.

Tertiò, Iste modus solùm inhæret humanitati, non Verbo; 27
ergo etiamsi possit vnire humanitatem Verbo, non tamen Verbum humanitati. Vel si Verbum sine vnione sibi inhærente potest vniri humanitati, cur non etiam humanitas sine tali vnione poterit vniri Verbo?

Quartò, Si daretur talis modus, esset valdè difformis: nam qua parte inhæreret corpori, esset corporalis; qua parte animæ, esset spiritualis. Deinde, cùm rebus modificatis debeat proportionari, valdè vilescet, nec respondebit dignitati Verbi.

Quintò, Humana natura non solùm debet vniri Verbo, sed Verbum debet illam terminare substantialiter & sustentare, & illa debet à Verbo dependere: sed vnio solùm vnum effectum formalem tribuit, nempe esse vnitum; non autem esse substantialiter terminatum, esse sustentatum, esse dependens. ergo non sufficit in hoc mysterio. Confirmatur: Quia vnio est extrinseca Verbo: atqui sustentare seu esse sustentans, est denominatio intrinseca Verbo; quia per suam intrinsecam subsistentiam sustentat seu facit subsistens, non minùs quàm subsistentia creata. ergo vnio non potest hunc effectum formalem Verbo tribuere. Confirmatur secundò: Quia vnio non est sustentatio & assumptio; ergo vnio non facit formaliter & secundùm se sustentans & assumens.

Sextò, Subsistentia creata immediatè sustentat naturam nullo modo medio: ergo etiam increata, quæ multo potentior ad sustentandum.

Septimò, Concilia & Patres docent vnionem factam *secundùm hypostasim* seu *secundùm subsistentiam*. Idem docet S. Thomas, cùm ait, *vnionem factam in persona Verbi*: ergo non est facta in aliquo modo vel re creata.

Octauò, Damascenus lib. 3. De fide cap. 6. dicit *Verbum esse vnitum*

vnitum carni medio mentis, ita vt mens inter Dei puritatem & carnis craſsitiem media intercedat: ergo non eſt opus alio medio, quo menti vel carni vniatur, alioquin erit progreſſus in infinitum.

Nonò, His addi poſſunt alia argumenta, quibus Gregorius & alij probant, non dari vllam relationem vel modum reſpectiuum diſtinctum ex parte rei ab entitate rei abſolutæ.

28 Iuxta hanc ſententiam fieri poteſt, vt iſte homo nũc ſit Verbum, nunc Pater, nunc Spiritus ſanctus ſucceſſiuè, ſine vlla mutatione intrinſeca humanitati per ſolam Dei voluntatem extrinſecam. Item, vt iſte homo deſinat eſſe Deus ſine vlla ſui mutatione.

Hæc ſententia mihi non probatur, & egregiè refutatur à doctiſſimis viris Franciſco Suarez & Gabriele Vaſquez in 3. parte; ab illo, diſp. 7. ab hoc, diſput. 18. Cùm enim hoc myſterium ſit admodum difficile, per hanc ſententiam redditur longè difficilius, & ita incomprehenſibile, vt nulla ſimilitudine declarari poſſit. Nullum enim poteſt dari exemplum in rebus creatis, vbi fiat aliqua noua vnio duorum realiter diſtinctorum (ita vt ex illis reſultet vnum compoſitum) abſque mutatione intrinſeca ſaltem alterius extremi. Hoc enim videtur inuoluere contradictionem, vt ſtatim oſtendetur. *Refutatur hæc ſentẽtia.*

29 Ac primùm hæc ſententia ex eo refutari poteſt, quòd nitatur duobus principiis quæ omnino falſa videntur: quorum alterum eſt, modos rerum non diſtingui ex parte rei à naturis vel rebus quas modificant, ſed ſola ratione & apprehenſione noſtra. Negant enim etiam minimam diſtinctionem realem (qualem Suarez inter modum & rem ſtatuit in Metaphyſ. diſp. 7.) ac proinde ſolùm relinquunt diſtinctionem rationis. Quam ſententiam, quod ad rem ipſam attinet, nullus Doctorum (exceptis fortè pauciſsimis) admittit, etſi modo loquendi interdum admittere videantur. quis enim dicat, figuram ſola ratione diſtingui à re figurata? & quando corpus ex ſphærico fit cubicum, non mutari realiter, ſed ſola conſideratione noſtra? quis motum localem ſola ratione diſtingui à corpore quod mouetur, & alterationem à termino? Neceſſariò itaque fatendum eſt, modos reales diſtingui aliquo modo realiter ab ipſis rebus, & aliquid rei ipſis addere, alioquin non eſſent veri modi, nec realiter afficerent, nec realem inducerent mutationem. Etſi enim non diſtinguantur diſtinctione reali completa, ſicut res quæ à ſe mutuò per diuinam potentiam poſſunt ſeparari, & ſeparatæ conſeruari: diſtinguuntur tamen diſtinctione reali incompleta; quia nec ſunt

Neceſſariò videri ponẽdum modum intrinſecum humanitati.

Primò, Refutantur duo principia quibus hæc ſententia nititur.

Modi diſtinguuntur à rebus realiter incompletè.

sunt omnino idem quod res modificata, nec omnino diuersum: nam ita cum ea cohærent, vt neque per diuinam potentiam separatim conseruari, neque cogitatione sine re modificata concipi possint. Quo fit vt non dicatur entitas distincta seu noua, sed modus entitatis: nisi hoc nomen *entitas* latè sumatur pro quouis reali, vt sæpè docet Suarez loco citato. Entitas enim ex vsu Doctorum Scholasticorum designat rem aliquam quæ per se concipi & consistere saltem per diuinam potentiam potest.

Alterum principium, diuinam voluntatem absque vlla externa operatione vel creaturæ mutatione posse facere, vt aliqua incipiant esse vnita, quæ anteà non erant vnita; & contrà, vt desinant esse vnita, quæ anteà erant vnita. Quod principium nõ puto apud aliquem Auctorem reperiri, aut aliquo exemplo posse declarari. Nec obstat illud quod affertur de omnipotentia Dei communicata creaturæ per solam Dei voluntatem, per quam ipsa creatura reddetur omnipotens absque vlla sui mutatione intrinseca: quia hæc communicatio & vnio omnipotentiæ cum creatura non est realis & physica, (qualis est vnio Verbi cum humana natura, de qua nos agimus;) sed solùm est moralis per extrinsecam assistentiam. vnde ad rem non facit. Fide enim certum est, vnionem naturæ humanæ cum Verbo non esse solùm moralem, qualis est illa vnio omnipotentiæ cum homine, sed realem & physicam. Deinde, si voluntas intrinseca Dei sufficit ad physicam & realem vnionem Verbi cum humana natura, nec opus est vllo nouo influxu externo; poterit totus mundus totaque rerum creatarum natura assumi hypostaticè à tribus personis diuinis, & rursum deseri ac separari absq; vlla sui mutatione, Deo solùm sic volente pro hoc tempore, & pro alio nolente. Item, omnis vnio formarum cum materia, & accidentium cum subiecto, & partium inter se in toto, poterit referri in diuinam voluntatem. Si enim diuina voluntas sufficit, vt duæ res diuersissimæ, quæ nullam inter se habent proportionem, vniantur physica vnione absque vlla ipsarum reali mutatione, multò magis sufficiens erit, vt duæ res quæ naturalem habent proportionem, physicè vniantur absque vlla sui mutatione: quæ omnia parum videntur consentanea veritati. Vnde cùm hæc principia, quibus hæc sententia nititur, aliena à veritate videantur, nec ipsa vera esse poterit.

Diuina voluntas non sufficit ad physicã duorum vnionẽ.

30

Refutatur exemplis.

Secundò refutari potest exemplis suprà allatis, & inprimis animæ rationalis & carnis, quorum vnio est maximè similis vnioni hypostaticæ, vt docet S. Thomas lib. 4. Contra Gentes cap. 41. & colligitur

31

colligitur ex Symbolo Athanasij. vt enim ex anima & carne fiat homo, non sufficit animam esse intimè præsentem carni, sicut Angelus potest eidem carni esse præsens; sed vlteriùs requiritur peculiaris vnio & cohæsio animæ cum corpore. quæ vnio est modus quidam se habendi ipsius animæ, quem vocamus informationem, qua ita cohæret cum carne, vt non possit se ab ea diuellere, quàm diu saluæ manent carnis dispositiones. Idem cernitur in omnibus formis tam substantialibus quàm accidentalibus, in quibus ex natura rei distinguitur entitas formæ ab illo modo actualis inexistentiæ seu vnionis.

Verùm, quia hoc totum aliqui ex iis qui illam sententiam tenẽt, negant, & affirmant etiam in anima rationali ceteriſq; formis substantialibus & accidẽtalibus non requiri aliquem modum ex parte rei distinctum ab ipsarum entitate, vt insint & vniantur materiæ vel subiecto; sed sufficere ipsarum entitatem & intimam præsentiam qua præsentes sint suo susceptiuo, idcircò hoc magis confirmandũ.

32 Confirmatur ergo Primò, Quia si intima præsentia formæ sufficit, nec requiritur vlterior vnio: ergo hoc ipso quo anima erit præsens intimè corpori, necessariò corpus erit viuum, & anima illud animabit, imò nec Deus poterit impedire quin sit viuum & existat homo: quia non potest impedire effectum formalem. atqui hoc absurdum est: aliud enim est animam esse præsentem corpori; aliud, informare corpus. potest enim esse intimè præsens corpori non satis dispositò (vt si cor planè sit frigidum) & tunc non informabit. Potest etiam subtrahi necessaria dispositio quando informat, (vt si subitò totus calor euanescat) & tunc subitò desinet informare, tamen Deus interim poterit eam conseruare in eadem præsentia. Item Angelus potest esse intimè præsens corpori, non tamen potest instar formæ vniri. Ergo hæc sunt diuersa, & vnio aliquid reale addit ipsi præsentiæ & entitati formæ. Secundò, Anima potest esse intimè præsens corpori prorsus frigido, & tunc naturaliter non poterit illud animare: diuina tamen virtute poterit illi vniri, & illud animare. Ponamus Deum illam animam sti corpori vnire, ita vt illud viuificetur ab anima: quo posito, vel tunc aliqua mutatio facta est in ipsa anima, vel nulla. Si nulla, quomodo opus fuit supernaturali virtute ad eam vniendam? quomodo potest iam viuificare, cùm anteà non posset? Si aliqua, ergo vnio dicit aliquid intrinsecum formæ distinctum à præsentia. præsentia enim animæ ad corpus nihil est nisi denominatio extrinseca à corpore existente

Vnionem formarum cum subiecto esse modum rerũ ex parte rei distinctum.

in eodem ſpatio; vnde ex nuda animæ præſentia non afficitur corpus, nec anima afficitur ex nuda præſentia corporis; ſed vlteriùs requiritur vt anima corpori vniatur ſubſtantiali quodam vinculo, ita vt anima paſſiones corporis ſentiat, & corpus ab illa vitam accipiat. Tertiò, Si anima exiſteret ante corpus, deinde vniretur corpori, maxima fieret in ipſa mutatio quoad modum operandi & patiendi ab obiectis & cauſis externis. ergo ille modus exiſtendi ponit aliquid intrinſecum in anima: niſi enim eſſet quid intrinſecum, non induceret tantam mutationem. Confirmatur: Quia per vnionem iſtam anima quodammodò corporatur, & corpus animatur: illa deprimitur ad infima, hoc eleuatur ad ſumma; tantaque eſt iſta connexio, vt anima non poſſit ſe diuellere, niſi ſolutis diſpoſitionibus corporis; nec ipſa ſine ſummo dolore & horrore poſſit ſeparari. Quæ omnia apertè indicant, iſtam vnionem eſſe modum quemdam ſubſtantialem intimum ipſi animæ. Quod enim alicui conuenit per ſolam denominationem extrinſecam, non poteſt inducere tantam mutationem, & ſtatum tam diuerſum, cum rem nullo modo in ſeipſa afficiat: ſicut quòd anima vel Angelus ſit præſens huic vel illi corpori, nullam formaliter inducit mutationem in anima vel Angelo. Denique quòd vnio inter materiam & formam ſit modus diſtinctus, probat fusè & eruditè Hurtado in ſua Phyſica diſp. 5.

Reſponſio aduerſariorũ, modum non diſtingui ex parte rei.

33 Reſpondent quidam, eſſe quidem aliquid reale poſitiuum in anima, non tamen eſſe quid diſtinctum ex parte rei ab ipſa eſſentia ſeu entitate animæ, ſed ſolùm diſtingui ratione. Itaque fatentur, in anima & in aliis formis tam accidentalibus quàm ſubſtantialibus, ipſam vnionem cum materia vel ſubiecto eſſe quidem verum modum poſitiuum ſe habendi, non tamen eſſe quid diſtinctum ex parte rei ab entitate formæ cuius modus dicitur, ſed ſola ratione diſtingui.

Refutatur.

Verùm hæc reſponſio ſeipſam euertit, & aſyſtata continet. Si enim vnio ex parte rei formas modificat, & certum modum exſiſtendi eis tribuit quem per ſuam nudam entitatem non habebant; quomodo fieri poteſt vt ſola ratione ab ipſa entitate formæ diſtinguatur? quod enim ſola ratione diſtinctum eſt, non poteſt realiter modificare & contrahere.

Quod non eſt vllo modo realiter diſtinctum, non poteſt realiter modificare.

Dices, Differentiæ modificant genus, & perſonalitates diuinam 34 eſſentiam, & tamen ibi nulla eſt diſtinctio ex parte rei.

Reſpondeo: Hæc ipſa inſtantia rem magis declarabit: differentiæ

tiæ enim quia non distinguuntur ex parte rei à genere, non modificant genus in re, sed solùm vt hæc omnia obiiciuntur nostris conceptibus: sicut enim compositio ex genere & differentiis non fit ex parte rei, ita nec vnio, nec modificatio generis per differentias. gradus enim animalis non potest in aliqua natura existente esse indifferens ad rationale & irrationale, vt accedente differentia rationalis, modificetur & contrahatur ad constituendum hominem. Tamen vt existit obiectiuè in mente, est indifferens, & ita potest modificari per differentias nostra consideratione. At anima rationalis, prout existit in rerum natura per se, indifferens est ad vnionem & separationem; seu a esse in corpore, & extra corpus: vnde ex parte rei potest modificari per ipsam vnionem. Quòd si vnio non esset aliquid distinctum ab entitate animæ, non esset modificatio realis, sed solùm per conceptionem mentis, sicut natura humana in Petro modificatur per rationem indiuiduam Petri. Similiter in diuinis nulla est modificatio ex parte rei; quia personalitates non distinguuntur ex parte rei à natura diuina. Vnde pari modo, si vnio ipsa animæ non esset quid distinctum in re ab ipsa entitate animæ, nulla ibi esset realis modificatio. Nec obstat, quòd esse per se in anima separata, non dicat aliquem modum positiuum animæ superadditum secundùm Scotum & quosdam alios: quia secundùm illos est modus priuatiuus, non positiuus. Inde tamen non sequitur, quin modus positiuus vnionis aliquid reale superaddat entitati animæ. Idem dicendum de inexistentia omnium formarum, tam accidentalium quàm substantialium; hæc enim dicit modum quemdam positiuum vnionis ipsarum formarum non sola ratione, sed ex parte rei distinctum ab ipsis formis, etiamsi fortè *esse per se* in illis non addat, nisi privationem illius vnionis.

Differentia non modificant genus realiter.

Nec personalitates diuinam essentiam.

Esse per se in anima separata, non sit modus positiuus.

Confirmantur hæc omnia: Quia inter distinctionem realem perfectam & distinctionem rationis datur media, nempe realis imperfecta, quam modalem possumus appellare; quo modo distinguuntur omnes formæ ab vnione qua vniuntur materiæ vel subiecto, vt suprà ostensum est. Sanè ita hæc vnio distinguitur ab anima, vt cùm vnitur corpori (si anteà erat separata) longè maiorem mutationem subeat, quàm cera dum nouam formam accipit, aut corpus globosum dum formatur in cubum. Ex quibus omnibus manifestum videtur, vnionem animæ & aliarum formarum cum corpore vel subiecto esse quemdam modum positiuum ipsis intrinsecum; & non sola ratione, sed ex parte rei distinctum ab ipsa-

Datur distinctio media inter realem & rationis.

rum formarum entitate. quibus positis, procedit argumentum ab exemplo animæ. Sicut enim vt existat homo, non sufficit animæ rationalis præsentia ad corpus, sed insuper requiritur peculiaris modus vnionis in anima ex parte rei ab essentia animæ distinctus: simili modo multoque potiore ratione cogitandum est, vt ex Verbo & humanitate fiat Christus, & vt Verbum diuinum sit homo, non satis esse vt sit intimè præsens humanæ naturæ (omni enim naturæ creatæ intimè præsens est;) sed vlteriùs requiritur in humana natura aliquid creatum, ratione cuius ipsa dicatur substantialiter vnita Verbo potiùs quàm Patri vel Spiritui sancto: & ratione cuius Verbum dicatur esse verus homo, non Pater vel Spiritus sanctus. quod sanè eò magis hîc interuenire debet, quò minor est proportio inter extrema quæ vniuntur, vt inter quæ sit infinita distantia. nisi enim sit aliquid in humanitate quod habeat peculiarem ordinem ad Verbum tamquam ad suppositum terminans & sustentans, non potest animo concipi, cur Verbum nunc potiùs sit homo quàm anteà: aut cur potiùs quàm Pater & Spiritus sanctus.

Quò minor est proportio inter extrema, eò magis requiritur modus vnionis distinctus

3. Refutatio.

Tertiò refutari potest hoc Argumento fortissimo: Verbum 36
nunc est verè & substantialiter homo, ante incarnationem non erat homo: ergo facta est aliqua intrinseca mutatio vel in Verbo, vel in humana natura: non enim potest fieri transitus realis de contradictorio in contradictorium, nisi fiat mutatio saltem in altero extremo. atqui illa mutatio non est facta in Verbo, quia prorsus est immutabile; ergo in humana natura. Quæ ratio magis erit perspicua, si ponamus humanitatem illam extitisse ante assumptionem, & ita fuisse assumptã à Verbo. Ita enim ratiocinabimur: Hæc humanitas nunc est vnita Verbo hypostaticè, & anteà non erat vnita: ergo facta est aliqua intrinseca mutatio non in Verbo, cùm sit immutabile: ergo in humanitate; ac proinde in illa est aliquid reale creatum quod anteà non erat, ratione cuius dicitur nunc vnita Verbo, cùm anteà non esset; & potiùs vnita Verbo quàm Patri vel Spiritui sancto.

Non potest fieri trãsitus in contradictorium absque vlla mutatione.

Responsio aduersariorum per varias instantias. Prima, Ex motu locali.

Ad hoc Argumentum conantur respondere allatis multis ex- 37
emplis in quibus aliqua incipiunt esse vnita quæ anteà non erant, absque vlla mutatione intrinseca. Primò, In motu locali, in quo, multorum sententia, non acquiritur aliquid intrinsecum, sed sola præsentia ad alium locum vel spatium: quæ præsentia nihil videtur esse aliud quàm denominatio extrinseca. Sicut ergo vt corpus incipiat esse in hoc loco in quo anteà non erat, eique coniungatur,

non

non opus est vt fiat in ipso aliqua intrinseca mutatio, aut vt accipiat aliquid intrinsecum, quod anteà non habebat; ita vt hæc humanitas incipiat esse vnita Verbo, non requiritur vlla mutatio intrinseca, aut aliquid intrinsecum illi quod antè non habebat.

Respondeo, Verum non esse quod assumitur. certum enim est, vt corpus incipiat esse in loco in quo anteà non erat, requiri aliquam realem mutationem intrinsecam per quam ad illum transferatur. Etsi enim obscurum sit, quid sit iste motus, certum tamen est, esse aliquid corpori intrinsecum ab illo modaliter distinctum. Vtrùm autem terminus intrinsecus qui acquiritur isto motu, & dicitur ipsum *vbi*, sit aliquid distinctum, non est ita perspicuum. Quidam putant esse solam denominationem extrinsecam à spatio: sicut enim esse præsens huic vel illi corpori, est denominatio extrinseca; (potest enim hæc præsentia in me incipere & desinere absque vlla in me mutatione, sola mutatione alterius:) ita etiam putant esse præsens ad hoc vel illud spatium, esse denominatio-
38 nem extrinsecam. Sed verius est, hanc denominationem esse intrinsecam à modo positiuo rei intrinseco. Primò, Quia motus localis, cuius terminus est *esse hic* vel *ibi*, est aliquid rei intrinsecum & positiuum, ad sui productionem requirens vim motiuam in producente. quis enim dicat, motum Solis, Lunæ, astrorum non esse quidquam reale intrinsecum istis corporibus? si motus est aliquid intrinsecum, cur non etiam *esse hic*, *esse ibi*, quod propriè est terminus intrinsecus istius motus, & per illum producitur?

Refutatur.

Quidam putant ipsum vbi, seu esse hic vel ibi esse solùm denominationē extrinsecam.

Ipsum vbi est quid intrinsecū rei.

Dices: Terminus motus localis est, esse coniunctum vel præsens huic vel isti loco: atqui hoc nihil ponit in re nisi denominationem extrinsecam; sicut esse in his ædibus, in hoc cubiculo, est denominatio extrinseca.

Respondeo: Etiamsi præsentia in loco reali, vel ad aliquod corpus, sit denominatio extrinseca; non tamen idcircò præsentia ad spatium ipsum est denominatio extrinseca: cuius euidens signum est, quòd illa possit mutari, re manente in eodem spatio, nempe si domus destruatur vel auferatur. hæc verò nullo modo possit mutari per mutationem alicuius rei extrinsecæ, sed solùm per mutationem ipsius subiecti. ergo præsentia in hoc spatio erat aliquid intrinsecum rei. Si enim esset denominatio extrinseca, tolli posset sine vlla rei mutatione, per mutationem eius à quo denominationem accipit; sicut in omnibus aliis denominationibus extrinsecis cernitur: vt cùm aliquid dicitur videri, intelligi, amari, esse dextrũ,

siniſtrum, antè, retrò. Omitto alias rationes quas vide apud Suarem tom. 2. Metaphyſ. diſp. 51. num. 14. & ſequentibus, & Petrum Hurtado, qui nouiſſimè ſcripſit, in Phyſica, diſput. 14. & in Metaphyſ. diſput. 2. ſect. 5. & 6. Idem docet Vaſquez 1. p. diſput. 188. n. 28. & Molina 1. p. q. 52. a. 1. diſput. vnica, membro 5. denique Conimbricenſes, Fonſeca, & Toletus, qui omnes hanc ſententiam tamquam certam tradere videntur.

Obiectio quorundam. Dices, Incredibile videri, rem quoties loco mutatur, ſubire tot nouas entitates, eaſq; oriri & occidere. Confirmatur: Quia in quouis motu acquireret infinitos modos, & infinitos amitteret. Deinde, *eſſe nunc* vel *tunc*, *eſſe in hoc* vel *illo tempore*, nihil ponit intrinſecum in re; ergo neque *eſſe in hoc* vel *illo loco*. Denique, ſi *eſſe hîc* eſt modus intrinſecus, eget influxu diuino conſeruante. tollat Deus illum influxum, res adhuc manebit hîc: alioquin eſſet nuſquam. ergo ſine illo modo poteſt eſſe hîc.

Reſpondetur. Ad Primum reſpondeo: Non eſſe incredibile, rem dum mutatur ſubire tot nouos ſitus, quia non ſunt propriè entitates diuerſæ, ſed diuerſi modi eiuſdem rei quæ continuè ſitum mutat. Longè magis mirum eſt, ab obiectis innumeras ſubitò diffundi ſpecies ad multa paſſuum millia, quæ millies quotidie intereunt, & millies renaſcuntur, vt experientia conſtat: cùm tamen non ſint tenues modi, ſed veræ qualitates, quas Deus ſeorſim conſeruare poſſet. Ad Confirmationem: Id quod mouetur, non magis acquirit infinitos modos, quàm tranſit infinitas partes continui. Vnde ſicut non eſt abſurdum, ſed neceſſarium vt tranſeat infinitas partes proportionales ſpatij continui; ita etiam non eſt abſurdum, ſed neceſſarium vt acquirat infinitos modos inſtar partium proportionalium ſe habentes; & ſimili ratione infinitos amittat. Idem vſu venit in omni mutatione ſucceſſiua, etiam qualitatum.

Ad Secundum, neganda conſequentia: Quia res poteſt ſubire varia tempora & illis coëxiſtere ſine vlla ſui mutatione, ipſum enim tempus cùm concipiatur vt ſucceſſiuum, accedit & recedit re immota permanente. non tamen poteſt ſubire varia ſpatia, aut illis coëxiſtere, ſine ſui mutatione, quia cùm ſpatium ſit immobile, non poteſt accedere & recedere re non mota.

Ad Vltimum: Sicut iſte modus eſt quid neceſſariò reſultans ex re, hoc ipſo quo res eſt indiſtans ab hoc ſpatio: ita influxus quo conſeruatur iſte modus, neceſſariò reſultat ex influxu quo conſeruatur res in illa indiſtantia. vnde re manente in illa indiſtantia, tolli non

non potest influxus ille : sicut etiam influxus ille quo conseruatur figura rei, tolli non potest mera suspensione re aliter non mutata: quia nihil est aliud quàm necessaria resultantia influxus conseruatiui rei sic limitatæ. Hæc breuiter contra illam denominationem extrinsecam, qua putant aliqui infringi vim rationis suprà allatæ.

39 Verùm, etsi concederemus totum quod prætenditur, nempe vt aliquid incipiat esse præsens huic spatio, non requiri in illo aliquid noui intrinseci, sed sufficere denominationem extrinsecam à spatio, non tamen id posset iuuare illam sententiam; quia nulla extrinseca denominatio sufficit vt ex duobus fiat vnum substantialiter, seu vt humanitas vniatur Verbo hypostaticè, ita vt Verbum verè sit homo, & homo Verbum. substantialis enim vnio postulat aliquid intrinsecum saltem in altero extremorum quo vnum respiciat alterum, & ordinetur ad illud, vt in exemplo animæ & carnis ostensum est. Si enim vnio accidentalis, qualem ponebant Nestoriani, requirit aliquid intrinsecum in humanitate; multò magis substantialis & hypostatica, quæ intima & firmissima est cohæsio & conglutinatio.

40 Neque dici potest, sufficere voluntatem diuinam ad illam cohæsionem: quia voluntas diuina non potest producere vel supplere effectus formales rerum sine ipsis formis, vel sine reali modo inexistentiæ illarum; id enim implicat contradictionem: verbi gratia, non potest facere vt homo sit sine anima rationali, vel sine inexistentia animæ in carne, & informatione carnis, quæ inexistentia seu informatio est quid distinctum ab anmia, tamquam modus quidam se habendi ipsius animæ: vnde & potest abesse, vt patet cùm anima separatur à corpore: tunc enim iste modus extinguitur & perit. sicut figura in multis corporibus perit, salua manente corporis substantia; quia solùm est modus quidam ipsius corporis. Pari modo fieri nequit, vt Verbum sit verus homo sine reali & peculiari modo inexistendi, quo natura humana illi peculiariter inexistat & cohæreat. Si esse hominem esset quid morale, sicut esse Regem, esse Pontificem; vel si humana aut diuina natura posset haberi per moralem æstimationem & quamdam imputationem sicut haberi potest iustitia, sanctitas, filiatio Dei, & similia: sic sufficeret voluntas diuina, vt Deus possit dici homo, & homo Deus; etiamsi nulla facta esset mutatio intrinseca, nec vllus esset nouus modus aut respectus realis in humanitate ad Verbum: diceretur enim Deus homo affectu & secun-

Voluntas diuina non potest supplere effectus formales rerum.

Voluntas diuina solùm habet effectum moralem.

cundùm æstimationem moralem, nimirum quia ita hominem amat & æstimat, vt si fieri posset, cuperet esse homo; & hic homo diceretur Deus, quia ex tali amore & æstimatione accipit dignitatem quamdam diuinam, qua honoretur quasi Deus quidam ac Filius Dei, vel quia gerit vices Dei in seipso inhabitantis & per ipsum operantis. Verùm non sic Deus factus est homo, aut homo Deus, sed propriè & physicè: ac proinde non sufficiebat voluntas diuina, sed necessarius erat nouus modus physicus & realis in humanitate, qui peculiarem haberet ordinem ad Verbum, & quo formaliter ipsi Verbo vniretur.

Secunda instantia, Ex lumine.

Secundò affertur instantia, In lumine & candela: fieri enim 41
potest vt lumen quod anteà non pendebat ab hac candela, sed ab alia, vel à solo Deo, incipiat pendere ab hac candela, absque vlla vel luminis istius vel candelæ mutatione, sola Dei voluntate ita volente. Idem dici potest de lumine solis.

Dependentia ex causa efficiente, est modus rei: vnde noua dependentia est nouus modus.

Respondeo, & hoc exemplum verum non esse: quia quando hoc lumen incipiet pendere à candela, à qua antè non pendebat, accipiet realem mutationem subeundo nouum modum dependentiæ ab hac causa, vt fusè & erudite docet Suarez in Metaphysica disput. 7. num. 17. & disput. 21. & Petrus Hurtado in Metaphys. disp. 2. sect. 6. Vnde verum non est, solam Dei voluntatem extrinsecam sufficere vt incipiat ab hac candela pendere.

Tertia, Ex intellectione.

Tertia instantia, In intellectione posita, à solo Deo in intellectu passiuè tantùm se habente; per hanc enim intellectionem intellectus non intelliget. Si tamen Deus velit, intellectus incipiet intelligere absque vlla sui vel intellectionis mutatione, sola Dei voluntate illa sic vniente.

Respondeo, etiam hoc exemplum verum non esse: quia intellectus non potest incipere intelligere per illam intellectionem nisi in illam vitaliter influat; & illa ab intellectu vitaliter dependere incipiat. vnde necesse est illam mutari, & consequenter etiam intellectum, quem illa afficit. longè enim aliter afficit intellectum, dum inest ei per modum vitæ, eumque reddit sapientem, beatum, &c. quam dum inerat per modum rei mortuæ, & nihil tale ei tribuebat.

Quarta, Ex Dei volitione.

Quarta instantia, In Deo. Si enim ab æterno voluisset creare tres mundos, haberet quamdam volitionem quam modò non habet, idque absque omni sui mutatione.

Respondeo, hoc exemplum ad rem non facere. Primò, quia volitio

volitio libera in Deo non distinguitur nisi ratione ab eius natura, ac proinde non potest inducere mutationem realem & physicam, neque efficere vt Deus nunc dicatur aliter se habere quàm tunc haberet. Secundò, Quia mutatio locum non habet nisi vbi datur prius & posterius, ita vt dici posset, res nunc aliter se habet quàm priùs habuit. atqui in æternitate hoc dici non potest: nullum enim datur instans temporis, in quo dici possit, Deum hanc volitionem quam modò habet non habuisse.

Quinta instantia, In Verbo diuino, quod ex non-sustentante fit sustentans humanam naturam absque vlla sui mutatione. *Quinta, Ex Verbo diuino sustentante.*

Respondeo, Non est necesse ipsum Verbum mutari, sed sufficit vt sit mutatio in altero extremo, nempe in humana natura. Simili modo cùm Deus ex non-creante fit creans, ex non-iustificante iustificans, non est mutatio in Deo, sed in creatura.

Ex his patet, tertiam rationem esse omnino solidam, qua etiam Occam, qui interdum videtur tollere modos, conuictus fuit in 1. dist. 3. q. 4. Eadem tamquam sufficiente vtitur Vasquez in 3. par. tom. 1. disp. 18. & Suarez ibidem disp. 8.

42 Quartò refutatur hoc modo: Per vnionem hypostaticam Diuinitas non est imminuta, vel depressa, vel vllo modo mutata; sed humanitas est exaltata & eleuata, vt passim tradunt sancti Patres, Leo Serm. 1. 3. & 4. De Natiuitate; Damascenus lib. 2. De fide c. 17. & alij. Atqui hæc exaltatio fieri non potuit, nisi aliquid reale ponatur in ipsa humanitate, quod antè illi non inerat. Ergo, &c. Minor probatur: Quia nisi aliquid ponatur reale intrinsecum humanitati, per quod ipsa dicatur eleuari, non erit physica & realis exaltatio, sed solùm moralis, vel per denominationem extrinsecam: sicut cùm per collationem dignitatis Regiæ, vel per connubium cum Rege, dicitur aliquis exaltari; etiamsi nulla in eo mutatio facta sit, nec quidquam reale ipsi accesserit. Talis autem exaltatio non sufficit in hoc mysterio. Primò, Quia sic humanitas non aliter esset eleuata, quã Diuinitas depressa vel exinanita; nec maior esset mutatio facta per hoc mysterium in humanitate quam in Diuinitate; quod sanctis Patribus & communi Fidelium sensui non est consentaneum. Sicut enim Diuinitati nihil accessit intrinsecum, sed solùm dicitur exinanita per denominationem extrinsecam, vel moralem æstimationem: ita etiam humanitati nihil accessisset intrinsecum, & per solam extrinsecam denominationem diceretur exaltata, & vnita Verbo. *Ex eleuatione naturæ humanæ, quæ sine aliquo intrinseco fieri nequit.* *Non potest natura eleuari per aliquid omnino ipsi intrinsecum.*

Inter naturam humanam & diuinam est infinita distantia.

Secundò, Quia cùm inter humanitatem & Diuinitatem sit infinita distantia, non loci, sed gradus naturæ; necessariò debuit humanitas eleuari per aliquod donum intrinsecum, ita vt quasi proximè attingeret Verbum, eique immediatè posset vniri. Sicut enim quod loco distat, non potest vniri rei superiori, (vt si lapis vniendus esset soli) nisi re ipsa per motum sibi intrinsecum eleuetur vt attingat: ita quod distat naturæ gradu, nec habet sufficientem proportionem vt alteri vniatur, debet eleuari per intrinsecas dispositiones quibus alterum attingat, vt patet in materia, quæ vt animæ vniatur, debet variis dispositionibus eleuari. Multò magis id habebit locum in præsenti mysterio, cùm inter extrema vnienda sit distantia infinita. Vnde opus erit singulariſſimo quodam dono, quo natura humana infinitè supra omnes creatas naturas eleuetur, & Verbo vniatur. Potest autem hæc eleuatio dupliciter concipi. Primò, Vt natura humana per aliquod donum intrinsecum eleuetur ad proportionem cum Verbo, quæ sit distincta ab ipsa formali vnione, & prior naturâ; sicut corpus iam perfectè formatum priùs naturâ est proportionatum animæ quàm illi vniatur: posita enim hac proportione & intima animæ præsentia, vnio naturaliter resultat. Secundò, Vt natura immediatè eleuetur ad ipsam vnionem, per actionem Dei supernaturalem productiuam illius modi in quo consistit ipsa formalis vnio; ita vt non sit opus alio præuio quo fiat proportionata Verbo. Hoc secundo modo puto hanc eleuationem factam, nec opus fuisse aliqua proportione præuia, qua posita illa vnio quasi naturaliter resultet, vel sit debita: imò talem proportionem non puto possibilem. Quòd si nulla proportio præuia possibilis est, vel ex hoc capite maximè opus fuit aliquo modo intrinseco quo natura formaliter eleuaretur, vt fieret simul proportionata Verbo & vnita. quò enim maior est distantia inter extrema, & minor proportio, eò maiori opus est potentia & influxu vt fiat vnio: qui influxus necessariò debet esse intrinsecus, saltem alteri extremorum.

Hæc eleuatio dupliciter cõcipi potest.

43

[a] Damasc. l. 2 cap. 7. citans Gregor. Nazianz.

Non potest deificari, vngi, sanctificari, si nihil accipiat intrinsecum.

[b] Psal. 44. Isaiæ 61. Danielis 9. Act. 4. & 10. ad Hebr. 1. Ioan. 10. Rom. 1.

Denique, natura humana ita eleuatur vt *deificetur*, vt Patres [a] docet. atqui *deificari* non dicit solùm denominationem extrinsecam, sed aliquid intrinsecum, sicut animari, viuificari, informari. Simili modo natura humana, & ille homo (quatenus per hoc denotatur indiuiduum humanum præscindens ab hac & illa personalitate) dicitur vnctus Diuinitate, vel Spiritu sancto, & sanctificatus à Patre in Scripturis [b], quæ sine aliqua vnione intrinseca non bene possunt concipi.

Quintò,

44 Quintò refutari potest illa sententia: Si diuina voluntas sufficit ad substantialem vnionem naturæ humanæ cum Verbo; ergo non opus est vlla operatione sanctissimæ Trinitatis ad extrà: quod est contra communem doctrinam sanctorum Patrum, qui docent vnionem hypostaticam, quia est quid extrinsecum Deo, à tota Trinitate perfectam. Vel si opus est aliqua operatione externa, non magis sufficit ad hanc vnionem diuina voluntas, quàm ad alia opera externa, vt ad creandum mundum, iustificandos homines, &c. vbi voluntas nostro modo concipiendi applicat omnipotentiam ad operandum exteriùs. Si ita est, cur voluntas diuina dicetur potiùs sufficere ad hanc vnionem, quàm ad creationem? Vnde si dicant requiri operationem externam omnipotentiæ, non constanter loquuntur, & frustrà totum referunt in voluntatem diuinam. Confirmatur: Quia ideò referunt hanc vnionem in voluntatem diuinam, ne cogantur admittere aliquam Dei operationem externam distinctam à creatione humanitatis Christi qua fiat ista vnio: ergo non requirunt illam eo modo quo requiritur ad creationem, nempe tamquam causam applicantem omnipotentiam ad operandum exteriùs; sed tamquam causam quasi formalem istius vnionis, & tamquam formale vinculum naturæ humanæ cum Verbo. Hinc dicunt, voluntatem diuinam, cùm sit intimè præsens vtrique extremo, multò meliùs, immediatiùs & fortiùs posse illa vnire, & humanitatem ad Verbum determinare, quàm possit vllus modus creatus. Quo posito, manifestè sequitur, hanc vnionem non esse realem & physicam, (hæc enim fieri debet operatione externa physica & reali, cùm terminus externus realis debeat fieri operatione externa reali;) sed moralem tantùm: hæc enim sola potest fieri per nudam volitionem; quia volitio Dei est quasi ratio formalis illius vnionis; vel est ratio effectiua moraliter, si eam morali modo consideremus. Sicut si Deus velit me esse Regem, eo ipso ero Rex: si rursus velit vt non sim Rex, non ero; absque vlla mei mutatione reali. Si velit Petrum esse meum seruum, statim erit meus seruus: si rursus velit non esse, non erit, &c. In quibus omnibus voluntas diuina est quasi vinculum duorum (ita vt non sit opus alio reali vinculo) ex quo resultat quædam relatio vnionis moralis in vtroq; extremo. Verùm nulla ratione dici potest, vnionem hypostaticam eo modo factam: quia sic non esset vnio realis & physica, sed moralis; nempe per affectum & amorem Dei: nec Verbum esset verè & propriè homo, sed solùm vnione affectus, qui fuit error Nestorij.

Quinta refutatio, Non esset opus omnipotentia.

Sola moralis vnio potest fieri per voluntatem.

Si dicant, voluntatem per se non sufficere ad hanc vnionem, sed 45
vlteriùs requiri operationem ad extrà, qua fiat hæc vnio; iam non consequenter loquuntur, vt ostensum est. Deinde, frustrà ponetur talis operatio ad extrà, cùm nullus possit eius assignari terminus intrinsecus per eam productus: non enim per illam producitur Verbum; neque etiam ipsa natura humana, vt iam suppono; hæc enim poterat esse ante vnionem. neque etiam terminus illius productionis est modus aliquis intrinsecus ipsius humanitatis; quia talis non datur in hac sententia. Quid ergo per illam producitur? seu quis est terminus intrinsecus illius productionis?

Respondent, terminum productionis illius esse hoc compositum ex Verbo & humanitate. Sed contrà, istud compositum non potest secundùm se totum esse terminus immediatus illius productionis: quia non secundùm extrema quæ vniuntur, cùm hæc iam supponantur existentia; sed solùm secundùm vnionem præuiam, ex qua posteriùs ratione resultat hoc compositum. Sed hæc vnio non ponit aliquid reale creatum in extremis vnitis, vt vult hæc sententia; ergo ad eam non opus est vlla reali productione ad extrà, sed sufficiet moralis quædam mutatio, facta solâ voluntate diuina (sicut vt homo dicatur omnipotens, Deo volente suam omnipotentiam illi applicare, & ponere in eius potestate; non opus est vlla reali productione vel mutatione) quod nullo modo est dicendum, vt iam ostensum est.

Ex quibus omnibus concludo, necessarium esse ponere aliquid creatum in humanitate Christi, ad cuius productionem requiratur omnipotentia; quo posito resultet vnum compositum ex Verbo & humanitate, nempe vnus Christus, Verbum, homo, & vt Græci loquuntur, Θεάνθρωπον, Ὁ μόλογον.

Sequitur nunc vt respondeamus ad Argumenta sententiæ aduersæ, posita num. 26. & 27. 46

Ad primum Argumentum. Ad Primum respondeo, negando sequi hanc vnionem non fore immediatam: non enim ille modus creatus ita intercedit, vt ipse immediatè vnitur Verbo, & illo mediante humanitas, sicut quando duo connectuntur glutino. Falsa est hæc imaginatio, qua aduersa sententia multùm niti videtur: ille enim modus non vnitur Verbo vt res quæ vnitur, sed vt ratio formalis qua ipsa humanitas vnitur Verbo. Itaque iste modus vnitur vt id quo, non vt id quod; & sic non intercedit nec impedit immediatam vnionem Verbi & humanitatis, cùm sit ipsa immediata vnio amborum.

Ex

Ex quibus patet, humanam naturam prorsus immediatè vniri Verbo, ita vt inter essentiam humanitatis & personam Verbi non intercedat aliquid vt id quod, seu vt res vnita; sed solùm vt id quo, seu vt ratio immediatæ vnionis cum Verbo. Hinc non opus est alio modo, quo iste modus vniatur Verbo: quia sicut per ipsum formaliter vnitur humanitas Verbo, ita etiam ipsemet eidem Verbo vnitur per seipsum. Simile cernitur in actuali inexistentia seu vnione omnium formarum tam accidentalium quàm substantialium. quæ vnio est modus quidam afficiens immediatè illas formas. hic enim modus non inest subiecto formæ, neque ei vnitur vt id quod, sed id quo: quia non habet se vt res vnita, sed vt ratio vnionis, seu vt formalis vnio.

47 Ad Secundum respondeo, modum quidem esse per se quid imperfectissimum in ratione entis, cùm nulla ratione possit per se conseruari, sed totum esse ipsius sit actu aliud modificare: est tamen quid perfectissimum in ratione vnionis & connexionis qua duo diuersa inter se connectantur: non enim est possibilis perfectior vnio animæ & carnis ad constituendum vnum hominem, quàm sit modus ille quo anima reipsa informat corpus. neque per aliquid aliud perfectiùs anima vniri potest carni, quàm per illum modum. Idem dico de reliquis formis, earumque connexione naturali cum materia vel subiecto. Pari ratione modus ille vnionis hypostaticæ est quidem per se quid imperfectum in ratione entis, quatenus non potest per se existere: est tamen perfectissimus & sublimissimus in ratione vnionis; quia per se formaliter humanam naturam ita eleuat & vnit Verbo, vt ex illis duobus constituatur vna persona. Itaque hic modus, etsi per se sit paruæ entitatis, maximi tamen est momenti, quia facit vt homo sit Deus, & Deus sit homo. Absque hac imperfecta entitate, quam vocamus modum vnionis, nemo potest esse sanctus, nemo beatus, nemo videre Deum. Nihil enim iuuant formæ vel qualitates quantumuis sint excellentes, nisi inexistant & vniantur. Nullum potest esse compositum substantiale, vel accidentale, immò nullum corpus sine hoc modo. Etsi enim modus ille per se sit imperfectus, tamen res quam modificat vel connectit, est magnæ perfectionis. Itaque est conditio sine qua nulla res potest accipere vel habere aliquam perfectionem à sua entitate distinctam.

Modus vnionis est quid imperfectissimum per se formaliter in ratione entis, non in ratione vnionis.

Vnio formarum est maximi momenti in rebus.

48 Nec obstat quòd quidam Doctores dicant, vnionem hypostaticam consistere in quadam relatione humanitatis ad Verbum diuinum:

Quo sensu quidam dicant hanc vnionem esse relationem.

uinum : quia omnis inexistentia in alio, & omnis vnio, est relatio quædam essentialiter respiciens aliud tamquam suum terminum; siue illud sit subiectum, sicut modus inexistentiæ in accidentibus & formis substantialibus respicit subiectum, quod ab accidente vel forma substantiali informatur : siue sit suppositum, vt in mysterio Incarnationis. hæc tamen relatio non est quiddam resultans ex termino & fundamento, sed est modus relatiuus essentialiter ordinans ad aliud. Esse enim in alio, dicit ordinem ad illud : esse verò per se, nullum dicit ordinem. vnde Scotus vocat eam relationem extrinsecus aduenientem; alij relationem transcendentalem.

Ad Confirmationem, neganda consequentia : ideò enim nulla qualitas per se & præcisè vi suæ entitatis potest delere peccatum, quia malitia peccati est quid morale, quod non tollitur per se nisi modo morali, nempe condonatione libera Dei : nulla autem qualitas creata, cùm se ipsam tantùm coniungat subiecto, & ipsa sit bonum finitum, necessitare potest Deum vi sua ad peccatum condonandum. Modus verò vnionis hypostaticæ non tantùm se ipsum vnit humanitati, sed etiam ipsam humanitatem vnit Verbo diuino, & econuersò vnit ipsum Verbum humanitati : & consequenter facit vi sua vt homo sit Deus, & Deus homo, ac proinde necessariò excludit peccatum. Vnde patet, isti modo hoc esse connaturale, & non habere id ex aliquo fauore vel acceptatione Dei. alioquin iste homo non esset verè & physicè Deus, sed solùm morali æstimatione & solo Dei fauore, vt suprà ostensum. Quare si hoc argumentum aliquid efficeret, probaret Deum non posse esse hominem per aliquam vnionem creatam, sed per solam denominationem extrinsecam fauoris diuini. Sicut quia nulla est qualitas creata, quæ præcisè vi sua deleat peccatum, & faciat filios regni; rectè dicimus, hos duos effectus fieri potissimùm fauore diuino : neque vllam qualitatem id posse facere, nisi quatenus diuinus fauor ei est connexus. Vnde remissio peccati & adoptio, magis est quid morale quàm physicum. vbicumque enim ob defectum causæ formalis creatæ interuenit voluntas diuina vt illum defectum suppleat, ibi non solùm est aliquis effectus physicus, sed etiam moralis. 49

Ad Tertium: Etiamsi iste modus realiter & intrinsecè solùm afficiat humanitatem, non Verbum; tamen non solam humanitatem vnit Verbo, sed etiam Verbum humanitati. Sicut enim cùm magnes 50

gnes ad se trahit ferrum, non solùm ferrum iungitur & vnitur quodammodò magneti, sed etiam magnes ferro. ita cùm Verbum diuinum sua omnipotentia trahit ad se naturam humanam, loco quidem præsentem, sed naturæ gradu infinitè distantem, ita illam eleuat & ad se trahit, vt & ipsa Verbo, & Verbum illi immediatè & arctissimè vniatur. Vnde non est necesse vt fiat mutatio in vtroque extremo, aut vt modus vnionis sit in vtroque. Idem docet Vasquez in 3. part. disputat. 19. & multi alij, de vnione animæ cum corpore, & omnis formæ cum materia vel subiecto; nempe modum vnionis non requiri nisi in altero extremo, nempe in forma. Cùm enim de ratione istius modi sit, vt formam vniat cum subiecto; posito illo modo, necessariò forma manet vnita, etiamsi in subiecto præter necessarias dispositiones nullus nouus modus concipiatur. Quæ sententia vtrùm in formis naturalibus vera sit, cùm mutua videatur debere esse amicitia & complexio inter formam & materiam, &c. non est huius loci disputare. videri potest noster Hurtado in Physica, disp. 5. sect. 7. Hinc patet, non sequi: Verbum sine modo sibi intrinseco potest vniri humanitati, ergo etiam humanitas Verbo; quia necesse est illum modum esse in altero saltem extremo. Vnde cùm Verbum illius non sit capax, necesse est vt sit in humanitate.

51 Ad Quartum: Etiamsi hic modus, qua parte afficit corpus, aliquo modo identificetur corpori tamquam eius modus, & sic aliquo modo possit dici corporalis, nempe materialiter; tamen per se & formaliter est summè spiritalis & summè proportionatus summo Spiritui Verbo diuino. Vnde ita subtilis & sublimis est, vt à nullo intellectu creato vi naturali videre possit. Neque id incredibile videri debet: quia præsentia & inexistentia seu vnio animæ in corpore, etiamsi sit modus rei indiuisibilis, & omnino spiritalis, tamen formaliter, vt multi volunt, est diuisibilis, quasi sit corporalis: vnio enim animæ cum brachio vel capite, non est vnio cum corde. Si Deus corpori Christi in Eucharistiæ mysterio potest dare modum spirituum, quo etiam ipsum corpus fiat indiuisibile instar spiritus: cur eidem corpori in Incarnatione non poterit dare modum spiritalem, etsi materialiter diuisibilem, quo vniatur Verbo? Denique vilitas carnis & improportio non obstat quin possit immediatè vniri Verbo; cur vilitas modi illius obstabit, quò minùs possit esse formalis vnio inter carnem & Verbum? perfectius enim est, vniri aliqua vnione intrinseca, quàm sola denomina-

Quomodo hic modus in corpore sit spiritalis.

tione

tione extrinseca, sicut quod est continuum, perfectiùs vnitur quàm quod est contiguum.

Illa vnio sufficit vt natura dicatur assumpta, terminata, sustẽtata à Verbo.

Ad Quintum: Negandum est, vnionem istam non tribuere nu- §2
manæ naturæ istos omnes effectus: hoc ipso enim quo tribuit ei esse vnitum Verbo, tribuit consequenter esse terminatum, esse sustentatum, esse dependens à Verbo tamquam sua hypostasi. Non enim hæc vnio est qualiscumque, sed est vnio naturæ ad hypostasim. hoc ipso autem quo natura vnita est Verbo tamquam hypostasi, eo ipso Verbum sustentat illam naturam, & terminat eius existentiam, & ipsa naturæ existentia dependet à Verbo: idque adeò necessariò ex vi illius vnionis sequitur, vt per nullam potentiam possit impediri.

Verbum dicitur sustentãs naturam humanam denominatione extrinseca.

Ad Confirmationem, negandum subsumptum: non enim denominatione intrinseca dicitur Verbum sustentare naturam humanam, sed extrinseca; cùm in tempore ex sola creaturæ mutatione id ei adueniat, & nihil intrinsecum Deo in tempore aduenire possit. Sed inquiunt: Verbum per suam intrinsecam subsistentiam sustentat, & facit subsistens non minùs quàm subsistentia creata; ergo est aliquid intrinsecum Verbo, ac proinde vnio non potest hunc effectum formalem tribuere. Respondeo: Etiam Deus per suam potentiam intrinsecã creat, & tamen creatio nihil dicit intrinsecum. Quod autem infertur de vnione; dico, solam vnionem naturæ ad Verbum tamquam ad suppositum sufficere vt Verbũ dicatur sustentare naturam humanam: vnde etiamsi vnio non se habeat in hac denominatione vt ratio formalis; habet se tamen vt conditio intrinseca requisita: sicut vt subiectum dicatur sustentare accidens, requiritur intrinsecè vnio seu inexistentia accidentis in subiecto, eaque sola sufficit. Ad secundam Confirmationem, concedo vnionem formaliter non esse sustentationem; est tamen necessaria conditio, & sufficit vt Verbum dicatur sustentare & terminare. Ipsa enim sustentatio se habet per modum actus secundi, & influxus personæ in naturam non tamquam causæ efficientis; sed nouo & ineffabili modo, instar subiecti cuiusdam absque imperfectione, vel potiùs instar suppositi: designat enim ipsam causalitatem Verbi, quam habet respectu naturæ, quæ non conuenit illi vllo modo nisi supposita vnione. Alio modo se habet assumptio: nam vnio si consideretur vt est in fieri, & procedit à Verbo tamquam causa efficiente, & ad ipsum terminatur, sic habet rationem assumptionis: assumere enim, est ad se sumere, & sibi vnire. Vnde tria includit, nempe, vnionem vt est in fieri, seu productionem illius modi, ordinem

nem ad Verbum tamquam ad causam efficientem, & ordinem ad idem Verbum tamquã ad terminum. Eadem vnio prout procedit à tota sanctissima Trinitate, non habet rationem assumptionis, sed vnitionis tantùm & incarnationis actiuæ. hinc constat, quomodo solus iste modus vnionis ad omnes illos effectus sufficiat.

53 Ad Sextum respondeo Primò, Antecedens ex parte non esse verum: nam subsistentia creata non sustentat propriè naturam, sed potiùs ab ea sustentatur tamquam modus eius natura posterior. Verùm propriè eius existentiam terminat, eamque reddit incommunicabilem, sicut superficies terminat corpora, & facit ne aliis continuari possint, quamdiu ipsa manet actu. Deinde neganda consequentia: ideò enim subsistentia creata vnitur naturæ se ipsa formaliter nullo alio modo interueniente, quia ipsa per se non est res perfectè distincta à natura, nec solida entitas, sed solùm modus quidam se habendi ipsius naturæ; subsistentia autem diuina est res omnino distincta à natura: duæ autem res distinctæ vniri non possunt, nisi interueniat modus vnionis saltem in altera, quo formaliter cohæreant, & mutuò adhærescant, vt multis probat Suarez in Metaphys. disp. 7. & Hurtado in Physica disp. 5. Sola enim præsentia vel indistantia non sufficit ad veram vnionem & compositionem. Vnde etiamsi Verbum habeat vim infinitam ad sustentandum, tamen sustentare per modum suppositi non potest, nisi natura per modum sibi intrinsecum ei vniatur.

Subsistentia creata non sustentat naturam, sed terminat, & reddit incommunicabilem.

54 Ad Septimum, Neganda consequentia: perinde enim est ac si sic argumentareris: Ramus pomi vnitus est pyro in radice, vel secundùm radicem; ergo non opus fuit vlla vnione præter radicem. Albedo & dulcedo vniuntur in subiecto; ergo præter subiectum non opus est aliqua vnione qua vniantur subiecto. Non enim vnio diuinæ naturæ & humanæ in hypostasi Verbi vllo modo excludit vnionem creatam naturæ humanæ cum Verbo, sed intrinsecè includit vel supponit. Nam cùm dicitur vnio facta in hypostasi Verbi, hypostasis non habet se per modum vnionis vel connexionis, vt argumentum prætendit; sed habet se per modum tertiæ entitatis in qua duæ illæ naturæ vniuntur: sicut pyrus & prunus in vna radice, & duæ formæ in vno subiecto. Vnde hypostasis Verbi non est vnio duorum, sed vnitas, quia duo in ipsa ita concurrunt, vt ipsa eadem manens sit Deus simul & homo. Longè alia ratione humanitas dicitur vnita Verbo per modum creatum, vel secundùm modum creatum: quia ille modus non se habet vt quid tertium

Vnio naturæ diuinæ & humanæ secundùm hypostasim includit vnionem creatam humanitatis cum Verbo.

tium in quod duo diuersa concurrunt vt ei identificentur, sicut se habet hypostasis Verbi ad naturam humanam & diuinam; sed vt formalis connexio hypostasis Verbi cum natura humana: vnde committitur aperta æquiuocatio in verbo *vniri in aliquo.*

Ad Octauum: Non video quo modo hoc testimonium Damasceni possit hîc accommodari, nisi verborum specie; quo modo potiùs probabitur carnem non vniri Verbo secundùm se & proximè, sed solùm ratione animæ rationalis seu mentis; quàm animam non vniri Verbo, mediante modo creato. Itaque Verbum dicitur vniri carni mediante mente, non quasi non sit opus modo aliquo creato, quo vel mens vel caro immediatè vniatur Verbo, vt argumentum intendit: sed quia caro non habebat per se congruentiam vt assumeretur à Verbo, sed solùm hanc habebat ratione animæ mente præditæ. Vide S. Thomam 3.p.q.6.a.1.

Alia est ratio modorũ, alia relationum Prædicamentaliũ.

Ad alia Argumenta quæ ex Gregorio adferri possent, respondeo 56 breuiter, Gregorium valdè confusè procedere, quasi eadem sit ratio modorum & relationum Prædicamentalium, quæ posito fundamento & termino resultare cogitãtur. Etsi enim tales relationes non sint aliquid distinctum in re à termino & fundamento vel ratione fundandi, vt similitudo, paternitas, fraternitas, &c. idque Argumenta Gregorij benè probent: nulla tamen ratione probant de veris modis rerum, qui inducunt veram mutationem, & fiunt per veram & realem productionem, sicut sunt omnes vniones formarum cum materiã vel subiecto, omnes vniones partium inter se, omnes dependentiæ effectuum à suis causis efficientibus vel conseruantibus, omnes figuræ rerum, omnes motus locales, & similia, de quibus optimè noster Suarez in sua Metaphysica disp.7. & 21. & Hurtado in Physica, disput.5. & in Metaphys. disput.2.

Ex his perspicuum videtur, in humana natura Christi constituendum quemdam modum supernaturalem creatum, distinctum aliquo modo ex parte rei à natura: quo posito, illa natura necessariò manet hypostaticè vnita Verbo, ita vt Verbum verè sit homo, & homo Verbum, ac Filius Dei: & quo sublato, necessariò tollitur illa vnio, & Verbum desinet esse homo. Ac proinde non esse veram sententiam, quæ statuit, ad vnionem hypostaticam non requiri aliquid creatum distinctum modaliter ab humanitate, quo ipsa Verbo vniatur, sed sufficere voluntatem diuinam: & per hanc fieri posse vt Verbum incipiat esse homo, & posteà desinat esse homo, absque vlla intrinseca mutatione facta in humanitate.

CA-

CAPVT VII.

De magnitudine beneficij Incarnationis.

57 DIXIMVS de modo vnionis: sequitur vt beneficij huius magnitudinem perpendamus. Beneficij magnitudo ex tribus æstimari potest. Primò, Ex magnitudine ipsius rei quæ datur. Secundò, Ex modo quo datur, vt cum magno labore vel incommodo. Tertiò, Ex effectu qui inde prouenit. Ex hoc triplici capite beneficium istud est immensum. Nam Primò, res ipsa quæ datur immensa est, nempe Filius Dei. Multum fuisset, si vel vnum ex supremis Angelis misisset, qui visibiliter nobiscum versaretur, nosque doceret, dirigeret, & ad salutem reuocaret, sicut cùm Rex terrenus vnũ ex suis Principibus ad solandos & liberandos captiuos mittit. Omni enim huiusmodi beneficio eramus indigni; sed quòd Filium miserit, eumque totum in nostrum bonum nobis donauerit, id omnem superat æstimationem. Secundò, Spectandus modus quo nobis datus est; quantò, vt ita dicam, incommodo, & humiliatione, & exinanitione ipsius Diuinitatis. *Cùm enim in forma Dei esset*, inquit Apostolus, *semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Si Monarcha terrenus ad liberandum mancipium à morte, suam maiestatem ad statum seruilem demitteret, & seruus serui causa fieret, quanti æstimaretur hoc beneficium, hæc misericordia & charitas? Longè sanè & incomparabiliter pluris ex illo modo, quàm ex commodo & vita serui. Pari ratione, quòd infinita illa maiestas nostræ salutis causa se tantopere demiserit, & nostram mortalitatem assumpserit, longè pluris est æstimandum, quàm tota salus nobis collata. Minima enim Diuinitatis humiliatio infinitè pluris est, quàm vniuersum bonum creaturæ; quia hoc totum instar est nihili ad illam celsitudinis infinitatem. *Quoniam tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tamquam guttaroris antelucani quæ descendit in terram.* vnde nullum bonum creatum aut creabile tanti est, vt aliquam illius celsitudinis mereatur demissionem. Quòd igitur illa sublimitas nostram humilitatem subierit, non meritum nostrũ fecit, non salutis nostræ dignitas promeruit, non iusta bonorum nostrorum æstimatio postulauit; sed misericordiæ & charitatis diuinæ abyssus præstitit: cui complacuit tantis

Magnitudo beneficij Incarnationis.

Philip. 2.

58

Sap. 11.

impendiis creaturæ suæ miſellæ & perditæ ſubuenire. Tertiò denique, ſi effectum & fructum ſpectes, hic quoque eſt infinitus. Nam complura beneficia infinitæ æſtimationis nobis per myſterium Incarnationis ſiue per Verbum incarnatum ſunt collata, de quibus nunc dicemus. Ex his conſtat, hoc beneficium triplici ratione eſſe infinitum, & infinitis laudibus, gratiarum actionibus, & obſequiis dignum.

Primo igitur miſericordiæ beneficio, quod ceterorum eſt fundamentum, explicato, conſideremus reliqua non omnino omnia, ſed potiſſimùm generalia, quæ infinitæ ſunt æſtimationis.

CAPVT VIII.

De beneficio Doctrinæ nobis per Verbum incarnatum collato.

Secundum beneficium, Doctrina cæleſtis. Tenebræ mundi ante Chriſti aduentum.

SECVNDVM itaque beneficium eſt *Cæleſtis illa doctrina*, quam per 59
ſe nobis impertiit. Vide quantis in tenebris mundus ante Domini aduentum fuerit, & quantis erroribus implicitus. Ignorabat mundus (paucis exceptis) ſuum & rerum omnium Opificem; ignorabat diuinam prouidentiam & gubernationem, fines bonorum & malorum, vitam ſcilicet æternam, & mortem æternam, cælum & infernum; ignorabat animæ immortalitatem, peccatorum malitiam, virtutum & bonorum operum dignitatem, regulam rectè viuendi: ignorabat viam vitæ, & cæcus per tenebras currebat in mortem, mortem ſecundam, mortem immortalem. Pro Numine colebat vel cæleſtia corpora, ſolem, lunam, aſtra; vel homines impios & damnatos, qui olim potentia vel induſtria aliqua excelluerant, adulteros, homicidas, deceptores, impuros, omnibus ſceleribus inquinatos, Saturnum, Iouem, Martem, Mercurium, Venerem, & ſimiles; vel horum ſtatuas, & in ſtatuis dæmones ſalutis ſuæ hoſtes; vel animalia rationis expertia, & alia his fœdiora. Denique diabolus Princeps tenebrarum, tamquam huius mundi tenebricoſi deus, omnes ſub ſuo imperio & diſciplina tenebat, ſecumque ad infernum & æternam noctem trahebat. O tenebras exitiales, & æternæ mortis æternique luctus præuias & ſocias! ô infelix ſæculum ante Domini aduentum, tanto malo oppreſſum, quantumuis opibus, potentia, & eloquentia florens! ob quas tamen nugas quædam curuæ & infelices animæ illud mirantur, & beatum prædicant,

cant, stultè nimis & absurdè! humana sunt ista, terrena & momentanea; nec hilum prosunt ad vitam æternam, si doctrina Christi absit, si Christum Dei Sapientiam, & viam salutis ignores.

60 Dominus igitur nostri misericordia commotus cùm in mundum veniſſet, sua doctrina has tenebras dispulit, errores detexit, diaboli fraudes & tyrannidem aperuit, mundum illuminauit, Auctorem rerum omnium, eiusque prouidentiam, misericordiam & iustitiam ostendit, bonorum præmia, & æterna supplicia proposuit; denique totam salutis viam, hoc est seipsum & sua instituta, clarissimè omnibus demonstrauit, & facillimam reddidit. Fecit autem hoc non per Angelum aliquem, vel Prophetam, sed per seipsum, aliquot annorum tractu, ingenti labore, in fame & siti, in æstu & frigore, in multa corporis fatigatione, in variis locis, in oppidis, in viculis, in deserto, in montibus, in campestribus, terra & mari, publicè & priuatim, per domos & Synagogas, in Templo & in plateis, nunc multis nunc paucis auditoribus. Neminem dedignabatur, nemini doctrinam cælestem subtrahebat, omnibus eam offerens, & passim etiam ingerens, & occasionem captans vbi opportunum iudicabat. Neque verò ob hominum duritiam, aut Pharisæorum calumnias & atroces in ipsum blasphemias, neque ob tormentorum & mortis metum (quamuis sciret hæc sibi propter suam doctrinam ab ipsis parari) vnquam destitit. Iam verò quàm benignè ad discipulorum & auditorum suorum captum se demisit, quàm aptè eorum ruditati sublimem illam doctrinam suam accommodauit, adhibitis exemplis, parabolis, similibus ex rebus vsitatis & humanis, vtensque sermone vulgari, absque verborum fuco, absq; vanis lenociniis orationis. Quàm patienter eorum ἀπροσεξίαν, inconsiderationem, ingenij crassitiem & tarditatem sustinuit? sæpiùs eadem explicans, ad rudes & inconspectas eorum interrogationes benigne respondens, distortas illorum apprehensiones corrigens, & mentem eorum terrenis assuetam, sensim ad cælestia capienda familiariter instruens. Mirabile spectaculum, videre Sapientiam illã cum rudibus & infimæ sortis hominibus, cum piscatoribus & mechanicis assiduè versantem, ambulantem, sedentem, comedentem, loquentem, in illis erudiendis docendisque assiduè occupatam, & eorum captui suauiter in omnibus se accommodantem. Quis iam non libentissimè se, quantumuis sibi sapiens videatur, in rudibus erudiendis occupet, cùm videat id tanto studio ipsam Sapientiam incarnatam feciſſe?

Illustratio per Christũ.

Quanto labore.

Excellentia doctrinæ Christi quoad modum.

Denique, si ipsa doctrina spectetur, quàm hæc tota grauis, quàm 61
seria, quàm aliena ab omni curiositate; nihil nisi quod sit vtile saluti continens! quàm plana, & rudibus etiam ingeniis accommodata, vt omnes eius possint esse participes! quàm sublimis & inexhaustæ profunditatis, vt nullum ingenium sit tantum, quin semper in ea possit proficere! quàm pura, quàm omni ex parte perfecta, totum illustrans intellectum, omnem reformans affectum, omnem excludens iniquitatem, omnem dirigens operationem, omnem componens vitam, omnia interiora & exteriora hominis diuinæ voluntati & æternæ legi conformans! Vniuersa sacra Scriptura admirabilis est & diuina, vtpote ex Spiritus sancti illustratione profecta; sed multùm eminet Euangelicus sermo, quem Sapientia incarnata suo ore deprompsit. Est enim & planior, & sublimior; ad intellectum illustrior, ad affectum potentior, ad gustum internum dulcior, ad conuersionem peccatorum efficacior, ad profectum iustorum & perfectionis culmen assequendum conuenientior. Vtitur enim Spiritus sanctus ingeniis hominum vt instrumentis, eorumque conditioni, quoad elocutionem & modum apprehendendi, salua veritate eorum quæ enuntiari vult, se plurimum attemperat. neq; enim consuetum illorum eloquendi aut concipiendi modum immutat, sed iis vtitur prout inuenit. quo fit vt magna sit varietas in sacris Scripturis, pro varietate ingeniorum quibus Spiritus sanctus vtitur. At instrumentum quo sermo Euangelicus est administratus, fuit humanitas Christi omni sapientia & eloquentia prædita; nihil scabri, distorti, obscuri, aut alicuius humanæ imperfectionis habens. quare poterat orationem suam optimè ad nostrum

Quàm sublimius sit doctrina Christi de moribus.

captum & vtilitatem, seruata sensus profunditate, temperare. Vnde certum est, hac doctrina nihil vel elocutione, vel conceptibus rerum, vel sententiarum vi & pondere excellentius, aut homini conuenientius ac salutarius posse cogitari, ex eaque facilè perspici, auctorem longè maiorem homine fuisse. quo fit vt qui illam attentè legit, aut perpendit, mirè afficiatur, & summa tantæ sapientiæ capiatur admiratione. Consideremus parumper quàm miris modis, & ad quantam perfectionem nos excitet.

Quo modo Christus cõmendet paupertatem, castitatem, obedientiam & abnegationẽ sui, dilectionem inimicorum, mansuetudinem, & studium orationis.

Ad paupertatem & rerum terrenarum abdicationem: *Nisi quis* 62
renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. & Matthæi 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* & infrà: *Amen dico vobis, quòd vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam*

vitam æternam possidebitis. Marci 10. *Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut agros propter me & Euangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in hoc tempore, & in sæculo futuro vitam æternam.* Idem habetur Luc. 18.

Ad castitatem: Matth. 19. *Sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum; qui potest capere capiat.*

Ad obedientiam & integram sui mortificationem: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Ioan. 12. *Qui amat animam suam perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Idem sæpiùs Dominus vsurpauit.

Ad dilectionem inimicorum: Matth. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est; qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Et alibi iubet, vt quoties frater in nos peccauerit, toties ei ignoscamus, etiamsi id centies vel millies accideret. Quante Domini doctrinam hæc sciuit, (paucos quosdam diuinitus illustratos excipio;) vel si quis sciuit, quis tam clarè, tam enucleatè tradidit? Quis dignitatem & vtilitatem paupertatis, castitatis, abnegationis sui, dilectionis inimicorum ita explicuit, & homines tam efficaciter ad hæc concitauit? Matthæi 18.

Ad studium orationis: Luc. 18. parabolâ iudicis iniqui docet oportere semper orare, & non deficere. & Luc. 11. idem ostendit parabolâ amici petentis ab amico tres panes, inde concludens; *Et ego dico vobis, petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & & pulsanti aperietur.* Quod rursum alia similitudine pulcherrimè confirmat: *Quis*, inquit, *ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut si petierit ouum, numquid porriget ei scorpionem? Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester cælestis de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Denique sæpè repetit, omnia nos impetraturos, quæ in nomine ipsius petierimus. Verùm quàm diuina & admirabilis est illa oratio, quam discipulos suos docuit, cuius vim alibi breuiter expendimus. De summo bono Lib. 4. cap. 1.

63 Omitto diuinas illas parabolas sapientiæ plenas, & alia quibus nos

nos ad fiduciam diuinæ prouidentiæ, ad mortis contemptum, ad patientiam, manſuetudinem, humilitatem, temperantiam, ceteraſque virtutes mirabiliter inſtruit. Omitto ſtupendam illam & carni paradoxam beatitudinum doctrinam, ad quam tota Philoſophorum doctrina vix vmbræ inſtar obtinet. Quàm verè de ſe dixit Sapientia illa: *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi*! Quis ergo neget, hoc beneficium doctrinæ infiniti eſſe pretij? Eſt enim fundamentum ſalutis, eſt radix immortalitatis & vitæ æternæ: ſine hac doctrina omnis ars, omnis ſcientia, prudentia, eloquentia, induſtria vana eſt, & magis noxia quàm vtilis: ad hanc omnis ſapientia humana nox eſt, & meræ tenebræ. *Vani enim ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſcientia Dei. Et ſi quis erit conſummatius inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur.* Deinde ſi beneficij magnitudo penſetur ex modo & labore quo collatum eſt, etiam ex hoc capite hoc beneficium infinitè æſtimandum, quod tanto labore, ſudore, ſtudio & incommodis Filij Dei nobis eſt præſtitum.

Matth. 5. & Luc. 6.

Pſalm. 77. Matth. 13.

Sap. 13.

Sap. 9.

CAPVT IX.

De beneficio Exemplorum omnis virtutis.

Tertium beneficium, Exemplum.

TERTIVM beneficium eſt *Exemplum omnis virtutis*, quod nobis Sapientia incarnata per ſeipſam præbuit. Non ſatis illi erat nos docere verbo, & omnis boni diſciplinam diuino ſermone ſuo mentibus noſtris commendare, ſed voluit etiam nos confirmare ac incitare ſuo exemplo, & ad omne virtutis officium præire. Multi enim alioquin dicturi erant, facile eſſe perfectam virtutem oratione tradere; ſed nimis difficile, operatione & factis exhibere: hanc difficultatem non eſſe Dominum noſtrum expertum, ſed grauia nobis onera impoſuiſſe, quæ digito ſuo ipſe non tetigiſſet; ſicque difficultate rei deterriti, ſalutarem doctrinam vel non fuiſſent complexi, vel ſemel ſuſceptam abieciſſent. Mens enim humana, cùm inter naturas rationales ſit infima, ac proinde carni mortali inſerta, & ſenſibus addicta, nihil præter ſenſibilia & temporalia, vt honores, diuitias, voluptates perfectè apprehendit: ſpiritalia, vt pulchritudinem virtutum, & bona vitæ futuræ, obſcurè & confusè. Hinc fit vt à ſpiritualibus moueatur parum & languidè, à ſenſibilibus multum & validè. motiones enim

64

Cur via virtutis videatur ardua, & facilis facilis.

affe-

affectuum, cognitionis apprehensionem sequuntur. quare obiectis difficultatibus, & iis quæ carni molesta, homo facilè retrocedit, & studium virtutis abiicit: molestias enim illas, vtpote sensibiles & naturales, validè apprehendit; cumque oriantur ex rebus obscuris & non satis per experientiam comprobatis, fingit eas centuplo grauiores quàm reuerà sint, & ita facilè ab illis vincitur. bonum enim imperfectè apprehensum, (quale est bonum virtutis & gloriæ cælestis) non tantum attrahit, quantum ingens molestiarum imaginatio deterret. In bonis autem sensibilibus persequendis (qualia sint opes, honores, & voluptates) etsi magnæ difficultates se offerant, mens tamen humana perstat: quia etsi illæ molestiæ per se deterreant, magis tamen bonorum speratorum vehemens apprehensio allicit, quorũ ardens amor facit, etiam ipsas molestias longè quàm reipsa sint minores videri. Hæc est pænè tota ratio & prima origo, cur via virtutis, alioquin per se facilis & iucunditatis plena, videatur difficilis & amara; econtrariò via sæculi, reuerà aspera & molestissima, videatur facilis & iucunda. Plus enim allicit fortis apprehensio bonorum sensibilium, quàm deterreat imaginatio malorum illis annexorum: & plus deterret valida imaginatio molestiarum quæ studio virtutis inesse videntur, quàm apprehensio bonorum spiritalium (quæ in nobis valdè tenuis & obscura) alliciat. Dominus igitur huius infirmitatis nostræ conscius, vt fortiùs apprehenderemus bonorum spiritalium excellentiam, & minoris æstimaremus difficultates annexas, exemplo suo in omnibus præire voluit, & sensibile exemplar omnis perfectionis nobis exhibere, ad quod assiduè intuentes, totam vitam nostram conformemus.

Exemplum paupertatis, & aliarum virtutum.

65 Primùm igitur dedit nobis illustrissimum exemplum *paupertatis, humilitatis, & contemptus sæculi*, dum sibi parentes pauperes deligit, dum in stabulo nascitur, dum præsepio cunarum loco vtitur, dum neque domum neque supellectilem, neque locum vllum, vbi caput suum reclinet, possidet, dum vt mendicus eleemosynis pio rum viuit, dum pauperes discipulos sibi sociat. Luc. 1. & 2. Luc. 9. Psalm. 39. & 108. 2. Cor. 8. 9. Matth. 4. & Ioan. 1. Matth. 19

Castitatis, quia de virgine castissima nasci voluit, & ipse perfectissimè virginitatem seruauit, & omnes tantæ rei capaces ad eius excellentiam est hortatus.

Obedientiæ, subdens se parentibus, subiiciens Principibus, subiiciens Legi veteri, & obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Luc 2. Matth. 17. Philip. 2.

Luc.6,12. *Orationis*, crebrò rogans Patrem semotus à turbis,& pernoctans in oratione Dei; præterquam quòd mens eius omni tempore & loco per contemplationem, amorem, laudem,& gratiarum actionem Diuinitati excellentissimè esset coniuncta.

Ioan.2. Marc.1,38. *Zeli honoris Dei & salutis animarum*, dum facto flagello eiicit è templo ementes & vendentes;dum totos dies vicos & oppida prædicans regnum Dei circumit, nulli parcens labori, nullis cedens iniuriis, in fame & siti, in æstu & frigore, in vento & pluuia, per aspera & lutosa, nudo capite, nudis pedibus, fatigatus laboribus, afflictus doloribus, affectus contumeliis, appetitus lapidibus,multis malis pro summis suis beneficiis exceptus. Denique,dum sponte se in mortem & omne genus tormentorum pro gloria Dei, & hominum salute tradit.

Patientiæ & mansuetudinis, tum in tota vita, tum potissimùm in
1.Petri 2. passione. *Qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè,qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, qui etiam pro iis ipsis qui eum tot contumeliis & tormentis afficiebant,in mediis cruciatibus Patrem exorauit.

Simili modo dedit nobis exempla *modestiæ, grauitatis,maturitatis, sobrietatis, castigationis corporis, vigilantiæ, circumspectionis in dictis & factis, benignitatis,affabilitatis,compassionis, misericordiæ*, & aliorum virtutum; eaque adeò perfecta & eximia, vt præstantiora animo concipi nequeant: nam tota vita exactè respondet doctrinæ, eique ad amussim est veluti commensa, tum ex parte obiecti, tum ex parte cognitionis. Cùm igitur doctrina Christi sit perfectissima,siue cognitionem spectes,qua ipse eam animo concipit; siue obiectum & rationem operandi,qua ipsius voluntas mouebatur ad operandum;etiam exempla vitæ perfectissima sunt,adeò vt præstantiora in singulis virtutum generibus dari nequeant.

Quantum sit beneficiu exemplorum. Quantum autem sit hoc beneficium,ex eo primùm perspici po- 66
test,quòd parum efficax illa spiritalis & supernaturalis doctrina, in tanta naturæ corruptione & ad sensibilia pronitate,futura erat, nisi sensibilibus exemplis ad permouendos homines iuuaretur, vt suprà ostensum est. Longè enim maiorem impressionem in animum faciunt viua exempla, quæ oculis videntur & manibus palpantur, quàm sublimis doctrina longè à sensibus remota. Vnde maximum fructum faciunt illi Concionatores, & Superiores, & animarum curatores, qui id ipsum quod docent & aliis imperant,

priùs

priùs ipsi vita & moribus exprimunt: sicut econtrariò parum vel nihil fructus referunt, sed damnum potiùs inferunt, quorum vita suæ doctrinæ non respondet; & quod verbo student in proximis ædificare, exemplo destruunt; vna manu homines ad Deum allicientes, & altera repellentes. Nihil itaque vel certè parum sine exemplo actum erat in genere humano ad vitæ sanctitatem. Deinde, quòd hæc exempla tanti Filio Dei steterint. Ideò enim tot annis in terris nobiscum versatus est, ideò tot labores subiit, tot calumnias & acerbitates sustinuit, tam grauia & indigna perpessus est. Neque enim ad soluendum pretium redemptionis nostræ, tot & tam diuturnis laboribus & perpessionibus opus erat: vna enim precatio, vna Sanguinis gutta, ad totius mundi abluenda peccata ex se erat sufficientissima. Sed ad luculentissimum omnis virtutis & perfectionis exemplum exhibendum illa erant potissimùm necessaria: quamuis simul in illis subeundis non solùm exemplum & imitationem, sed etiam redemptionem & solutionem nostri debiti spectauerit, vt propitiatio & redemptio nostra eò copiosior esset & redundantior. Ratio tamen exempli & imitationis videtur fuisse præcipua, cùm modum necessariæ redemptionis tantopere excesserit. Vnde passim Scriptura etiam passionem & crucem exempli causa ipsum subiisse docet. B. Petrus Epist. 1. cap. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis* (etiam vobis qui non estis discipuli vel Apostoli) *relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* & cap. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* & Dominus ipse Matth. 20. cupientibus cum ipso regnare inter primos, *Potestis*, inquit, *bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* & Apostolus Paulus passim Christum crucifixum, vt exemplar omnis sanctitatis imitandum proponit. Non ergo parum momenti exemplum vitæ Domini nostri ad salutem & perfectionem adipiscendam habere putemus, quod ipsi tot laboribus & doloribus constitit; sed potiùs illud fuisse necessarium: alioquin Domino non tantopere
67 cordi futurum. Hoc maximè omnes Sancti noui Testameni intuiti sunt, & eos ad tantam sanctitatem euexit. Hoc martyria excitauit, hoc paupertatem, humilitatem, contemptum sæculi, virginitatem docuit; hoc omnium Religionum fons & origo; ex hoc omnia Sanctorum exempla, veluti ex prototypo sunt deducta. Quare sicut pictor, qui eximiam aliquam formam in tabula vult depingere, assiduè propositum habet exemplar quod vult imitari, ad illud creberrimè respectans, vt illi suam picturam, quantum fieri potest, assimilet:

Extrauag. *Vnigenitus*, De pœnit. & remission.

Psal. 129, 7.

Rom. 8. Hebr. 12.

Exemplum Christi semper ob oculos habendum. Galat.2.

milet: ita quiuis Christianus,& maximè Religiosus,cuius tota professio est Christum imitari, Christi imaginem in se exprimere, atque adeò Christum induere, vt dicere possit cum Apostolo; *Viuo autem non iam ego, viuit verò in me Christus:* debet Christi vitam & conuersationem semper habere præ oculis, eamque ita menti imprimere & imaginatione sibi repræsentare, vt hæc cælestis forma ex intellectu transeat penitus in affectum, & ex affectu in opus, totamque vitam externam; vt foris & intus simus omnino Christo similes,& vt sic dicam Christiformes. Hæc enim est summa hominis Christiani perfectio, similé esse Christo Domino suo. Nam Matth.10. *non est discipulus supra magistrum; perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.* Tales fuere magna illa nomina Petrus & Paulus, ceterique Apostoli,& quicumque sanctitate vitæ eximij extitere.

CAPVT X.

De beneficio Liberationis à peccato,& à morte æterna.

Quartum beneficium, Liberatio à peccato.

QVARTVM beneficium est *Liberatio à peccato.* Hoc quoque 68
beneficium est immensum,siue malum spectes quod tollitur, siue modum & difficultatem qua sublatum est. Si enim ipsum malum consideres; sicut Deus est summũ bonum,ita peccatum quod repugnat diuinæ bonitati,est summum malum. Quare sicut Deus est bonum infinitum,ita quoque peccatum, immensum quoddam est malum. Crescit enim magnitudo offensionis ex magnitudine personæ offensæ: quò enim persona offensa dignior, eò iniuria est grauior. Si ergo persona sit infinitæ dignitatis, peccatum quoque malitiam quodammodò infinitam habebit. Hinc fit vt nulla pura creatura pro peccato mortifero ex æquo satisfacere possit, imò nec omnia Sanctorum opera vel vnum peccatum valeant compensare; adeò vt si in statera appensa fuerint, hinc quidem vnum peccatum mortiferum, inde verò tota bonorum operum, quæ vmquam ab Angelis vel hominibus facta sunt,collectio; longe præponderaturum sit peccatum. Tota enim illa collectio finitæ est bonitatis, & quasi nihil ad honorem tantæ maiestati debitum. At peccatum cùm repugnet illi maiestati, infinitam quamdam malitiam continet; vtpote superioris ordinis in ratione mali, quàm sint opera iustorum in ratione boni; vt infrà,cùm de Iustitia agemus, ostendetur. Quam ob causam sancti Patres docent necessarium fuisse Filium Dei incarnari,vt pro peccatis nostris iustam satisfactionem & pretium

Peccati malitia infinita.

pretium æquale diuinæ iustitiæ exhiberetur, sicut suprà declaratum est. nullam enim puram creaturam id potuisse.

69 Ex quibus vlteriùs sequitur, omne peccatum mortiferum natura sua, (semota satisfactione Christi) de lege ordinaria esse irremissibile: quia sine iusta satisfactione remitti non potest, iustitiæ diuinæ lege id vetante; iusta autem satisfactio extra illam personæ diuinæ, dari non potest. Itaque necesse est vt constituat hominem in termino, & ipso facto æternis inferorum pœnis, absque vlla spe liberationis, addicat. quod insinuat S. Chrysost. Hom. 22. in 2. ad Cor. cùm ait: *Peccatum ita se habet, vt mox atque patratum fuerit, sententiam ferat iudex.* hinc peccatum dicitur *mors animæ*. Sicut enim mors constituit in termino, eò quòd vita semel amissa, nullis creaturæ viribus recuperari potest; ita peccatum, cùm tollat animæ vitam, quæ nullius creaturæ ope potest restaurari, hominem in termino & in æterna damnatione constituet. Cuius etiam rei signum euidens habemus in angelis: hi enim cùm non haberent redemptorẽ qui pro ipsis satisfaceret, & vim peccati ad inferos statim trahentis suspenderet ac inhiberet; simulatque peccarunt, statim ipso facto in termino sunt irreparabiliter constituti. Idem omnino in nobis fieret, nisi infinita Dei misericordia præueniisset, inhibito peccati pondere in damnationem subitò præcipitante, eoque per Sanguinem Christi peremptò. Est enim peccatũ veluti pondus quoddam immensum, creaturam infinito quodam impetu deorsum in infernum trahens, cui nulla vis creata, sed sola Dei misericordia & omnipotentia potest obsistere. Hi sunt *rudentes inferni*, quibus angeli peccantes in tartarum detracti. Ex his constat, insuperabile & immensum quoddam malum esse peccatum; ac proinde eius solutionem & deletionem infinitum quoddam beneficium.

Peccatũ mortiferum secundùm se est irremissibile.

Peccatum instar ponderis.

2. Petr. 2.

70 Nunc si modum consideremus quo hoc malum sustulit, etiam ex hoc capite beneficium hoc immensum esse reperiemus. Non enim simplici condonatione, aut alio modo facili, sed difficillimo, & diuinæ celsitudini quodammodò indigno id præstitit. Nam peccata totius mundi in se suscepit, seque in natura humana, tamquam omnium illorum reum diuinæ iustitiæ exhibuit, & Sanguine morteque sua, quasi illorum auctor, ea luit, vt infrà dicemus.

71 Quintum beneficium est *Liberatio à morte æterna*. Hoc beneficium virtute continetur in priore: remissa enim culpa, tollitur reatus pœnæ æternæ. Tamen hæc mala sunt distincta, & diuersi ordinis, quamuis alterum ab altero pendeat: & Scriptura ea tam-

Quintum beneficium, Liberatio à morte æterna.

quam distincta proponit. Vnde etiam duplex est in illis tollendis beneficium: nec minores gratiæ sunt agendæ, quàm si alterum ex altero non penderet. Eramus omnes per peccatum necessitate quadam morti æternæ, imò æternis inferorum incendiis addicti. Etsi enim peccatum originis per se non mereretur tormentũ ignis, aliosque sensuum dolores; tamen cùm ex hoc non remisso, necesse esset in multa peccata actionis, eaque mortifera, quibus æternus ille cruciatus debetur, prolabi; non poteramus vllo modo illa incendia euitare. Hæc sanè infinita quædam erat miseria, cui omnes miseriæ huius vitæ, etiamsi in infinitum multiplicentur, non valent comparari: omnes enim istæ breues sunt & momentaneæ; illa verò (præterquàm quòd omnia tormenta, quæ mortalis natura non dico perferre, sed vel sentire & capere ad breue tempus potest, acerbitate longè superat) finem nullum habet.

Perpende quid sit, esse in illo teterrimo carcere, in illis horrendis tenebris, semotum ab omni luce, ab omni creaturarum amœnitate, ab omni solatio, in summis omnium sensuum cruciatibus, in acerrimis illis incendiis; ibi torreri, ibi ardere, idque non vnum diem, non vnum annum, non centum annos, non mille, non centum annorum millia; sed infinitos annorum milliones, quamdiu stabit orbis, quamdiu viuet Deus, absque vlla spe liberationis, absque vlla dolorum intermissione. Quis non dicat hanc miseriam esse immensam & incomprehensibilem? quare & infinitum fuit beneficium, quo illa miseria sublata. Ab infinita enim miseria eximere, infinita misericordia est, & beneficium immensum. Sed quomodo hoc beneficium contulit? Soluendo pœnas in suo corpore, quæ peccatis nostris debebantur; quæ ob infinitam personæ dignitatem facilè compensare poterant nostrarum pœnarum æternitatem.

CAPVT XI.

De beneficio Adoptionis.

Sextum beneficium, Adoptio.

SEXTVM beneficium est, *adoptio filiorum*, & ius vitæ æternæ. 7. Hoc beneficium est distinctum omnino à prioribus: non enim necessariò cohæret cum remissione vel peccati, vel pœnæ æternæ, si naturas rerum spectemus. Cùm enim Princeps condonat alicui, quem ex humillimo statu adoptarat in filium, crimen commissum, remittens iniuriam, indulgens pœnam, & abstergens infamiam;

non,

non eo ipso rursus adoptat in filium, aut tribuit ius ad regnum: sed satis multum beneficij contulisse videtur, si eum tantis malis liberatum patiatur viuere in proprio statu, quem ante adoptionem habebat. Pari modo non erat necesse vt Deus, condonato peccato & supplicio illi debito, nos rursus in filios adoptaret, sed poterat relinquere in statu naturæ, & pro mercede dare statum Angelicum, qualis Angelis est naturalis. Præclarè enim adhuc nobiscum actum putassemus, quòd tantis exempti malis possemus ad tam eximium statum, nostræ naturæ conditionem tantopere excedentem adspirare. Quanta enim res est, esse similem Angelis immortalitate, impassibilitate, agilitate, ἀυταρκεία, seu sufficientia sui, (qua quis sibi sufficiens, externis præsidiis non indiget) exacta omnium rerum creatarum notitia? Negari non potest, quin magna in istis sit felicitas, & longè maior quàm omnes honores, diuitiæ & voluptates huius vitæ, homini saniſſimo & omnibus naturæ præsidiis ornatissimo possint adferre. Verùm his contenta non fuit immensa illa bonitas, sed incomparabiliter maiora nobis præparauit. Non enim solùm condonat iniurjam peccati & pœnam æternam, euehitque ad spiritalis naturæ sortem naturalem; sed rursus adoptat in filios, & ius regni cælestis & diuinæ hereditatis restituit, quæ naturali Angelorum felicitate infinitè est præstantior.

Adoptio per se est distinctum beneficium à condonatione peccati.

73 In quo beneficio quatuor consideranda. Primò, Status vnde euehit. Secundò, Status ad quem euehit. Tertiò, Bonum quod inde expectamus. Quartò, Medium quo id præstitit. Euehit enim nos cùm essemus inimici, omni beneuolentia, omni beneficio ac bono indigni, æternis suppliciis obnoxij & addicti. Euehit autem non ad statum aliquem mediocrem, non ad humanæ vel Angelicæ naturæ felicitatem, sed ad statum supremum ac diuinum, vt simus filij Dei, filij Regis æterni, heredes Dei, coheredes Christi, consortes diuinæ gloriæ, & omnium diuinorum bonorum participes. Ex quo tantum bonum, tantum gaudium, tantam gloriam expectamus, quantam *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cogitando assequi potest.* Quanta distantia, quàm ingens interuallum inter statum ex quo erepti, & ad quem euecti sumus? inter infimum, quo infra omnem creaturam eramus depressi; & inter summum, quo supra omnem naturæ creatæ excellentiam attollimur? inter statum, inimici, & filij chariſſimi? Sanè negari non potest, quin immensum sit horum statuum interuallum, cùm gradus diuersi ordinis (quorum proinde discrimen

Quatuor considerandain beneficio Adoptionis.

men est incomparabile ac immensum) sint interiecti. Nam inter statum peccati, & statum nudæ innocentisque naturæ, est quoddam interuallum infinitum: pari modo inter statum innocentis naturæ humanæ & felicitatis Angelicæ: denique inter statum Angelicum & filiorum Dei. Tantum enim inter hos status est discrimen, vt nulla bonorum eiusdem ordinis appositione ab inferiore ad superiorem perueniri & ascendi possit. Qui enim est in statu peccati mortiferi, etsi absque fine diuitiis, honoribus, imperiis & regnis cumuletur, miserrimus est, nec vmquam ei qui in statu naturæ innocenter viuit, felicitate comparari poterit: peccati enim mortiferi malignitas nullis bonis opprimi potest, quin hominem vilissimum & infelicissimum faciat. Qui verò est in statu naturæ innocentis, numquam poterit ad perfectionem Angelicam pertingere, etiamsi absque fine bonis humanis, quorum scilicet natura illius, vi sua est capax, vt robore, agilitate, pulchritudine, sanitate, eloquentia, industria, experientia rerum, artibus liberalibus, mechanicis, Mathesi, Astronomia, & omne genus scientiis augeatur. Tota enim humanæ naturæ perfectio ad Angelicam comparata, est instar nihili, & veluti punctum ad cælorum immensitatem. Denique Angelica perfectio, etiamsi absque fine in suo ordine crescat, numquam statum filiorum & gloriam ipsis præparatam æquabit. Ex quibus constat quàm immensum sit interuallum inter statum illum è quo per misericordiam erepti, & illum ad quem euecti sumus; ac proinde quàm immensum sit beneficium istud adoptionis.

Quomodo adoptarit in filios.

Per vnum hominem qui Filius naturalis, adoptantur reliqui, & fiunt filij adoptiui. Rom. 8.

Sed quo medio, qua ratione adoptionem nobis contulit? Ratione prorsus admirabili. Nam primò, vnum hominem in filium naturalem assumpsit, tota Diuinitatis plenitudine in ipsum refusa & substantialiter vnita. per hunc adoptat, & filios Dei efficit omnes eos, qui illi homini per Fidem & Sacramenta, tamquam rami trunco, & palmites viti inseruntur. Statim enim vt quis inseritur & adhæresit Christo, à spiritu Christi, qui est eius Diuinitas, vel-uti animatur & viuificatur; ac proinde efficitur filius Dei: *Qui enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, vt inquit Apostolus. Eodem enim spiritu viuunt quo Deus ipse, & quo Christus filius Dei naturalis viuit, etsi hic spiritus diuerso modo istis communicetur: personis enim diuinis communicatur per identitatem, idque vel immediata necessitate, vt Patri; vel per æternam generationem aut spirationem, vt Filio & Spiritui sancto, humanitati verò Christi, 74

sti per hypostaticam vnionem, nobis per quamdam extensionem, qua mediante dono gratiæ iustificantis incipit esse noster spiritus, nostra vita, nos inhabitans, ornans, mouens, regens, & omnes vitales functiones Deo placentes in nobis excitans & edens. Itaque hoc spiritu diuinæ personæ viuunt naturaliter, cùm sit illarum esse & vita naturalis: humanitas Christi quasi naturaliter, propter substantialem vnionem: nos verò omnino supernaturaliter. Est enim vita nostra, vt ita dixerim, superuitalis, & essentia supereſſentialis. Cogita spiritum Christi esse veluti immensam quamdam animam, quæ angustiis istius humanitatis non coërcetur; sed in omnem partem in infinitum quasi exundat. Itaque sufficiens est, vt non solùm illum hominem, seu hoc individuum, sed omnes etiam illos qui illi adhæserint viuificet, & consequenter filios Dei efficiat.

Eodem spiritu quo Deus viuit, etiam viuit Christus quà homo, & quilibet instus.

75 Sumus igitur filij Dei propriè & formaliter, non tam per donum aliquod creatum, quàm per inhabitationem & possessionem spiritus diuini viuificantis & regentis animas nostras. Quod confirmatur Primò: Quia nullum est donum creatum habituale, cum quo, si per se præcisè spectetur, non possit consistere peccatum, si Deus, homine iusto peccante, pergeret illud donum conseruare, vt plerique Theologorum fatentur. at cum filiatione diuina implicat consistere peccatum: aliquid ergo ampliùs continet quàm præcisè entitatem creatam illius doni.

Per quid formaliter simus filij Dei.

Deinde: Quia eminentissimum donum creatum in hac vita, videtur esse charitas: per hanc enim diligimus Deum supra omnia, omne bonum illi volumus, & affectu quodammodò conferimus, & diuinæ voluntati legiq́ue æternæ conformamur. Vnde etiam nulla videtur esse creata dispositio in homine, saltem in hac vita, quæ Deo possit esse gratior. atqui non est ea charitatis natura, vt per se & vi sua absque alia benigna ordinatione, faciat filium & heredem eius qui diligitur. Non enim si diligo Regem, efficior mox filius Regis; imò nec idipsum ex natura rei mereor, aut dignus tanto munere efficior.

Tertiò: Quia filius cõstituitur per communionẽ eiusdem naturæ; atqui charitas præcisè non est cõmunio naturæ diuinæ, cùm sit donum creatũ, & inclinatio quædã ad dilectionẽ, nec vllam ex Deo na-

tiuitatem dicat. Quartò, Confirmatur ex Scripturis: Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*, &c. quibus verbis amplius vult significare, quàm credentes posse Deum diligere; nempe posse illos inseri & incorporari Verbo incarnato, Filio Dei naturali, & ita accipere eumdem spiritum, sicque nasci ex Deo. *Nasci* enim ex aliquo, est ex eo formam ipsi similem generatione trahere. Ioan. 6. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* quasi dicat: Sicut ego vitam accepi à Patre qui me misit; ita qui me manducat, vitam à me accipiet. nam vitam quam accepi à Patre, transfundam in eos qui me manducabunt, vt eadem vita & Pater, & ego, & ipsi viuant. Porro vita quam accepit à Patre, est ipsa Diuinitas, quam vt Verbum accepit per generationem æternam, vt homo per vnionem hypostaticam. hanc in nos transfundit per donum gratiæ quod confert iis qui carnem ipsius manducant. Et infrà: *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam.* id est, Caro mea per se non dabit vobis vitam æternam, sed spiritus, id est, Diuinitas ipsi vnita, qui spiritus in vos transfundetur. Sed clarissimè Apostolus ad Rom. 8. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.* nimirum quia spiritus Dei iam est spiritus ipsorum, sicque sunt Deo similes & eiusdem naturæ participes. Idem declarat verbis sequentibus, vbi hunc spiritum vocat *spiritum adoptionis filiorum*, id est, per quem efficimur filij adoptiui. *Non enim*, inquit, *accepistis spiritum seruitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba, Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: si autem filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Manifestè autem loquitur de spiritu increato, per quem & Christus est Filius. reddit hic testimonium spiritui nostro, quòd sumus filij Dei; quia ex eo quòd spiritum Dei habemus (quem nos habere ex eius effectibus quos in nobis producit coniicimus) cognoscimus nos esse filios. Idem *adiuuat infirmitatem nostram, & postulat* (excitat ad postulandum) *pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, vt ibidem dicitur. Et ad Galat. 4. *Quoniam autem estis filij, misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.* Non quòd prius sit esse Filium, quàm habere spiritum Christi, sed eo ipso quo dedit nobis spiritum Christi, facti sumus filij Dei. Idem significat Dominus Ioan. 17. in diuinissima illa oratione ad Patrem: *Vt*, inquit, *omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te,*

vt

vt & ipsi in nobis vnum sint. Vnum, inquam, non solùm per affectum & concordiam, sed etiam per communionem eiusdem spiritus, vt omnes sint vnus spiritus. addit Dominus: *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus: ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum,* &c. Hæc consummatio consistit in eo, vt sicut Christus à Patre claritatem seu spiritum accepit, quo ipse omnino sanctus est & Filius Dei; ita ipsi per Christum eumdem spiritum accipiant, quo sint filij Dei, &c. Simili modo dixit Apostolus 1. Corinth. 6. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Omitto alia loca; nam passim Scriptura adoptionem filiorum Dei explicat per communicationem spiritus diuini, & spiritus Christi, vel per consortium diuinæ naturæ. Itaque non sumus filij Dei formaliter & præcisè per aliquid creatum, qua parte solùm dicit entitatem creatam; sed per increatum spiritum Dei nobis donatum per Christum, siue per inhabitationem diuini Spiritus; sicque Deus ordine quodam nos ad se trahit, & redigit ad vnum corpus, & ad vnum caput, & ad vnam hypostasim, cui incorporamur, & cuius spiritu viuificamur. Est enim Christus caput omnium iustorum, & ipsi corpus eius, quod vitam & influxum vitalem ab illo accipit. Rursus, Christus est omnium iustorum hypostasis cui omnes innixi, qui omnes sustentat, portat, & spiritus sui quem à Patre accepit, benigna protensione viuificat, & filios Dei facit. Talis enim est spiritus Christi, vt angustiis humanitatis eius non contineatur, sed exteriùs se extendat, & in immensum diffundat, ita vt omnes, etiamsi infiniti essent, viuificare possit.

Per charitatem Spiritus Dei nobis cõmunicatur & vnitur.

76 Neque his obstat sententia eorum, qui dicunt nos fieri filios Dei per charitatẽ, sed mirè consentit, si rectè explicetur: charitas enim est vinculum quo spiritus Dei nobis vnitur, & in nobis permanet: nam vt 1. Ioan. 4. dicitur, *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo,* id est, manet in vnione cum Deo, & Deus manet in ipso tamquam eius spiritus vitam ipsi impertiens. Similia habemus eadem Epistola, & Ioan. 14. 15. 17. Habet autem hoc charitas non vi sua naturali; dilectio enim per se non potest nobis dare possessionem boni dilecti, nec facere vt illud sit nostrum bonum, & intra nos constitutum; sed ex benigna Dei ordinatione & largitione. Qui enim diligit Deum, hunc vicissim diligit Deus. Diligere autem, est velle alicui aliquod bonum, & ipso affectu illud dare. Bonum autem quod Deus se diligenti vult, est bonum diuinum, seu spiritus diuinus. Quare cùm dilectio Dei sit efficax, confert ei

Vnde charitas hanc vim habeat.

ſpiritum ſuum vt in ipſo inhabitet, ipſum viuificet & regat, & ſuo tempore beatum faciat. Itaque dilectio qua diligimus Deum, eſt veluti vltima diſpoſitio, vel meritum de congruo allicies Deum ad donandum ſpiritum ſuum nobis. Poterat ſanè Deus ijs qui ipſum diligunt, minus bonum rependere, ſed ex infinita bonitate ſua voluit dare ſeipſum. Cùm enim vellet ſeipſum communicare creaturæ, nec melior vlla ex parte creaturæ poſſet diſpoſitio reperiri quàm dilectio, ſtatuit infallibili lege omnibus ipſum dilectione ſupernaturali diligentibus dare ſpiritum adoptionis, & efficere ſuos filios. Cùm autem dat nobis ſuum ſpiritum, non dat illum nudè abſque aliquo dono creato; (alioquin nulla in nobis per iuſtificationem ex adoptione fieret interna mutatio & renouatio:) ſed interuentu doni creati, cui ex ipſius ordinatione ſpiritus ipſius eſt veluti annexus & inſeparabiliter coniunctus. Hoc autem donũ eſt vel habitus charitatis, vel alius quidam, quem multi Theologi cum S. Thoma ponunt in eſſentia animæ, & vocant habitum gratiæ, dicuntque eſſe quamdam participationem & ſimilitudinem eſſentiæ diuinæ: ſicut enim dantur participationes diuinorum attributorum, ſapientiæ, charitatis, ſanctitatis, iuſtitiæ, miſericordiæ: ita etiam dari quamdam participationem ipſius eſſentiæ diuinæ in ſe conſideratæ quatenus quodammodò concipitur vt prior attributis. quæ ſententia eſt valdè probabilis, maximè ſi eſſentia animæ diſtinguitur à potentiis. Hoc ipſo igitur quo Deus confert hoc donum, ſimul confert ſpiritum ſuum illi dono coniunctum, & ſic efficimur filij Dei, & heredes regni, digni vita æterna.

Quid noui confert adoptio propter donum creatum.

Dices: Spiritus Dei anteà erat mihi intimè præſens, quid igitur noui mihi confertur in hac adoptione, præter donum creatum; & quam vim habet illa donatio, qua ipſe ſpiritus diuinus dicitur nobis donari? 77

Reſpondeo, Cùm quis adoptatur in filium Regis, quid noui ponit in illo iſta adoptio & υἱοθεσία? Nihil ſanè phyſicæ entitatis: ponit tamen nouam quamdã dignitatem & moralem excellentiam, ratione cuius nunc à Rege diligitur & tractatur vt filius, & ab aliis honoratur vt Princeps, & ius habet ſucceſſionis vt heres. Ante adoptionem erat ignobilis, obſcurus & pauper, nullius amore vel honore dignus. Si tantam vim habet adoptio humana, abſque vlla reali qualitate; quid non facere poterit adoptio diuina, etiamſi nullam aliam qualitatem phyſicam inferat? longè enim eſt efficacior in ſuo ordine adoptio diuina quàm humana: nam hæc non ponit,

nec

nec potest ponere spiritum adoptantis in adoptato, vt adoptatus ex illo viuat & regatur, sitque per illum dignus hereditate: illa verò id potest & facit, idque adeò efficaciter, vt etiamsi fingeremus spiritum Dei non esse vbique, sed concludi cælo; ex vi adoptionis inciperet quasi per replicationem esse in adoptato, eumque constitueret filium Dei, & heredem regni. Amor enim Dei est omnipotens, ac proinde efficax eius quod vult. Sicut si Rex qui vult aliquem adoptare, esset omnipotens, poneret in illo animam suam, eumque hoc modo filium suum constitueret. Quo casu illa adoptio esset multò perfectior, quàm sit modò: adoptatus enim esset similis filio naturali, & eiusdem naturæ quodammodò particeps, cuius ipse adoptans. *Efficacia diuinæ adoptionis.*

78 Nec refert quòd diuinus spiritus anteà illi præsens & intimus fuerit, quia non ideò minùs efficaciter donari, aut de nouo haberi potest; nam præsentia rei non impedit quò minùs de nouo haberi aut possideri possit. Anteà enim etsi esset præsens, non tamen erat illius spiritus, nec illi tribuebat dignitatem filij aut ius regni. Quid prodest multarum opum præsentia, si tuæ non sunt, nec illarum præsentia tibi ius illis fruendi tribuat? Simili modo illa præsentia diuini spiritus parum prodest impiis, cùm ipsi inde nullam dignitatem aut fructum contrahant. Magnum itaque vim habet ista donatio, per quam etsi nulla qualitas creata interueniret, tantam dignitatem & tantum iuris consequeremur: nunc verò donum creatum cui spiritus diuinus est connexus, interuenit. Nec obstat quòd semel facta sit: millies fieri potest; quia semper nouum effectum conferet, nimirum nouum donum creatum gratiæ vel charitatis, quo fiat vt & perfectiùs spiritum Dei habeamus, & perfectiùs filij Dei simus, & semper ad maiorem gloriam & perfectiorem Diuinitatis fruitionem ius habeamus.

Ab hac dignitate adoptionis prouenit ferè tota nostrorum operum æstimatio, & ratio meritorum: sine hac enim nullum opus est meritorium vitæ æternæ ex condigno. Etsi enim sit secundum se supernaturale, tamen hæc conditio non est talis, vt excellentiæ visionis beatificæ, & bonorum ei connexorum sit commensa & proportionata: infinitè enim excellentior est illa visio omnibus huius vitæ actibus & operibus. Sicut enim *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*: ita nec actiones, si earum conditio realis & physica spectetur. Illa enim sempiterna est & quauis substantia creata solidior; hæ *Vnde ratio meriti.* Rom. 8.

momentaneæ & fugaces: illa omne malum excludit, & omnis boni possessionem continet; hæ etiam cum peccatis, saltem venialibus, & miseriis huius vitæ consistunt: illa est in supremo gradu perfectionis, adeò vt non sit possibilis aliqua vitalis actio perfectior; hæ etsi absque fine crescant in suo ordine, numquam ad illam excellentiam poterunt pertingere, vt patet in cognitione Dei quæ vel ex creaturis, vel per fidem, vel per reuelationem Propheticam haberi potest. Itaque etiamsi omnia bona opera Sanctorum, quæ in hac vita fecerunt, colligantur in fasciculum, non tamen vni visioni beatæ & bonis illam consequentibus, vel in ratione perfectionis, vel in ratione meriti & iustæ mercedis, absque gratia & spiritu adoptionis, æquari poterunt. Vnde apparet quanta sit improportio nostrorum operum ad illam gloriæ coronam. Indicat hoc apertè D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 10. *Gratia*, inquit, *etiam ipsa* [glorificatio] *ideò non iniustè dicitur, quia non solùm donis suis Deus dona sua reddit; sed quia tantum etiam ibi gratia diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamuis bonæ & ex Deo datæ, humanæ voluntatis atque operationis excedat.*

Quomodo opera nostra sint supernaturalia.

Nec refert quòd opera nostra dicantur supernaturalia: quia sicut 80
multi sunt gradus naturalium, ita & supernaturalium. Opera autem nostra videntur esse in supernaturalium operum ordine infimo. Sicut enim inter naturas rationales nostra natura infimum locum tenet, ita quoque actus naturales intellectus ac voluntatis nostræ inter actus naturales intellectus ac voluntatis naturæ rationalis infimum gradum obtinent. Similis ergo erit proportio inter actus supernaturales, si istæ naturæ per gratiæ dona eleuentur & operentur. Etsi enim dona gratiæ habitualia, qua nos & Angeli eleuamur ad statum supernaturalem, sint eiusdem speciei; longè tamen perfectiùs Angeli his donis vtuntur quàm homines, ac proinde eorum actus magis sunt supernaturales, & veluti colore gratiæ magis tincti, quàm actus hominum. Cuius etiam signum est, quòd ipsi minimo temporis spatio amplius sint promeriti gloriæ, quàm nos plurimorum annorum tractu; quod in solam graduum intensionem referri non potest. Sic enim, verbi gratia, dilectio qua ipsi diligebant Deum, innumeris gradibus dilectionem qua homines Deum diligunt, superare debuisset; cùm tamen credibile sit, illum actum, si graduum multitudinem spectes, non superasse dilectionis habitum. Referendum itaque erit in substantialem perfectionem actus, in quem donum gratiæ ob perfectiorem sui vsum

& ap-

& applicationem in Angelis longè excellentiorem influxum habuit quàm in hominibus. Alia tamen fortè ratio est in visione beatifica, quæ pro diuersa perfectione potentiæ naturalis intellectiuæ non videtur variari quod ad claritatem attinet; qua de re diximus
81 in Tractatu De summo bono lib.2.cap.9. Quod autem nunc volumus, est, nullam supernaturalem conditionem, quæ ipsis operibus per se insit, sufficere, vt illa meriti condigni rationem respectu visionis beatificæ sortiantur. Itaque prouenit id maximè ex gratia adoptionis qua sumus filij Dei, diuino spiritu præditi. Cùm enim hæc gratia eleuet hominem in eam celsitudinem, vt visio beata ei iam sit debita, tamquam hereditas diuina Dei Filio: etiam ipsius operibus bonis hanc tribuit excellentiam, vt digna tanto præmio censeantur. quid enim aliud functionibus filij Dei dignè respondeat? Insinuat hoc Concilium Trident. sess.6.cap.16.cum ait: *Cùm enim ille ipse Christus Iesus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur; & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent; nihil ipsis iustificatis ampliùs deesse credendum est, quò minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfeciſſe, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur; cùm Christus Saluator noster dicat: Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Vbi per *virtutem quam Dominus influit*, intelligit non auxilium præueniens, aut gratiam congruam excitantem, vt quidam volunt; sed donum gratiæ habitualis, cui coniunctus est adoptionis spiritus. Quia auxilium præueniens, non est vna aliqua continuata virtus, nec iugiter infunditur, nec opus est vt singulos actus præueniat aut comitetur; nec singulos subsequitur, nec est necessarium vt opera sint meritoria. denique illud non est *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hæc tamen omnia optimè conueniunt in gratiam habitualem, quam Dominus iugiter influit, sicut sol iugiter lumen in aërem effundit, ob assiduam ex meritis & potentia Christi dependentiam. Ioan. 4.

Itaque dignitas nostrorum operum prouenit ab hac gratia, non quà præcisè est res creata, sed quà spiritum Christi nobis communicat & connectit. Videns enim Deus spiritū & Filij sui in nobis, delectatur obsequiis nostris, eaque magni æstimat, tamquam profecta

facta à filiis suis adoptiuis per spiritum adoptionis: sicut Rex longè pluris æstimat obsequium filij adoptiui (cui tamen suum spiritum communicare non potest) quàm famuli vel extranei, & maiore præmio dignum censet; idque tantummodò ex eo quòd illum iam acceptarit in filium. Cuius ratio videtur esse, quòd quò persona est excellentior vel charior, eò pluris æstimandum sit eius obsequium: quia per illud ipsa cum tota sua dignitate & amabili bonitate se illi subiicit, & in eius cultum ac honorem impendit. Vilitas autem personæ multùm detrahit operis æstimationi: similiter si parum sit grata ei cui defert obsequium. Itaque cùm esse filium Dei, eiusque præditum esse spiritu, tribuat homini summam excellentiam, faciatque Deo charissimum, fit vt opera eius & obsequia in Deum maximi æstimentur, & condigna censeantur vitæ æternæ remuneratione.

CAPVT XII.

De beneficio Thesauri perpetui meritorum Christi.

Septimum beneficium, Thesaurus meritorum.

SEPTIMVM beneficium est *Thesaurus perpetuus* & inexhaustus reconciliationis. Filius enim Dei ita negotium nostrum cum diuina iustitia composuit, vt non tantùm semel nobis peccatorum fieret remissio, nec semel dumtaxat restitueretur adoptio, & ius vitæ æternæ amissum; sed centies, imò millies, vel potiùs infinities; nempe quotiescumque contingeret relabi, & per veram pœnitentiam ad ipsum conuerti. quæ certè misericordia prorsus est inaudita & inæstimabilis. Quis vmquam Princeps ita fuit clemens aut misericors, vt paratus esset subitò ignoscere crimina læsæ Maiestatis, vel aliàs capitalia, quotiescumque illa quis committeret & veniam postularet? Vix enim reperias qui bis terve vni eidemque in huiusmodi noxas relapso indulserit. Imò neque vmquam parens in filium adeò fuit indulgens, vt semper in gratiam reciperet, quoties post nouæ scelera in ipsum patrata veniam peteret. At Deus non solùm semel indulsit, legem naturæ relaxans, & peccatum mortiferum natura sua incondonabile efficiens remissibile, & quodam modo veniale; sed etiam paratus est id millies facere: nec solùm est paratus remittere, sed etiam thesaurum infinitum meritorum & satisfactionum construxit, vnde copia nobis suppeteret exhibendi æquiualens noxæ, & omnem iniuriam sarciendi.

Magnitudo huius beneficij.

Hic

Hic est *fons patens domui Iacob in ablutionem peccatoris & menstruatæ*: hic est pretiosissimus thesaurus, ex quo nobis omnes diuitiæ spirituales & æternæ hauriuntur; hic est omnium bonorum inexhaustus oceanus. sine hoc nihil actum erat. Etsi enim vna remissio vnaque adoptio infinitæ sit æstimationis, parum tamen nobis profuisset, si semel tantùm vel bis potuisset nobis obtingere, adeò inconstans, infirma, & ad malum prona est voluntas nostra. Si angelis semel peccantibus, vel semel oblata fuisset facultas reconciliationis; infinitè id æstimassent, & infinito beneficio se putassent affectos. quanti nobis æstimandum erit, quibus sine fine peccantibus, sine fine, sine numero, sine limitatione offertur remissio, & constituitur thesaurus, vnde satisfaciamus tot debitis tam im-
83 mensis & infinitis? Ratione huius thesauri Christus dicitur *interpellare pro nobis, & esse noster aduocatus apud Patrem*. non semel aut bis vel decies aut centies, sed semper & assiduè: quia totum eius meritum semper est in conspectu Patris & totius Trinitatis, semper nobis misericordiam & gratiam flagitans. manet enim Christus apud Patrem in eadem benignissima erga nos mente, in qua fuit in hac vita, cupiens nobis sua merita secundùm ordinem diuinæ prouidentiæ prodesse. De hac interpellatione loquitur Apostolus ad Rom. 8. cùm ait *Christum Iesum qui est ad dextram Patris interpellare pro nobis*. & ad Hebr. 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis*. & S. Ioannes Epist. 1. cap. 2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum*. loquuntur enim de interpellatione & aduocatione illa in qua omnem fiduciam collocare debemus, quæ fit permerita & preces quas fecit in vita mortali, quæ semper manent in conspectu & acceptatione Dei: non autem per nouas aliquas preces quas offerat in cælo. In his enim fiduciam collocare non possumus, cùm de illis nihil constet. Talibus autem precibus ei opus non esse vt huic vel illi venia aut aliquod peculiare beneficium gratiæ præstetur, aut vt Sacrificium nostrum effectum habeat, ex eo constare potest, quòd ipsi post resurrectionem *data sit omnis potestas in cælo & in terra*: ac proinde maximè in iis quæ ad salutem hominum pertinent, quos ipse suo Sanguine sibi acquisierat. Itaque ipse per se sua ordinaria potestate omnia illa præstare potest, nec eget oratione: Sancti quia per se non possunt omnia, egent oratione vt nobis impetrent; vnde eos rogamus vt pro nobis orent, scientes nos alia ratione posse nobis prodesse: Christum autem nefas est rogare vt pro nobis oret, quasi ora-

Zachar. 13.

Rom. 8. 1. Ioan. 2.

Quomodo Christus interpellet pro nobis.

Non interpellat per nouas preces.

Matth. 28.

tione opus habeat sicut Sancti: sed rogandus vt misereatur, vt veniam, gratiam, & perseuerantiam donet. Accedit, quòd cùm esset in vita mortali & statu merendi, omnia illi in particulari præuisa, non solùm omnes homines nasciturі, sed etiam omnia illorum opera, omnes occasiones & circumstantiæ rerum quibus aliquod gratiæ beneficium erat conferendum; vnde in particulari poterat tunc mereri & petere vt sic omnia illa beneficia conferrentur. id autem reipsa fecisse ex eo colligimus, quia hoc est longè perfectius & accommodatius completæ redemptioni, quàm si modò opus esset illi nouis precibus apud Patrem.

Porrò *semper interpellat*, quia eius merita non possunt exhauriri, nec plene vnquam cõpensari, cùm sint infinitæ æstimationis. Merita Sanctorum non sic interpellant pro nobis, quia pro nobis non valent ex condigno, sed solùm pro ipsis, quibus iam plenè sunt compensata, excepta gloriosa Resurrectione, respectu cuius possunt dici interpellare. Vnde vt Sancti pro aliis impetrent, opus est noua prece, quam Deus intuitu meritorum priorum, & maximè meritorum Christi (sine quibus non habent preces illæ sufficientem dignitatem pro aliis) exaudit. Christus enim meruit vt preces quæ pro aliis fusæ non sunt condignæ ad obtinendũ bonum quod petitur, à Deo exaudiantur. Ad hanc interpellationem (humano more rem concipiendo) multum facit quòd Christus sit apud Patrem, & quòd semper viuat, non amplius moriturus. Vnde Scriptura has duas circũstantias notat. plus enim potest qui præsens est Regi, & in summa auctoritate, quàm qui absens, vel minoris dignitatis: & præsentia sui corporis in quo vestigia Vulnerum remanent, memoriam excitat eorum quæ gessit & perpessus est, & tacita ipsa specie petit mercedem. Similiter maior ratio haberi solet viuorum quàm mortuorum, & in viuo perseuerare potest pristinus amor & benigna affectio iuuandi. Hanc rem benè tractauit Gabriel Vasquez in 3. par. disput. 82.

Facilitas hauriendi ex thesauro Christi.

Ad cumulum huius effusissimæ misericordiæ accedit summa facilitas, qua hic thesaurus nobis applicatur & communicatur. Etsi enim longo labore, aspera pœnitentia, & multis cruciatibus corporis opus foret, nihil esset recusandum, nihil detrectandum; sed summis votis amplectendum quidlibet, ad tantum bonum obtinendum. Potuisset quidem, & meritò, diuina bonitas multas & diuturnas à nobis asperitates exigere, sed præ nimia dulcedinis suę abundantia noluit; verùm sola à nobis peccatorum displicentia 84

cum

cum proposito emendationis requisita, externas quasdã cerimonias numero pauciſſimas, vsu facillimas, virtute efficaciſſimas, forma decentiſſimas, ſignificatione ſanctiſſimas conſtituit, quibus hunc theſaurum, vnaque reconciliationem, adoptionem, & ius vitæ æternæ incluſit, vt eo ipſo quo cærimoniis illis vtimur, iſta omnia bona conſequamur. Cùm enim illę cærimoniæ externique ritus ex diuina ordinatione habeant annexa vel incluſa Chriſti merita, hoc ipſo quo illas vſurpamus, illa merita nobis donantur, & quodammodò fiunt noſtra, perinde ac ſi à nobis præſtita eſſent. *Sacramenta.*

85 His ditati, Primò quidem pro culpis omnibus mortiferis, & æterna pœna condignè ſatisfaciamus, omnem iniuriam Deo illatam ex æquo compenſantes. Omnis quidem noſtra ſatisfactio, & contritio, & dilectio, & quidquid demum à nobis etiam ex gratiæ auxilio præſtari poteſt abſque Chriſti merito coniuncto, infinitè abeſt ab ea dignitate & præſtantia, quæ culpæ letali & pœnæ æternæ par eſſe, & ex æquo reſpondere queat. Vnde per illa condignè ſatisfacere non poſſumus: verùm applicatione iſta per Sacramenta, ex theſauro meritorum Chriſti facta, nihil deeſt nobis quò minùs diuinæ iuſtitiæ condignam compenſationem (vtpote ipſius Chriſti ſatisfactionem nobis donatam) poſſimus exhibere. *Effectus Sacramentorũ. Primò, Satisfactio pro culpa & pœna æterna.*

Secundò, Digni efficimur adoptione diuina, qua in filios Dei adoptamur; qua obtenta, iam vitæ æternæ regnique cæleſtis ius habemus. *Si enim filij Dei, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti*, vt Apoſtolus ad Rom. 8. ait. Nullum opus creaturæ etiamſi ſupernaturale dicatur, ſi per ſe ſpectetur, tanti eſt pretij, vt hanc tam eximiam ſublimationem poſſit ex dignitate promereri. Solus Filius Dei, cuius meritum infinitæ æſtimationis fuit, potuit, qui etiam vt nos tanto bono digni efficeremur, ſuum meritum nobis communicauit. *Secundò, Adoptio.*

86 Tertiò, Meremur diuinam protectionem, qua nos tamquam filios protegat, & vſque in finem dirigat. Non enim ſatis erat peccata condonari, Deo reconciliari, in filios Dei & heredes adoptari; ſed oportebat præter omnia iſta, adeſſe nobis diuinã protectionem & directionem, per quam in finem vſque in ſtatu filiorum aduerſus omnes tentationes carnis, mundi & ſatanæ poſſemus perſeuerare. Hæc itaque cuſtodia & gubernatio diuina, ob idem Chriſti meritum nobis in Sacramentis collatum, eſt debita, non minùs quàm reconciliatio & adoptio. Hæc ſummatim ſunt bona, quæ immediatè *Tertiò, Protectio, & directio.*

mediatè ex Christi merito per Sacramenta summa facilitate consequimur, quorum singula infinitæ sunt æstimationis, vt ex iis quæ suprà dicta sunt, satis constat.

Benignum Dei cõsilium in Sacramentis instituendis.

87 Admiranda prorsus in hac re est diuina misericordia. Si enim ad huius thesauri applicationem & communionem, perfectam contritionem vel dilectionem Dei exegisset, sicut in veteri Testamento, pauci sanè Deo reconciliati & salui effecti fuissent: paucorum enim est ista tam perfecta animi comparatio, vtpote egens multo lumine, multa gratia excitante, multoque conatu naturæ. Itaque vt via salutis omnibus pateret faciliſque esset, & nemo asperitate remedij deterreretur; rudi & imperfecta animi dispositione contentus, thesaurum istum externis quibusdam ritibus, quorum vsus cuilibet facilis sit & expeditus, includit; adeò vt nemo sit qui non facilè Deo reconciliari, & amissam salutem æternam, quamdiu est in hac vita mortali, recuperare possit; nec quidquam excusationis possimus prætendere, si à salute exciderimus.

Discrimen nouæ Legis & veteris.

88 Atque in hoc maximè sita est nouæ Legis præstantia & discrimen à Lege veteri. Etsi enim Lex noua præstet veteri, notitiæ perfectione, quòd in ea per Christi doctrinam sit clarior & distinctior rerum diuinarum, Messiæ, & ceterorum ad salutem pertinentium cognitio, quàm fuerit in veteri; tamen hæc non est primaria eius commendatio. Nulla enim notitia, nulla fides, quantumuis magna, vi sua à peccatis liberare potest. Principalis itaq; nouæ Legis dignitas in eo sita est, quòd vim habeat delendi peccati, & reconciliandi Deo, restituendæque adoptionis & dignitatis amissæ, qua vi caruit Lex vetus. Hanc autem vim habet, quatenus continet Sacramenta, præscribitque illas cærimonias & ritus externos, quibus thesaurus meritorum Christi est inclusus, nobisque applicatur & communicatur. Sanè nulla alia apparet ratio, qua Lex noua gratiam conferat, præter istam. Tolle Sacramentorum vsum, noua Lex non magis habet vim iustificandi quàm vetus: loquor de Lege externa, non de spiritu dilectionis, quem interdum D. Augustinus *nouam Legem* vocat. verùm & hic Spiritus per Sacramenta confertur. Præcipuum itaque Legis nouæ beneficium in Sacramentorum ratione, quibus thesaurus ille diuinus meritorum Christi inclusus nobis communicatur, situm est. Vnde etiam diabolus hoc probè sciens, tanto studio per suos ministros hæreticos Sacramenta nititur euertere & exterminare.

Præcipua dignitas nouæ Legis.

89 In Lege veteri nulla erat externa cærimonia, qua Christi satisfactio

ctio & meritum applicaretur, quia nondum erat reipsa exhibitum, sed solùm promissum. Itaque sola fide & spe apprehendi poterat, quorum actuum interuentu, accedente simul contritione, applicabatur ad iustificationem; vel potiùs Deus, intuitu solutionis & satisfactionis per Christum exhibendæ, dispensatoriè & ex benignitate peccata condonabat, & iustitiam impertiebat. Cùm enim natura rerum postularet, vt priùs exhiberetur satisfactio pro culpa & iniuria in Deum commissa, quàm peccator reciperetur in gratiam; Deus contraria ratione vsus, in hac naturæ lege dispensauit; & propter satisfactionem Christi futuris temporibus exhibendam, peccatores fide & spe ipsum apprehendentes sibi reconciliauit; priùs impertiens præmium, quàm oblatum esset meritum; priùs condonans culpam, quàm rogata pro nobis esset venia; & priùs laxans captiuum, quàm exhibitum aut promissum esset lytron. Itaque cùm merita Christi nondum essent reipsa, non poterant ita donari, & per externa elementa applicari, nec homines per illa digni fieri reconciliatione, sicut in nouo Testamento, quando reipsa sunt præstita, & in acceptatione diuina, veluti pecunia numerata & repræsentata in ærario Principis, manent reposita.

Cur Lex vetus non iustificaret.

Quomodo veteres iustificati.

90 Dices: Merita Christi sunt infiniti valoris; ergo si illa nobis donantur, debetur nobis infinitum præmium, vel saltem omnibus æquale, & æqualis omnium erit dignitas apud Deum, qui Sacramentorum sunt participes. Respondeo, Id non sequi; quia etiamsi nobis illa merita tota donentur, non tamen ita, vt totam vim suam in nobis exerant, sed secundùm certam mensuram diuinitus præscriptam, & iuxta dispositionem cuiusque. Quidquid enim recipitur in aliquo, iuxta suscipientis dispositionem & capacitatem recipitur. Sicut etiam Spiritus sanctus donatur omnibus qui iustificantur, & illum habendo efficiuntur filij Dei, non tamen omnes æquè sunt sancti; quia etiamsi totum singuli habeant, non tamen æquali modo, sed alij perfectiùs, alij minùs perfectè. Sic etsi omnes Beati totum Deum videant, non tamen omnes æquè sunt beati; quia non æquè perfectè illum vident. Sic etiam in rebus humanis eadem res perfectiùs & pleniùs haberi ac possideri potest, vel minùs plenè, iuxta modum & mensuram à donante præscriptam, & donatarij capacitatem. Simili ergo modo Christi meritum perfectiori vel minùs perfecto modo applicari, communicari, & haberi potest, etsi totum singulis communicetur.

Obiectio.

An meritum Christi habeat in nobis effectum infinitum.

91 Itaque quamuis infinitum sit, potest tamen non infinitè com-

Meritum Christi ad duos effectus communicatur, & qui discrimine.

municari. Communicatur autem ad duos potissimùm effectus, ad *remissionem peccatorum*, & ad *adoptionem filiorum*. Ad priorem effectum communicatur quodammodò infinitè & absque mensura: nam ita nobis datur, vt eius communione efficiamur digni remissione omnium peccatorum, etiam infinitorum, si infinita à nobis commissa forent. Satisfacimus enim per illud pro omnibus peccatis, saltem quoad culpam & pœnam æternam: pro pœna tamen temporali non semper; vnde quoad hanc est limitatio in applicatione: sed id prouenit ex insufficientia & imperfectione nostræ dispositionis, non ex circumscriptione aut defectu virtutis meriti Christi Sacramento annexi.

Ad posteriorem non ita applicatur vt efficiamur Deo infinitè grati, & digni infinito quodam adoptionis gradu, sed secundùm certum modum diuinitus limitatum, & prout dispositio maior vel minor in nobis fuerit. Itaque meritum Christi, vt satisfactio, habet effectum in nobis quodammodò infinitum, quia respondet infinitis peccatis, illa ex æquo compensans & excedens: vt verò est meritum bonorum supernaturalium, habet effectum magis limitatum. Cùm enim hæc communicatio meritorum non physicè (sicut in Christo) sed moraliter fiat per imputationem & acceptationem, tota pendet in suis effectibus ex ordinatione sapientiæ diuinæ, Sacramenta sic vel sic instituentis, & merita Christi diuersis modis annectentis. Continent quidem omnia Sacramenta meritum Christi infinitum, sed illud applicant ad maiorem vel minorem effectum, pro ratione dispositionis: quamuis ea quæ perfectiora & digniora sunt, ceteris paribus, ad eamdem dispositionem maiorem gratiæ effectum conferant.

CAPVT XIII.

De venerabili Eucharistiæ beneficio, vt est Sacrificium: & quomodo peragatur.

Octauum beneficium, Eucharistia.

OCTAVVM opus diuinæ misericordiæ est *sacratissimæ Eucharistiæ mysterium*. Hoc beneficium est prorsus admirabile, & maximè declarat immensam Dei in nos benignitatem & misericordiæ abyssum, non minùs quàm beneficium Incarnationis. Occuluit enim seipsum totum, corpus, sanguinem, animam cum omnibus donis & gratiis cælestibus, cumque tota Diuinitate sua modo 92

do incomprehensibili sub speciebus panis & vini, nobisque hoc totum donauit tum in *iuge sacrificium*, tum in quotidianum *alimentum immortalitatis*. Suam Diuinitatem antèa nostræ naturæ copulauerat, in hac se nobis socium, Doctorem, Ducem, Redemptorem, pretium seu lytron præstiterat; se ad omne genus contumeliarum, dolorum, acerbitatum, ad flagella, sputa, blasphemias, crucem & mortem tradiderat; se totum in nostram salutem impenderat & expenderat; sed hæc omnia illius amori & misericordiæ visceribus satis non fuere, nisi alio adhuc nouo, stupendo, omnibusque sæculis inaudito modo se totum nobis in Eucharistia relinqueret: vt quamuis visibilem præsentiam suæ humanitatis transferret in cælum, eamdem tamen nobis inuisibili modo, realiter tamen & substantialiter, relinqueret in terra, vt semper nobiscum in hac mortali vita & in nobis esse, nos solari, & spiritum suum in nos transfundere assiduè posset. O infinitum bonitatis & misericordiæ pelagus! ô incomprehensibile pietatis mysterium! quæ mens vel Angelica tale aliquid vel ab infinita bonitate expectare potuisset?

Eucharistia data in Sacrificium, & in Alimentū.

93 Reliquit seipsum in Sacrificium, omnibus aliis sacrificiis & hostiis abolitis. Cùm enim hæc hostia sit infinitæ dignitatis, & Deo infinitè grata, & omnium aliorum sacrificiorum perfectionem & vim eminentissimè contineat, non decebat alia sacrificia in noua Lege cum illa copulari. Itaque vnius huius Sacrificij perfectione, vt S. Leo ait, omnes aliarum hostiarum differentias impleuit. Sed breuiter hic explicandum, in qua actione hoc Sacrificiū consistat,

Reliquit se in Sacrificiū.

Serm. 8. De Passione.

94 & quomodo peragatur. Quidam putant, hoc Sacrificium consistere in oblatione illa verbali, quæ fit post consecrationem his verbis: *Vnde & memores Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta tam beatæ passionis*, &c. *offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam*, &c. per *consecrationem* verò non fieri oblationem, sed hostiam constitui in altari. Vnde illorum sententiâ ita se habet *consecratio* ad hoc Sacrificium, sicut *Incarnatio* ad sacrificium crucis. Sicut enim Incarnatio non erat sacrificatio, sed per eam fiebat hostia, quæ posteà in cruce erat offerenda: ita per *consecrationem* fieri hostiam, quæ statim in Missa illis verbis consecrationem sequentibus offeratur. Sed hæc sententia non videtur S. Scripturæ & sanctis Patribus consentanea: iisdem enim verbis & eadem actione nunc debet fieri oblatio, quibus facta est à Domino, vt apertè colligitur ex illis verbis, *Hoc facite in meam com-*

In qua actione consistat Sacrificium.

commemorationem. Illis enim præcipit suum Corpus & Sanguinem offerri eo modo quo ipse obtulerat, vt docet Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. atqui ipse obtulerat sola consecratione: nam statim post consecrationem subiunxit illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem.* nec vsus erat illa verbali oblatione: ergo nec modò pertinet illa ad substantiam oblationis, seu Sacrificij; sed solùm illis verbis indicatur quid ipsa consecratione fiat; sicut si Sacerdos in veteri Testamento, iugulato agno dixisset: Offerimus tibi Domine hunc agnum. Confirmatur: Quia per illam actionem fit sacrificium, per quam fit repræsentatio sacrificij crucis (nam ideò institutum est hoc sacrificium, vt per illud sacrificium crucis repræsentaretur, vt apertè docet Concil. illo cap. 1.) atqui repræsentatio sacrificij crucis fit per consecrationem qua Corpus & Sanguis seorsim constituuntur, non per illam verbalem oblationem: ergo, &c. Idē apertè docet Gregorius Nyssenus Oratione prima De Christi resurrectione: *Cùm Corpus suum discipulis congregatis edendum, & Sanguinem bibendum præbuit: tunc apertè declarauit agni sacrificiū iam esse perfectum.* Rationē adfert: *Quia victimæ corpus non est idoneū, si animatum sit. quare cùm Corpus edendum & Sanguinē bibendum dedit, iam victima arcano & inuisibili modo erat immolata.* Idem docet Irenæus lib. 4. Contra hæres. c. 32. Gregor. Magnus lib. 4. Dial. c. 18. Auctor Sermonis De Cœna Domini, sub nomine Cypriani, & alij multi.

Itaque non videtur dubitandum, quin hoc Sacrificium consistat in consecratione. Verùm, qua ratione consecratio habeat rationem sacrificij, non ita facile est explicatu. Duobus modis id concipi potest. Primo, Vt consecratio censeatur actio sacrificandi, quatenus per eam mutatur & conuertitur substantia panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi. quem modum explicuimus lib. 2. De iustitia cap. 38. dub. 2. Secundo, quatenus per illam Christus mystico quodam modo occiditur, dum per modum hostiæ occisæ seorsim vi verborum Corpus & Sanguis in altari exhibentur. & hic modus est facilior intellectu, magisque respondet ordinario sacrificandi modo, qui supponit hostiam, non producit.

Duobus modis concipi potest Sacrificium consistere in consecratione.

Iuxta hunc modum, peragitur hoc Sacrificium non malleo vel gladio materiali, vt olim vetera sacrificia; sed gladio verbi Dei, qui est omnipotens. Sicut enim olim fiebat sacrificium, quando gladio occidebatur hostia, nempe agnus, vel vitulus, & sanguis separabatur à carne: ita nunc fit Sacrificium, quando vi verborum consecrationis, Corpus & Sanguis Christi ponuntur seorsim tam-

Verba consecrationis sunt instar gladij quo hostia mactatur.

tamquam rei occisæ & immolatæ, Corpus sub specie panis, & Sanguis sub specie vini. Vnde verba consecrationis sunt instar gladij; Corpus Christi, quod nunc est in cælo viuum, est instar hostiæ viuæ & immolandæ; Corpus vt positum sub specie panis, & Sanguis sub specie vini se habent vt corpus & sanguis agni nunc immolati. Vnde se habent vt terminus immolationis seu actionis sacrificandi.

96 Hinc species panis & vini non habent se vt pars hostiæ viuæ vel immolatæ; non enim illæ offeruntur Deo per actionem sacrificandi: sed sunt quiddam necessarium ex parte termini immolationis, nimirum vt corpus & sanguis hostiæ possint ex vi verborum separatim poni, tamquam partes hostiæ immolatæ. Hæ tamen species pertinent ad rationem Sacramenti Eucharistiæ, quod constat specie externa visibili, & interna substantia Corporis & Sanguinis Christi ibi inuisibiliter latente. De ratione enim Sacramenti est, vt sit res vel cærimonia per se sensibilis, habens vim sanctificandi suscipientem: de ratione verò hostiæ non est vt per se sensibilis sit, quia Deo offertur, cui nihil occultum; sed sufficit vt per aliud cui subest, nobis sensibilis fiat, vt sciamus ibi eam latere, & possimus eam contrectare. Pari modo extrinseca est huic hostiæ & sacrificio substantia panis & vini: quia hæc non offeruntur Deo instar hostiæ, sed vt materia hostiæ, vel sacrificij, non permanens, sed transiens, vel potiùs vt sub illis speciebus hostia per immolationē seu actum sacrificandi constituatur. Vnde nec ipsa conuersio substantiæ panis & vini, qua parte continet desitionem ipsarum, ad essentiam huius Sacrificij pertinet: quia posset fieri Sacrificium, etiamsi substantia panis & vini maneret, si Deus ita instituisset. Tunc tamen non fieret iisdem planè verbis quibus modò. manente enim substantia panis, falsum esset, *Hoc est Corpus meum*. sed dicendum esset: *Hic est Corpus meum*: *Hic est Sanguis meus*, id est, sub pane & vino. qua institutione posita, ex vi verborum ponerentur ibi Corpus & Sanguis seorsim tamquam partes hostiæ occisæ & immolatæ: & ita esset idem Sacrificium quod modò. Conuenientius tamen fuit ita institui, vt substantia panis & vini desineret esse, & in eorum locum succederet Corpus & Sanguis Christi, ne alia aliqua substantia rebus tam diuinis quasi misceretur, & simul sub illis speciebus existeret. Idem quoque necessarium fuit, vt per istas species aptè & propriè possent designari. Si enim substantia panis & vini maneret, non rectè diceretur: *Hoc est Corpus Christi:* vel, *Hoc est San-*

Species panis & vini non sunt pars hostiæ.

Pertinent tamen ad rationem Sacramenti.

Substantia panis & vini non pertinet ad rationem hostiæ vel Sacrificij.

guis Christi. Nam externæ illæ ſpecies propriè ſolùm deſignarent ſubſtantiam panis & vini, cuius ſunt naturalia accidentia & ſigna; non autem Corpus & Sanguinem Chriſti, quæ ſolùm ibi laterent ſub panis & vini ſubſtantia; ſicut anima ſub ſubſtantia carnis, vel ſicut dæmon in homine quem poſſidet.

97 Nec obſtat veritati huius Sacrificij, quòd non fiat reipſa ſeparatio ſanguinis à carne: quia id eſt quaſi per accidens, propter concomitantiam partium. Nam quantum eſt ex vi verborum fit vera ſeparatio, & ſub ſpecie panis ſolum ponitur Corpus, non Sanguis: ſub ſpecie vini, ſolus Sanguis, non Corpus. Et hoc ſufficit ad rationem huius Sacrificij: tum vt ſit verum Sacrificium (ſit enim circa hoſtiam, dum ſic ponitur, ſufficiens mutatio, qua proteſtemur Deum habere ſupremam in omnia poteſtatem;) tum vt ſit Sacrificium commemoratiuum, repræſentans nobis ſacrificium crucis & mortem Domini. Qui plura hac de re deſiderat, legat Gabrielem Vaſquez in 3. part. diſp. 222.

Eſt hic ſufficiens mutatio ad rationem Sacrificij repræſentatiui.

CAPVT XIV.

Ad quid datum ſit nobis hoc Sacrificium, & quantam vim habeat.

98 DATVM eſt autem hoc Sacrificium potiſſimùm ad quatuor. Primò, Ad dignitatem Religionis Chriſtianæ. Cùm enim hæc Religio ſit eminentiſſima, decuit etiam illam ornari, vel potiùs perfici eminentiſſimo Sacrificio.

Primò, Conceſſum ad dignitatem Religionis.

Conſiſtit excellentia Religionis Chriſtianæ potiſſimùm in ſeptem rebus. Primò, In *ſublimitate & certitudine doctrinæ.* Tradit enim certiſſima & eminentiſſima de natura diuina, de perſonarum proceſſionibus, de prouidentia, iuſtitia, miſericordia Dei, de mundi creatione & gubernatione, de finibus bonorum & malorum, de recta ſalutis via: quæ omnia Philoſophis & aliis religionibus fuere prorſus incognita, vel incerta & ambigua. Secundò, In *perfectione & ſanctitate Legis.* Vetat enim Lex Chriſtiana omne vitium quantumuis paruum, quantumuis à Philoſophis pro non vitio habitum; & dirigit ad ſummam perfectionem, vt ad contemptum rerum caducarum, ad ſtudium æternorum, ad amorem Dei, ad dilectionem inimicorum, ad reddendum pro malo bonum, ad ponendam vitam pro honore Dei, pro ſalute proximi, & quouis virtutis

Excellentia Religionis Chriſtianæ in ſeptem rebus ſita.

virtutis officio. Vtrumque insinuat Propheta Psalm. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas. Immaculata*, quia nullum omnino peccatum permittit, sed omnia omnino prohibet. *Conuertens animas*, quia omnis conuersio incipit à diuinæ Legis consideratione, & ad eam terminatur. Philosophi & aliæ religiones multa vitia & peccata vel ignorarunt, vel tamquam licita permiserunt. Tertiò, In *præstantia & efficacitate Sacramentorum.* Habent enim vim delendi peccati, & constituendi nos filios Dei, heredesque æterni regni. Nulla vmquam religio cærimoniam aliquam habuit, quæ animos expiare, & cælestibus bonis ornare posset.
99 Quartò, In *excellentia Sacerdotij.* Nam Sacerdotium nostræ Religionis continet duplicem potestatem prorsus diuinam, ac etiam cælestibus spiritibus stupendam; nimirum, potestatem condonandi peccata, & consecrandæ Eucharistiæ, vt omittam aliorum Sacramentorum ministerium. Quanta res est, posse condonare peccata, liberare à morte æterna, sanctificare animas, efficere filios Dei, & tribuere ius vitæ æternæ? Quis hæc possit, nisi Deus ipse, vel diuina auctoritate præditus, cui Deus suum locum, suas vices, & suum veluti tribunal supremum concesserit? Magna potestas est posse illuminare cæcos, erigere claudos, excitare mortuos: sed longè maior potestas est posse illuminare animas, easque intus ita immutare, vt deiformes, & planè similes Diuinitati efficiantur, expulsa peccati caligine & morte. Potestas consecrandi etiam magis est stupenda, & meritò cum potestate creandi conferri, eique æquiparari potest, vt infrà patebit. Nulla itaque dignitas, nulla potestas siue Regia, siue Imperatoria, nec ipsa quidem totius mundi Monarchia cum Sacerdotali potestate & dignitate vlla ex parte conferri potest. Quintò, In *excellentia Sacrificij.* Sacrificium enim est primarium Religionis munus, vel potiùs complementum. Itaque decebat vt excellentissima Religio, qua nulla alia perfectior aut sublimior esse potest (quæ quidem naturæ humanæ sit accommodata) nobilissimum haberet Sacrificium, quale est Sacrificium Eucharistiæ, à quo ipsa Religio præcipuam suam excellentiam habet. Sextò, In *perpetua assistentia & gubernatione diuini Spiritus*, quo ita regitur & protegitur Ecclesia, vt neque in dogmatibus neque in legibus possit errare, aut vmquam deficere & extingui, iuxta illud Matthæi 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* & Matthæi 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Septimò, Quòd *omnia bona opera iustorum faciat esse meritoria*

ria vitæ æternæ. Ita statuit Dominus mera sua benignitate & liberalitate. potuisset enim aliter ordinare, nimirum, vt non essent meritoria, sed solùm satisfactoria; vel vt sola excellentissima essent meritoria. Totum enim negotium meritorum & præmiorum, gratiæ & gloriæ, sicut & remissionis peccatorum, non oritur ex naturis rerum earumque iusta proportione, aut lege naturæ (etsi huic aliquo modo consonum sit) sed ex libera, benigna, & liberali ordinatione Dei. Hæc obiter de excellentia nostræ Religionis, quam potissimùm illustrat hoc Sacrificium.

Secundo, conceſſum Sacrificium Ad gratiarum actionem.

Secundò datum est hoc Sacrificium Ad *gratiarum actionem,* vt 100
habeamus quo dignas Deo gratias perpetuò agamus pro ingentibus ipsius in nos beneficiis, maximè redemptionis. Tanta enim beneficiorum eius immensitas, tam insolitæ & inauditæ omnibus sæculis miserationes, singularem quoque & inauditam gratiarum actionem à nobis postulabant. At nulla poterat esse maior aut præstantior gratiarum actio, quàm quæ oblatione huius Sacrificij perficitur: partim quia nihil præstantius aut gratius pro omnibus beneficiis acceptis offerri Deo poterat, iuxta illud Psal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo:* partim quia nulla alia re magnitudinem beneficiorum eius magis commemorare ac referre poteramus. Testamur enim ipsum esse auctorem redemptionis & salutis nostræ, ipsum misisse Filium in carnem ad nos saluandos, & bonis omnibus cumulandos; ipsius voluntate pro nobis mortem suscepisse: ipsam quoque mortem Filij in eo Sacrificio commemoramus, & veluti ob oculos ponimus, dum Corpus & Sanguis seorsim sub specie panis & vini, tamquam hostiæ occisæ & immolatæ, vi consecrationis constituitur: iuxta illud Domini mandatum, *Hoc facite in meam commemorationem,* hoc est, vt Apostolus 1. Corinth. 11. explicat, in commemorationem meæ mortis & sacrificij cruēis. Hac ratione istud Sacrificium vocatur *Eucharisticum sacrificium,* id est laudis & gratiarum actionis, & respondet holocaustis veteris Legis.

Tertiò, Ad impetrandum auxilium gratiæ.

Tertiò, Ad impetrandum *auxilium gratiæ diuinæ,* protectionis, 101
excitationis, directionis (hoc enim triplex auxilium est necessarium ad perseuerandum) & alia tum temporalia tum spiritalia beneficia ad salutem opportuna, vt ad pacem, victoriam, frugum abundantiam, sanitatem, negotiorum felicem exitum, & similia. Ad hęc enim omnia à Deo obtinenda, maximam vim habet istud Sacrificium,

cium, sed maximè ad auxilium diuinæ gratiæ, quia per se & directè ad salutem tendit. Alia non sunt absolutè petenda, sed solùm quatenus ipse nouit ea nobis fore ad salutem conducibilia. Hæc omnia tum ex sacro Canone Missæ, tum ex aliis Ecclesiæ precibus sunt manifesta. hac ratione hoc Sacrificium respondet hostiis pacificis veteris Legis.

102 Quartò, Ad *veniam peccatorum impetrandam* tum viuis tum defunctis, & ad iram diuinam placandam, flagellaque mundo impendentia auertenda; qua ratione est *Sacrificium hilasticon*, seu propitiatorium, & respondet hostiæ pro peccato. Remissa culpa & pœna æterna per Sacramenta, & etiam culpis venialibus delictis, sæpè ingens debitum pœnæ temporalis restat luendum. Ad hoc in primis valet istud Sacrificium: applicat enim satisfactionem Christi, qua debitum illud soluatur & compensetur. Vnde non requirit vllam realem in eo pro quo offertur mutationem: nam condonatio pœnæ absque vlla hominis mutatione, postquam voluntas à culpa recessit, commodè fieri potest. Non enim fit per infusionem donorum, aut aliquam internam hominis renouationem, vt remissio culpæ, saltem mortiferæ, & fortè etiam venialis; sed per nudam condonationem extrinsecam, exhibita per aliquem pro reo congrua solutione. Delet etiam culpam, non tamen immediatè & sine mutatione peccatoris, sicut delet reatum pœnæ; sed mediante contritione ad quam per hoc Sacrificium impetratur auxilium excitans, vt docet Concilium Trident. sess. 22. c. 2. p. 2. *Huius*, inquit, *oblatione placatus Dominus, gratiam* (excitantem) *& donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. vna enim eademq; est hostia*, &c. Hoc modo per istud Sacrificium fit remissio culpæ, non aliter: quia ad remissionem culpæ opus est pœnitentia.

Quartò, Ad veniam obtinendam.

Quintò, Habet etiam vim flagella temporalia, quæ peccatis hominum prouocantur, amoliendi, & vt ita dixerim, auerruncandi. Si enim id precibus Sanctorum sæpè obtineri potest, quantò magis hoc Sacrificio, in quo id quod præ omnibus Sanctis Deo est acceptum, & ipse fons sanctitatis cum omnibus suis meritis offertur? Si vnica huius hostiæ oblatione Deus mundo perdito est reconciliatus, & flagellum æternæ damnationis illi impendens, amotum; mirum non est, si ob eamdem hostiam sæpius oblatam, mundo iam reconciliato sæpè parcat, & flagella temporalia, quæ in multorum perniciem cederent, vel omnino condonet, vel temperet, vel suspendat ac differat.

Quintò, Ad flagella auertenda.

Sextò denique, valet ad succurrendum aliis vitæ humanæ necessitatibus, vt docet Concil. Trid. suprà: & constat tum ex vsu Ecclesiæ, tum exemplis variis.

Fructus Sacrificij latissimè patet.

Quàm verò latè pateat huius Sacrificij fructus, vel ex eo intelligi potest, quòd offeratur pro tota Ecclesia militante, & pro omnibus fidelibus defunctis. Nam in oblatione panis dicitur: *Suscipe sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam tibi offero pro omnibus fidelibus Christianis viuis & defunctis, vt mihi & illis proficiat ad salutem in vitam æternam.* vbi per *immaculatam hostiam* non intelligitur *panis*: quia panis non est immaculatus ea puritate quæ Deo placeat: neque dici potest hostia, quæ rem viuam designet: sed intelligitur Corpus Christi, quod statim ex pane fiet. Itaque tantæ est virtutis hæc hostia oblata, vt omnibus prodesse possit. Et in oblatione calicis: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, vt in conspectu diuinæ maiestatis tuæ pro nostra & totius mundi salute ascendat.* Et in prima Oratione Canonis dicitur offerri pro *Ecclesia Catholica*, & *omnibus Orthodoxis*, item pro *omnibus Sacrificio præsentibus.* Et in secunda Oratione post consecrationem, pro *omnibus in Christo quiescentibus.*

Non solùm orationes, sed ipsum Sacrificium fit pro Ecclesia.

Ex quibus manifestum videtur, non solùm orationes pro Ecclesia, pro viuis & defunctis, & pro assistentibus Sacrificio fieri in Missa, sed etiam ipsum Sacrificium offerri pro iisdem, & fructum qui ex vi Sacrificij quasi ex opere operato prouenit, ipsis communicari: ac proinde hûc fructum amplissimum esse, & latissimè patere. Quod etiam colligi potest ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. vbi dicit, *fructus oblationis cruentæ*, quæ peracta est in cruce, *vberrimè per hanc oblationem percipi.* At quomodo vberrimè percipiuntur isti fructus, si totus fructus quem vi sua habet, restringitur ad eum pro quo peculiariter offertur? Sacramenta instituta sunt ad sanctificandos singulos per realem & externam applicationem singulis factam: at hoc Sacrificium, cùm vnicum sit & publicum Ecclesiæ Sacrificium, principaliter institutum est pro bono communi, & ipsa Ecclesia, cui applicatur ordinatione & præscripto Ecclesiæ in Liturgia expresso, cui Sacerdos se debet accommodare. Vnde in Canone dicitur: *In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica*, quasi bonum Ecclesiæ principaliter in hoc Sacrificio intendatur. Deinde recensentur à Sacerdote illi, pro quibus ipse peculiariter intendit offerre. Quòd si, quando Sacrificium pro aliquo priuatim

Sacramenta instituta pro singulis, Sacrificium pro bono communi.

uatim offertur, nullus fructus istius oblationis, quem vi sua habet, perueniret ad Ecclesiam, vel defunctos, vel circumstantes, sed solus fructus precum; valdè angustus esset huius Sacrificij fructus, & parum commodi ex eo Ecclesia & defuncti perciperent. Tenetur itaque Sacerdos, accommodando se intentioni Ecclesiæ, etiam pro bono Ecclesiæ & defunctorum ipsum Sacrificium offerre, eiusque fructũ, quem habet vi sua, & quasi ex opere operato, iuxta intentionem Ecclesiæ ipsis applicare. Non tamen hinc sequitur, hac ratione futurum, vt nihil remaneat fructus, quod possit applicare huic vel illi, pro quo peculiari intentione offert: quia non ita potest applicari ab homine Ecclesiæ vel defunctis, vt nihil supersit; quia etiam pro priuatis viuorum necessitatibus est institutum, ita vt si illis peculiariter applicetur, etiam peculiari modo prosit. Simili modo non ita potest applicari priuatis, vt nullus fructus remaneat qui possit applicari Ecclesiæ vel defunctis: fructus enim Sacrificij tam amplus est, vt omnibus istis possit prodesse; & ita à Deo distributus, determinatus & taxatus pro causis tum communibus tum priuatis, habita ratione dispositionis personarum & communitatum pro quibus offertur, vt Sacerdos sua intentione non possit mutare, vel totum in vnum confundere. Etsi enim ex ipsius intentione pendeat, vt pro his vel illis fiat oblatio; tamen non pendet ex ipsius intentione determinatio fructus, quem quisq; debet percipere. Alioquin vno Sacrificio posset quamuis animam liberare: imò, inquit Gabriel Vasquez ex Antonio de Corduba, totum Purgatorium euacuare. Vasquez in 3.p.disp.131 n.50.

104 Hinc colligunt multi DD. hoc Sacrificium vim habere quodam modo infinitam, quia non est determinatum ad certum numerum personarum. Siue enim loquamur de viuis in Ecclesia, siue de defunctis, siue de assistentibus Sacrificio; non minùs quisque particeps est fructus illius dum plures sunt, quàm cùm pauciores: nec plus ad singulos peruenit cùm pauciores sunt, quàm cùm plures. Nisi enim ita res se haberet, non rectè Ecclesia præscriberet pro istis omnibus offerri: neque consultum esset interesse Sacro, vbi plurimi conueniunt; sed potiùs quisque deberet curare vt interesit vbi pauciss imi, vel nulli, vt totum fructum circumstantibus deputatum habeat: quæ tamen aliena sunt ab vsu Ecclesiæ. Itaq; quando generatim offertur pro aliqua multitudine, valdè credibile, non minùs fructus ex vi huius Sacrificij peruenire ad singulos, siue pauci sint in ea multitudine, siue multi. Idem non improbabiliter sen- *Habet quedam modo vim infinitã.*

tiunt

tiunt iidem Doctores de illis pro quibus non generatim, sed peculiari intentione offertur (qui modus offerendi est efficacior pro singulis, quàm modus offerendi in genere; quia fit perfectior applicatio, & petitur vt singulari modo ipsis præ reliquis prosit.) Singulos enim, etiamsi plures sint, verbi gratia tres, quatuor, vel quinque, non minus fructus ex vi Sacrificij percepturos, quàm si pro ipsis solis oblatum fuisset. Ita Vasquez suprà, & Caiet. in 3.p.q.79.a.5.vbi dicit, idem docere S. Thomam, quia docet, hoc Sacrificium ex se sufficere ad delendam qualemcumque pœnam peccatis debitam: tamen singulis prodesse secundùm propriam dispositionem. Eamdem doctrinam tradit Caiet. tom. 2. Opusculorum, tractat. 3. q. 2. Eamdem tenent Antonius de Corduba, Ruardus Tapper, & multi recentiores, vt refert Vasquez. Illi autem pro quibus hoc modo offertur, singuli percipiunt fructum ex vi Sacrificij secundùm propriam dispositionem. Optima autem dispositio est status gratiæ cum peculiari deuotione & cooperatione ad hoc Sacrificium.

Non posse plura stipendia idcirco percipi.

Hinc tamen non sequitur, posse Sacerdotem plura stipendia 105
pro vno Sacrificio accipere: quia qui pro se curat Sacrificium offerri, totum fructum expectat, quem Sacerdos per Sacrificium conferre potest, iuxta receptum in Ecclesia morem: ac proinde non solùm expectat fructum quem habet Sacrificium per se, sed etiam quem habet ex deuotione offerentis, & ipsa actione liturgica, qui fructus in plures distributus minuitur. Addo, quando Sacerdos pro aliquo, vel certa aliqua causa offerre tenetur, non debet sequi opiniones incertas, sed meliori modo quo potest, salua Ecclesiæ ordinatione, fructum Sacrificij applicare. Qui plura desiderat, consulat Auctores, qui ex professo hæc tractant. non enim mei instituti est hæc minutè persequi.

CAPVT XV.

De venerabili Eucharistia, vt est alimentum & Sacramentum.

Non solùm in *Sacrificium* seipsum Dominus nobis in Eucha- 106
ristia reliquit, sed etiam in *alimentum*; non quod nos in nostram mutaremus substantiam mortalem, sicut alimenta terrena, & sicut manna, quod datum Israëlitis in deserto (cùm ipse sit immutabilis) sed quod nos in se quodammodò conuerteret, & ad suam

suam traheret qualitatem, immortalitatis donum communicando. Sicut enim potentissimum aliquod medicamentum intus assumptum à natura vinci nequit, sed eam victam & domitam sibi assimilat, suas ei proprietates impertiens: ita Corpus Domini in Eucharistiæ mysterio à nobis intrò assumptum, non potest à nostra natura mutari, sed sua vi corpora nostra immutat, suas ei proprietates, immortalitatem, claritatem, subtilitatem, & agilitatem inserens. Quod vt Dominus nobis inculcaret, sæpiùs Ioan. 6. repetit, eum qui *manducat hunc panem, non moriturum, sed victurum in æternum.* Etsi enim videatur hominibus mori, tamen ea ratio moriendi non tam mors quàm somnus & quies est dicenda, cùm ad breue tempus, imò ad modicum, & ad momentum sit duratura, & iusti mox velut è somno sint ad æternam lucem & vitam excitandi. Vnde passim in Scripturis vocatur dormitio, requies, somnus. & Dominus Isaiæ 26. *Vade populo meus, intra in cubicula tua,* [sepulchra] *claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.* illud enim *modicum* ad æternitatem collatum pro nihilo computatur.

Eo efficimur immortales.

Mors iustorum somnus breuis.

107 Sed inquiet aliquis: Hoc immortalitatis & impatibilitatis donum etiam illorum iustorum corporibus communicabitur, qui Corporis Christi per Eucharistiam participes non fuere, vt sunt omnes Sancti veteris Testamenti. Respondeo, ita esse, sed duplici iure nobis illud donum competet, illis simplici. Nostra corpora immortalia erunt, tum ratione animæ beatæ, quæ tale corpus est promerita, tum ratione admistionis Corporis Christi corporibus nostris, quod vim habet ijs, quibus commiscetur, immortalitatem impertiendi: imprimit enim illis sanctitatem, & veluti vim quamdam, quæ semen est immortalitatis. vim moralem, non physicam intellige. At illorum corpora id solùm ratione sanctitatis animæ obtinebunt.

Obiectio.

Quomodo immortalitas communicetur corporibus iustorum.

108 Neque solùm ad immortalitatem impertiendam corporibus, sed etiam ad spiritum Christi in nos transfundendum, hoc alimentum datum est; & hic est primarius eius finis & fructus. Cùm enim caro Christi, quæ illo continetur, non sit nuda caro, sed Diuinitati, quæ est spiritus Christi, vnita; qui hoc alimentum sumit, eo ipso fit particeps spiritus Christi & Diuinitatis. Nam vt Dominus Ioannis 6. ait, *Spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quidquam:* id est, caro per se & vi sua non potest vitam æternam conferre, sed id facit vi spiritus seu Diuinitatis coniunctæ: sicut ferrum per se

Spiritum Christi contrahimus.

non potest accendere lignum, sed vi ignis qui ferro est intimè vnitus. Sic per hoc alimentum Christus caput nostrum communicat nobis suum spiritum suamque vitam, colligens omnes in vnum corpus & in vnam veluti hypostasim perfectam & completam; omnesque illi inserimur, & veluti incorporamur, sicut partes alimenti conuenienter intus applicitæ per meatus naturæ, incorporantur nobis, vnaque fiunt hypostasis nobiscum, cùm spiritus noster ad informandas & viuificandas illas se extendit. Vnde Apostolus 1. Corinth. 10. *Vnus panis & vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane participamus. Vnus panis*; quia iste panis non à comedentibus in illorum substantiam conuertitur (sicut fit in pane terreno & corruptibili;) sed contrà, potiùs ipsos comedentes in seipsum conuertit, & vnum secum efficit, suas proprietates, suamque formam illis communicans. Mirum sanè consilium Dei! vt nos ad se attraheret, suique spiritus & vitæ efficeret participes, in vno naturæ nostræ indiuiduo vnitur carni humanæ hypostaticῶς; deinde hanc carnem speciebus panis & vini conuestitam dat nobis in alimentum; & per illud alimentum nobis coniunctum & commistum, spiritum & Diuinitatem suam ei alimento connexam in nos transfundit, vt hoc modo nos omnes sanctificet, & ad suam vnitatem & vitam redigat. Nullus modus suauior, efficacior, admirabilior aut sapientior poterat excogitari.

Consiliũ Dei mirabile.

CAPVT XVI.

De miraculis quæ concurrunt in venerabili Eucharistiæ Sacramento.

AD magnitudinem beneficij pertinet non solùm res ipsa quæ datur, sed etiam modus dandi, seu miracula stupenda, omnem naturæ vim & consuetum rerum cursum excedentia, quæ in eo dando concurrunt. Nam & hoc ipsum ineffabilis est misericordiæ, quòd tale beneficium conferat, quod sine maximis miraculis conferri non poterat: quantum enim fieri potest, Deus causis vtitur iam constitutis, & ad miracula quasi inuitus descendit. Sunt autem in hoc mysterio tot & tanta miracula, vt meritò stupendum supra omnia miraculum dici possit. Præcipua horum duodecim numerari possunt; quorum duo spectantur circa substantiam panis & vini,

109

Miracula huius beneficij duodecim.

vini, duo circa ſpecies, ſex circa Corpus Domini & connexa, duo circa conſecrantem.

Circa ſubſtantiam panis & vini primum miraculum eſt, quòd hæ ſubſtantiæ vi conſecrationis funditus pereant, & veluti annihilentur: quamuis non ſolemus dicere eas annihilari, eò quòd hæc deſitio ex intentione diuina non ſiſtat in nihilo, ſed dirigatur ad poſitionem Corporis Chriſti: verùm hoc ad modum loquendi ſpectat, nam quod ad rem attinet, nihil omnino ſubſtantiæ panis manet, non forma, non materia, non exiſtentia, non gradus aliquis, ſed totum ita funditus perit, ac ſi prorſus in nihilum redactũ eſſet, nullo poſitiuo ſuccedente. Nam quòd aliud ſuccedat, non eſt ex vi illius deſitionis (hæc enim ſolum tendit per ſe ad nihilum & non-eſſe) ſed alterius actionis coniunctæ, qua ponitur Corpus Chriſti. Fit autem hæc deſitio per ſe primò & intrinſecè non actione aliqua poſitiua, (ea enim haberet terminum intrinſecum poſitiuum, non negatiuum;) ſed ſubtractione influxus diuini, quo illa ſubſtantia in ſua entitate & ſpecie, ſecundùm materiã & formam conſeruabatur. Illo enim ſubſtantifico influxu ſubtracto & veluti cohibito, neceſſe eſt rem in nihilum relabi. Sic mundus in priſtinum ſuum nihilum & tenebras æternas, vnde per creationem eſt eductus, recideret, ſi Deus vim ſuam cohiberet, actionem qua illi dat eſſe, abrumpendo, & radios influxus ſui ſubſtantifici veluti retrahendo. Quomodo autem panis dicatur conuerti in Corpus Chriſti, infrà explicabitur.

Circa ſubſtantiam panis & vini. Primum, Deſitio.

110 Secundum miraculum eſt, eiuſdem materiæ, corruptis ſpeciebus, reproductio & reſtitutio. Conſtat enim ſpeciebus ſacramentalibus hominem nutriri corporaliter, & ex illis vermiculos gigni poſſe, & omnia ea confici, quæ præſente ſubſtantia panis & vini confici ex illis poſſent. Quod non ita intelligas, quaſi ſpecies illæ per ſe ſubſiſtentes vicem materiæ ſubſtantialis in huiuſmodi rebus præſtare poſſint. Primò, Quia ſpecies accidentariæ non ſunt capaces formæ ſubſtantialis recipiendæ, aut vnionis ſubſtantialis cum tali forma ſubeundæ. Secundò, Quia res ex illis genitæ non eſſent eiuſdem ſubſtantiæ atque aliæ ſimiles, vtpote carentes altera parte ſubſtantiali, videlicet vera materia; & vermiculus ex illis procreatus non eſſet phyſicus vermiculus vt alij, ſed potiùs (vt ita dixerim) mathematicus. ſed cùm mutatio & corruptio ſpecierum eò proceſſit, vt ſubſtantia panis & vini cum ea ampliùs conſiſtere non poſſet, & rem aliam gigni ex illis oporteret; eo ipſo momento reſtitui-

Secundum, Reſtitutio materiæ.

Species non præſtant vicem materiæ in concreatione.

ſtituitur priſtina materia, quæ & diſpoſitiones illas hactenus ſine ſubiecto exiſtentes ſubſtractiuè recipiat ac ſuſtentet, & formam ſubſtantialem, quæ eodem puncto temporis vi diſpoſitionum, aut formæ gignentis, aut cauſæ vniuerſalis elicitur, excipiat, & vnam cum illa ſubſtantiam (verbi gratia vermiculum) conſtituat; perinde ac ſi materia panis numquam ſubducta fuiſſet. Ita enim hæc omnia occultè & dextrè ſapientia & omnipotentia Chriſti geruntur, vt nullis iudiciis externis deprehendi poſſit, quidquam vel antè defuiſſe, vel nunc de nouo ſubſtitutum; idque tum propter maius fidei meritum, tum ne curſus rerum naturalis, vt actio, paſſio, ortus, interitus interciperetur. Dicimus eamdem potiùs materiam reſtitui quæ primò deſierat, quàm aliam ſubſtitui; quia id conuenientius eſt, partim ne mundus exhauriatur, aut vlla parte minuatur primæua ſua materia (ea enim condita eſt, vt æternùm perſeueret, modico illo tempore, quod inſtar nihili eſt, diſpenſatorie excepto;) partim quia hæc reproductio magis congruit reproductioni & poſitioni Corporis Chriſti; vt ſicut in hoc myſterio datur reproductio eius quod iam erat, & numquam deſierat, ita etiam detur reproductio eius quod non erat, ſed antè fuerat. Denique hoc eſt mirabilius, magiſque conſentaneum diuinæ ſapientiæ & potentiæ, quæ ſua admiranda in hoc myſterio peculiariter demonſtrare voluit. Hæc duo ſupradicta miracula adeò ſunt exotica, & à naturali cauſarum ordine remota, vt numquam ſimilia extra hoc myſterium ſint facta, nùmquam etiam facienda.

Circa ſpecies. Primò, Per ſe exiſtere.

Circa ſpecies prius miraculum eſt, quòd ſpecies illæ per ſe nulli ſubiecto innixæ conſiſtant. Hoc autem tripliciter intelligi poteſt.

Tribus modis id poteſt concipi fieri.

Primò, Vt Deus illis accidentibus nouum eſſe, vel idem eſſe quod antè habuerunt, nouo modo veluti per replicationem ſeu reproductionem reſtituat. Sed hic modus non eſt neceſſarius: nulla enim hîc opus replicatione ſeu collatione eiuſdem eſſe, aut actione productiua, quæ ad entitatem illorum accidentium intrinſecè terminetur; quia illorum eſſe nullo modo deſiit, ſed ſolùm modũ ſuum mutauit, inexiſtentiam amittens: ſicut nec in myſterio incarnationis, cùm humanitas Chriſti vnitur Verbo, eique inexiſtere incipit, opus eſt vlla reproductione ipſius eſſe humanæ naturæ, vt quidam imaginantur, quod ex ſequentibus clarius fiet.

Secundò, Vt conſeruato eodem eſſe eademque entitate abſque vlla reproductione, Deus nouo quodam influxu det illis accidentibus, ſubtracto ſubiecto, nouum modum poſitiuum quo per ſe exi-

existant, quique modo inhærentiæ repugnet; sicut hypostatica ratio in substantiis ponitur modus positiuus repugnans inexistentiæ, qua inexistat alieno supposito. Sed neque hæc ratio necessaria aut vera videtur. Vt enim forma aliqua à subiecto aullsa per se existat, non est opus vt habeat aliquem modum inhærentiæ repugnantem, seu qui contrario modo existentiam illius formæ modificet: sufficit enim vt illa forma, seu esse ipsius, absque modo inhærentiæ conseruetur. Cùm enim inhærentia accidentis sit modus quidam existentiæ & entitatis rei natura posterior, potest accidens in sua entitate suaque existentia absque illo modo diuinitus conseruari, ita vt nullus alius modus positiuus repugnans modo inexistentiæ, ei superaddatur. Vnde cùm dicitur accidens per se existere, illud *per se*, præter entitatem accidentis solùm denotat negationem inexistentiæ, non autem modum aliquem positiuum inhærentiæ repugnantem. Deinde iste modus nihil iuuaret ipsum accidens ad existendum, cùm sit posterior existentiâ, illam non fulciens, sed illi potiùs innitens, vnde potiùs iuuatur & pendet ab existentia accidentis, vtpote modus illius, quàm existentia ab illo. Confirmatur; Quia neque effectiuè iuuat, cùm in illam intrinsecè non influat, vt per se constat; nec formaliter, cùm sit posterior existentiâ accidentis.

Non esse opus modo positiuo per se existendi.

Tertius modus, qui semper mihi placuit, est, Vt Deus tantummodò continuet influxum illum intimum, quo entitatem illius accidentis conseruabat. Eo enim continuato & non abrupto, permanebit accidens in suo esse, suaque specie & existentia, etiamsi subiectum subtrahatur, & modus inexistentiæ pereat. Ratio est, Quia entitas accidentis est naturâ prior isto modo inherentiæ seu vnionis cum subiecto: sicut in substantiis entitas est prior natura quàm sit modus ille existendi per se; ipsa enim entitas secundùm se est indifferens & capax vtriusque modi: potest enim entitas accidentis habere modum vnionis cum subiecto vel separationis, & substantia potest habere modum per se existendi, vel existendi in alia hypostasi, vt patet in mysterio incarnationis. Atqui id quod est prius natura, non pendet intrinsecè ab eo quod est posterius, sed solùm vt habeat suum naturalem modum existendi. ergo sine illo conseruari potest, sola influxus prioris continuatione.

Verus modus existendi per se accidentis explicatur.

Confirmatur Primò: Quia ita se habet modus inhærentiæ ad entitatem accidentis, sicut modus existendi per se ad entitatem

substantiæ. atqui sublato modo existendi per se, entitas substantiæ conseruari potest sola continuatione prioris influxus, vt docet Suarez in Metaphys. disput. 15. sect. 9. & idem docet de anima rationali sublatis potentiis, & de materia, sublata omni forma. Ergo similiter entitas accidentis conseruari poterit sublato subiecto, & modo illo inhærentiæ.

Confirmatur Secundò: Quia subiectum quà tale, nullum habet influxum effectiuum in accidens; sed solùm illud in se suscipit, eoque imbuitur & penetratur: solus autem Deus totum influxum conseruatiuum confert. Vnde subiectum non iuuat intrinsecè & essentialiter ad conseruationem ipsius esse accidentis, sed solum est causa modi essendi, nempe inexistentiæ, cùm sine subiecto modum hunc habere nequeat, vt qui intrinsecam vnionem cum subiecto dicat. Subiectum igitur requiritur, vt accidens naturalem suum existendi modum habeat, qui est inhærere; non autem vt absolutè existat: nullum enim accidens est propter se, seu vt per se existat, sed vt aliud afficiat, ornet, & perficiat. itaque ex natura sua postulat inesse tamquam naturalem proprietatem. Addo, numquam expelli accidens à subiecto, numquam interire, nisi Deo concursum suum conseruatiuum subtrahente; qui si eum subtrahere nollet, sed continuare, nulla vis creata illud accidens exterminare posset. Vnde nec maximus ignis posset guttam aquæ frigidæ calefacere, Deo influxum suum, quo frigus illud intimè conseruatur, continuante & prosequente. Hæc intellige de accidente quod reipsa à subiecto tamquam res à re, & non solùm vt modus à re distinguitur; & de subiecto qua parte solùm subiectiuè recipit. Nam si etiam effectiuè ad productionem & cõseruationem accidentis concurrat, hic concursus à Deo per nouum influxum suppleri debet, vt illud accidens sine subiecto existere possit. Videri potest Scotus in 4. Sentent. d. 12. q. 1. Verùm hæc res exactiùs à nobis discussa in Tractatu De summo bono Lib. 3. cap. 4.

Secundò, Recipere impressiones externas.

Alterum miraculum circa species est, quòd ita passiones & impressiones aliarum qualitatum recipiant, perinde ac si panis & vini substantia subesset, & illæ species non per se sed in substantia vel materia panis & vini existerent. Calescunt enim species & frigescunt, arescunt & mucescunt, similesque mutationes subeunt. Quomodo autem id fiat, duplex est sententia. Quidam putant, quantitatem esse immediatum subiectum qualitatum sensibilium & ceterorum accidentium; itaque omnes illas mutationes & impres-

112

pressiones fieri in quantitate, vt in subiecto proximo, ac proinde in hoc mysterio hanc solam per se existere. Sed hæc sententia est difficilis. Nam vt omittam, multis non videri certum an detur talis quantitas, hæc sententia solam quantitatem ponit in materia prima, tamquam immediato suo subiecto, qualitates solùm mediatè, quatenus insunt quantitati; quod difficile est creditu. Quid enim quantitatis indoli cum illis qualitatibus? Non enim quantitas habet vllam propensionem ad calorem, frigus, odorem, saporem & similia: neque ipsa dicitur calescere aut frigescere, benè vel malè olere; sed hæc omnia sunt affectiones materiæ. Confirmatur: Quia dispositiones ad formam substantialem, quarum vi ipsa educi dicitur è potentia materiæ, debent esse immediatè in materia, eamque afficere & veluti tangere. alioquin quomodo vim suam in eam exerent? quomodo illam formæ aptabunt, & capacem facient?

Itaque mihi semper verius visum, non solam quantitatem, sed etiam illas qualitates hîc per se existere, nullique subiecto inniti, ac proinde calorem & frigus & similes impressiones extrinsecus immissas non recipi in speciebus tamquam in subiecto propriè, sed potiùs velut commistile in commiscibili, aut sicut penetrans in penetrabili. Ita enim illis penetratiuè commiscentur, & mutuo nexu implicãtur, ac si in eodem communi subiecto reciperentur. Quam sententiam non solùm omnes Nominales sequuntur, qui non distingunt quantitatem à re quanta, sed etiam noster Petrus Hurtado in egregio Opere Philosophico Physicæ disput. 6. §. 51. & sequentibus.

113 Dices: Ergo ignis calefaciens species, creat in illis calorem per se subsistentem. Respondeo, id impropriè dici creationem; quia ille calor ex natura sua non est forma per se subsistens, sed id habet præter vel supra naturam: alioquin etiam species dicentur creari, cùm per se existere incipiunt. Creatio propriè solùm est earum rerum, quæ natura sua tales sunt vt per se existant, vt sunt materia prima, cælestia corpora, & substantiæ spiritales, inter quas anima rationalis. Horum productio solùm propriè est creatio ex nihilo; & vim infinitam in producente requirit. Quòd si quis productionem accidentis independenter à subiecto, velit vocare creationem; nihil incommodi admittere quod infertur: quia id non facit naturali modo operando, qui postulat subiectum; sed supernaturali, hoc est supra naturæ leges. Addo, non requiri maiorem vim aut efficacitatem in agente creato ad producendam formam accidentariam

Obiectio.

An calor ibi creetur.

tariam sic existentem, quàm ad producendam illam in subiecto. Omnis enim vis quæ est sufficiens ad producendam formam in subiecto, est etiam sufficiens ad illam producendam extra subiectũ, si Deus concursum suum vtrobique æquè offerat & exhibeat. Ratio est, quia nihil positiuum est in forma, dum extra subiectum existit, quod superet vim suæ causæ; itaq; ab illa poterit produci quantum est ex vi causæ. Quòd autem non possit reipsa extra hoc mysterium, inde est, quòd Deus non offerat alibi suum concursum, nisi applicato patiente, in quo forma illa modo sibi connaturali possit recipi & existere. alioquin si concursum præberet, etiam in vacuo & ignis suum calorem, & sol suum lumen diffunderet. quia tamen est supra naturæ leges & ordinem, concursum sic præbere; idcircò & operatio causæ creatæ sic operantis & effectus censeretur supernaturalis non substantiâ, sed modo. Porrò in hoc mysterio Deus causis naturalibus, vt in has species agere possint, perinde suum cõcursum exhibet, ac si proprium & naturale subiectum susceptiuum sibi applicatum haberent: idque ne extrinsecis signis mysterium hoc possit deprehendi, ad maius fidei meritum. Vtrumque etiam prædictorum miraculorum extra hoc mysterium numquam est factum, & credibile numquam futurum, vt huic mysterio sit peculiare. Plura hac de re diximus Tractatu De summo bono lib. 3. cap. 4.

Circa Corpus Domini.

Circa *Corpus Domini* & illud comitantia, quæ speciebus occultuntur, primum miraculũ est, Positio illa & constitutio Corporis & Sanguinis Christi in cælo existentis & permanentis, sub speciebus panis & vini; ita vt non minùs verè, realiter ac substantialiter hic sit quàm in cælo. Certissima fide & firmissimè ita tenendum.

Primò, Positio Corporis Christi. Concil. Trid. sess. 13. can. 1

Quomodo id fiat.

Magna quæstio est, quomodo id fiat. Sed mirum non est, mysteria diuina ingeniis humanis antecellere; generali tamen quadam ratione id potest vtcumque intelligi. Quidam putant, id fieri actione *adductiua* tantummodò, qua Christus Corpori suo in cælis existenti, & *vbi* cæleste retinenti, conferat nouum *vbi*, nempe sub speciebus panis, ratione cuius dicatur Corpus illud adductum huc absq; actione vlla productiua illius. Sed parum placet hæc sententia. Primò, quia videtur contradictionem inuoluere, nec vlla ratione posse mente concipi. Quomodo enim istud *vbi* potest Corpori Christi conferri sub speciebus panis, nisi Corpus hoc priùs natura adducatur, & illis applicetur, hatque indistans? prius enim est, corpus esse indistans loco, quàm ipsum accipere aliquem respectum

Non actione adductiua.

vel

vel positiuam habitudinem ad locum. Modus enim qui fit circa rem, supponit rei præsentiam: sicut animo concipi nequit, formam accipere vnionem cum materia, nisi prius concipiatur vt præsens seu indistans materiæ. Confirmatur Primò: Quia istud *vbi* non potest transferri in cælum, vt inde adducat Corpus Christi; sicut vnio cum materia non potest transferri ad formam procul distantem, nec fieri aut creari extra materiam: ergo ipsum Corpus Christi prius debet adduci ad locum, in quo istud *vbi* residet (præsertim cùm ratio ipsius *vbi* sit immobilis) ac proinde non adducitur Corpus Christi per collationem ipsius *vbi*. Confirmatur Secundò: Quia *vbi* per se non confertur vi aliqua causæ efficientis, sed sponte & necessariò resultat ex præsentia rei. vnde prius requiritur præsentia Corporis Christi ad species. Per quam ergo actionem fit primò præsens speciebus? Non per collationem *vbi*, vt dictum est: neque per motum localem, vt supponimus; quia Christi Corpus suum locum & suum *vbi* quod habet in cælis, non deserit. ergo per aliquam actionem substantialem, quæ ad substantiam Corporis Christi terminetur.

115 Dices, Istud *vbi* cùm sit supernaturale, & tribuat Corpori Christi esse sub speciebus, non produci per resultantiam naturalem; sed per peculiarem actionem diuinam. Verùm sit ita, nihil id refert ad argumenti vim elidendam: nam actio diuina circa corpus aliquod non minùs supponit præsentiam corporis in illo spatio in quo ipsa fit, quàm naturalis resultantia. ergo prius natura Corpus Christi debet concipi præsens huic spatio quàm operatio diuina intelligatur in illo producere istud *vbi* vel quemuis alium modũ, qui natura sit posterior ipsa corporis substantia. Si prius natura debet concipi præsens; ergo per aliquam Dei operationem iam factum est præsens speciebus prius natura quàm in eo poneretur istud *vbi*: quæ operatio non potest esse alia quàm productiua substantiæ corporis illius.

Confirmatur: Quia omnis actio seu operatio Dei in consecratione huius mysterij fit sub speciebus, non in cælo, aut alibi extra species, vt ex ipsis verbis colligitur: ibi enim est totus terminus illius operationis. atqui tota operatio quæ fit sub speciebus circa Corpus Domini, ponendo in eo aliquem modum, supponit necessariò & essentialiter præsentiam Corporis sub speciebus: præsentia enim omnis actionis vel passionis vel modi cuiuslibet, supponit tamquam prius natura præsentiam rei quæ modificatur, vel circa

quam versatur actio, aut recipitur passio. Itaque cùm tota illa actio quæ fit sub speciebus, versetur circa Corpus Domini, supponit necessariò eius præsentiam. Oportet ergo ponere aliam operationem seu actionem qua factum est corpus istud præsens seu indistans speciebus: nam per illam actionem qua productum est in illo istud *vbi* positiuum, non potuit fieri præsens; cùm illa actio & terminus eius intrinsecus sit natura posterior illius præsentia.

Idem argumentum fieri potest de modo existendi illius Corporis: nam per consecrationem Corpori Christi non solùm datur nouum *vbi*, sed etiam nouus modus existendi inuisibiliter & indiuisibiliter instar rei spiritalis, qui est intrinsecus ipsi substantiæ corporis & natura posterior: quia substantia corporis secundùm se est indifferens ad hunc modum existendi, & ad modum suum naturalem, capax vtriusque. Hic autem modus producitur sub speciebus, non extra; & ipsa productio est sub speciebus. ibi enim est actio, vbi terminus eius intrinsecus. Si hæc productio est sub speciebus, ergo iam prius natura ipsa Corporis Christi substantia debet esse sub speciebus seu indistans ab illis, vt in ea possit recipi operatio per quam producitur in ea iste modus existendi. Ergo necessariò ponenda est alia actio prior qua ipsa substantia Corporis Christi posita sit præsens speciebus. sicut si Deus substantiam solis, quæ in cælo est sub forma globosa & valdè magna, vellet ponere in annulo sub figura quadrata valdè parua, per operationem quæ fiat in ipso annulo; necessariò deberet substantiam solis priùs natura poni præsens annulo, vt ibi possit talem figuram accipere.

Neque dici potest, actionem illam, qua substantia Corporis 116
Christi facta est præsens speciebus, esse adductiuam seu productiuam solius *vbi*, quia prius natura est, corpus esse præsens seu indistans speciebus, quàm in illo produci possit sub speciebus aliquod *vbi*, vel alium modum, vt ostensum est.

Hinc patet, siue consideremus productionem istius *vbi*, siue productionem istius modi existendi spiritaliter sub speciebus, semper supponi priùs natura vel ratione præsentiam substantiæ Corporis Christi sub speciebus: ac proinde ponendam esse aliam actionem priorem, qua ipsa substantia Corporis Christi sit facta præsens speciebus: quæ non potest fingi alia quàm productiua; quæ nimirum idem esse substantiale quod habet in cælo, conferatur eidem cum alio modo existendi sub speciebus: hæc enim actio non supponit ibi præsentiam substantiæ Corporis Christi, sicut omnis alia

actio

actio producens in illa substantia aliquem modum qui sit natura posterior, sed illam facit.

117 Secundò, Non placet illa sententia: quia Fide tenendum est, *Corpus Christi in hoc Sacramento verè, realiter, ac substantialiter contineri*, sicut definitum est in Concilio Trident. sess. 13. can. 1. Vnde sequitur, illud in Sacramento tam verum, solidum ac integrum esse substantiale habere quàm in cælo. Si ita est, ergo per diuinam potentiam poterit conseruari sub Sacramento, etiamsi desineret esse in cælo: sicut reipsa nunc manet sub modo suo existendi naturali in cælo, etiamsi omnino desinat vt est in Sacramento. At quo modo potest conseruari in Sacramento dum desinit in cælo, si non habet esse virtute duplex, sed solum nouum *vbi* quo sit in Sacramento? quomodo substantia Corporis Christi potest conseruari in Sacramento, nisi per nouum & substantificum influxum ibi fuerit positum, qui influxus possit continuari, etiamsi desineret ille qui est in cælo?

Dices, Non posse diuina virtute conseruari in Sacramento, si ponatur desinere in cælo, eò quòd intrinsecam & essentialem dependentiam à se ipso habeat vt est in cælo. Verùm, non puto id dici posse; quia sic in Sacramento non haberet esse solidum & absolutum, sed solùm respectiuum & diminutum, sicut imago vel figura. Vnde Auctores illius sententiæ non audent id dicere; sed admittunt, in illo casu posse conseruari in Sacramento, ita vt si postea desinat esse vt est in Sacramento, desiturum sit per veram annihilationem: modò autem non esse annihilationem, eò quòd maneat substantia eadem in cælo. qua in re planè incidunt in sententiam nostram, & recedunt à suis principiis.

118 Tertiò, Si solùm fiat adductio Corporis Christi per collationem noui *vbi*, non erit hîc vera & propriè dicta *transsubstantiatio*, sed adductio localis: vt si vinum in vas aqua plenum immittatur, aquæ substantia ad vini infusionem desinente, non erit conuersio substantialis aut transsubstantiatio aquæ in vinum, etiamsi vini substantia sub accidentibus aquæ ponatur. quare neque hîc erit transsubstantiatio, cùm Christi Corpore species subeunte, ad eius introitum substantia panis desinit. Nec sufficit ad transsubstantiationem, quòd substantia panis desinat, quia non satis est terminum *à quo* desinere, sed necesse terminum *ad quem* simili modo incipere, scilicet quoad substantiam, vt in omnibus aliis substantialibus conuersionibus patet. vt cùm succus terræ vertitur in herbam, cùm *Transsubstantiatio.*

sanguis in carnem, cùm virga Moysis in serpentem, cùm serpens in virgam, cùm vxor Loth in salis statuam. Conuersio enim & omnis mutatio speciem habet à termino ad quem per se & intrinsecè tendit. Idem declarari potest exemplo proximè adducto. Quod vt melius intelligatur, notandum est, *transsubstantiationem*, & omnem conuersionem duabus simplicibus mutationibus constare: quarum altera est desitio termini *à quo*, qui dicitur conuerti in aliud; altera est positio termini *ad quem*, in quem fit conuersio. vtramque autem debere esse substantialem, si conuersio sit substantialis: nam ex mutatione substantiali & accidentaria non potest componi vna conuersio substantialis, idque in omnibus aliis conuersionibus substantialibus cernitur. Denique debet esse talis positio termini *ad quem*, vt ex vi illius terminus *à quo* desinat. Debent enim hi termini esse incompossibiles, & sibi mutuò succedere, vel in eodem subiecto siue materia, vt cùm fit solùm conuersio secundùm formas substantiales; vel sub iisdem accidentibus, vt cùm tota substantia rei mutatur in totam sicut in hoc mysterio. Si enim nihil maneret idem sub vtroque termino in quo fiat terminorum successio, non esset conuersio, sed vnius desitio, alterius inceptio. Vnde necesse est vt alter alterum ab eo expellat. Et quamuis fortè hoc posterius (nimirum vt ex vi positionis termini *ad quem* desinat terminus *à quo*, substantia panis) possit habere locum in adductione illa; non tamen illud prius, (vt constet duabus mutationibus substantialibus) & ita non poterit dici propriè transsubstantiatio, aut conuersio substantialis. vide Suarem Tomo 3. disputat. 50.

Constat duabus mutationibus.

Verius igitur mihi semper visum, Christi Corpus poni sub specie- 119
bus per actionem productiuam, quam replicationem, vel reproductionem, vel collationem eiusdem esse substantialis appellare possumus, per quam idem esse quod habet in cælo, confertur & quodammodò reproducitur sub speciebus, etsi cum alio essendi modo.

Verior sententia. Replicatio eiusdem esse.

Quòd autem Deo istud sit possibile, dubitari non potest. Si enim quod periit, Deus restituere potest, & idem omnino reproducere; cur non possit secundò producere id quod mansit? Non enim existentia rei impedit quò minùs rem illam secundò, & tertiò, & decies, & centies, & millies alibi producere queat, idem esse & eamdem existentiam conferendo. Cur enim exhausta sit potentia ad eam producendam, quia eamdem semel produxit? Imò

Deum id posse.

proba-

probabile est, idem numero à causa naturali produci posse, si omnes eædem circumstantiæ, quæ illam ad huius individui procreationem determinarunt, concurrant; vt insignes DD. tradunt.

Sed quia naturaliter est impossibile, vt omnes eædem circumstantiæ quæ priùs rem determinarunt, secundò concurrant, fieri etiam vi & lege naturali nequit, vt idem numero secundò producatur. Verùm Deus ab istis circumstantiis non pendet, sed pro suo arbitrio determinat id quod ipsi est producendum; itaque quotiescumque libet, potest idem vel alibi, vel in eodem loco, sub eodem vel diuerso essendi modo producere. Vnde sequitur, ex vno homine efficere posse integrum exercitum. Sicut enim in ipsius sapientia & omnipotentia sunt infinita individua diuersa numero, cuiuslibet speciei: ita in eadem sapientia & potentia latet quodlibet individuum infinities; potestque ipse cuiuslibet individui infinitas, vt ita dicam, proferre replicationes; vt suprà Libro v. c. 2. De omnipotentia dictum est. Et quamuis res hoc modo replicata in seipsa, actu sit vna eademque; virtute tamen est multiplex. Nam multis æquipollet, & locorum spatiis, & operatione, & etiam inceptione & desitione. Implet enim loca distantia, & quodammodò à seipsa distat; non absolutè, sed vt ad diuersa loca est determinata. potest etiam diuersa in diuersis locis, atque etiam contraria operari; atque adeò tantum efficere, quantum res numero diuersæ. Denique ex inceptione vel desitione in vno loco, non sequitur inceptio vel desitio in altero: neque si iuxta vnam replicationem desinat esse, necesse est etiam desinere secundùm alteram. Vnde posita huiusmodi replicatione, fieri potest vt vna eademque res hoc loco calescat, illo frigescat; hoc ascendat, illo descendat; hoc desinat & moriatur, illo incipiat & nascatur. qua de nouissimè benè scripsit P. Ægidius Coninck in erudito Opere de Sacramentis, quæst. 75. art. 4. dub. 3.

120 Hæc sententia posita, quæ potentiæ diuinæ negari non potest, facilè concipi potest, Primò, Quomodo in hoc mysterio sit vera transsubstantiatio, & substantiæ panis in substantiam Corporis Christi vera mutatio, & substantialis conuersio: quia substantifica actione ita producitur hîc Corpus Christi, vt ex vi illius productionis oporteat desinere substantiam panis. Producitur enim vt sit ibi per modum substantiæ, non quouis modo, sed cum immediato ordine ad illa accidentia, tamquam illis proximè subiecta, absque tamen inhæsione; vt verè dici possit, Hoc est Corpus Chri- *Sectaria quædam.*

sti, non panis terrenus: hoc est Sanguis, Christi, non vinum corruptibile. Dico, *ex vi illius productionis desinere*, non vi physica præcisè, quasi illa productio per se causet non-esse substantiæ panis; sed vt subest intentioni producentis, qui tali modo intendit Corpus Christi ibi collocare. Ex eo enim quòd vult ibi Corpus Christi collocare cum tali ordine ad accidentia, vt solum ipsum, non aliud per illa sensibile & designabile sit, necesse fuit desinere substantiam panis: quia hoc modo esse panis, & esse Corporis Christi, sub illis speciebus sunt termini repugnantes. Simili modo dum aqua conuersa est in vinum in hydriis, productio vini non extenuauit aquam præcisè vi sua physica, sed vt procedebat ex intentione Christi desinentis substantiam aquæ conseruare, vt ibi non nisi vinum existeret. Idem cernitur quotiescumque in materia vel subiecto ad productionem vnius formæ altera desinit esse. illa enim desitio non fit directè vi productionis alterius (posset enim Deus illas simul conseruare) sed fit subtractione influxus conseruatiui, vt possit esse actio in rebus, & effectus naturali modo existere.

Tertul. lib. 4. Contra Marcionem. Ambros. lib. De iis qui myst. init. cap. 9. & li. 4. De Sacram. cap. 4. Cypr. Serm. De Cœna Domini. Damasc. li. 4. De fide orthod. c. 14.

Secundò, Rectè à Patribus dictum, Christi Corpus quotidie 121
à Sacerdotibus *confici, fieri, effici, creari.* Actio enim illa est verè productiua substantialiter, adeoque efficax, vt si Christi Corpus non existeret secundùm esse naturale, stante hoc mysterio, produceendum foret per illam ex nihilo; vt rectè docet Gabriel in Canon. lect. 40. & 46. & consentit Scotus in 4. d. 10. q. 4. cùm fatetur, hoc mysterium potuisse institui diuinitus ante Christi incarnationem cum eadem virtute: & tunc Christi Corpus habiturum fuisse sub Sacramento verum esse substantiale, cùm nondum haberet modum essendi naturalem; quæ sententia euertit actionem adductiuam, per quam id nullo modo fieri potuisset.

Tertiò, Intelligi potest quomodo Corpus Christi sit verè, realiter & substantialiter in Sacramento; vt Concilium Trident. definit, & non minùs propriè quàm in cælo. quod sanè in priore sententia concipi non potest, vt ostensum est.

Denique iuxta hanc sententiam intelligi potest, quomodo Christus sæpè in terris visibiliter quibusdam post ascensionem suam apparuerit; cùm tamen non sit credibile, ipsum tunc deseruisse cælum, iuxta illud Act. 3. *Oportet illum cælum suscipere vsque ad tempus restitutionis omnium.* vt cùm apparuit Paulo eunti Damascum, cùm Petro exeunti vrbem Romanam, & multis aliis Sanctis. Hæc breuiter

ter pro noſtro inſtituto, de primo iſto miraculo: qui plura deſiderat, Suarem & Coninck conſulat.

Secundum miraculum eſt, *Poſitio animæ Chriſti cum tota ſua ſanctitate, cum viſione & amore beatifico*; denique cum omnibus ſuis ornamentis & dotibus naturalibus & ſupernaturalibus, ſub iiſdem ſpeciebus. Non enim decebat corpus ibi eſſe ſine anima, nec animam decebat eſſe deſtitutam ſuis bonis ac opibus. Ponuntur hæc omnia ſimili modo quo ipſum corpus, nempe per reproductionem quamdam efficaciſſimam, non per nudam adductionem, vt ex ſuprà dictis facilè probari poteſt. Dicuntur hæc ibi eſſe, non ex vi verborum, ſed per concomitantiam. *Non ex vi verborum:* quia verba conſecrationis non ſignificant horum præſentiam, ac proinde ex vi ſuæ ſignificationis eam non poſtulant ad ſui veritatem. Illa enim formula, *Hoc eſt corpus meum*, non poſtulat ad ſui veritatem vt corpus ſit animatum aut inanimum, vel vt ibi quoque ſit ſanguis; ſed ſolùm poſtulat vt ſit corpus humanum conſtans oſſibus & neruis, venis & arteriis, carne, & cute, & viſceribus. Hæc enim ſunt de ratione corporis humani, & conſtant diſtinctis formis partialibus, vt eruditè oſtendit Hieronymus Dandinus in doctiſſimo Opere de anima, quæ ſententia mihi ſemper placuit. *Per concomitantiam* verò ibi dicuntur poni, *Quia ſunt ibi*, inquit Concil. Trident. ſeſſ. 13. c. 3. *vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam à mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur.* Quod non ita intelligo, quaſi eo ipſo quo Corpus Chriſti in cælo animatum exiſtens, ponitur ſub ſpeciebus; per ſolam naturalem ſequelam aut neceſſariam connexionem, abſque alio peculiari influxu, eódem trahatur anima, & alia quæ corpori inſunt: id enim verum non exiſtimo. Primò, Quia alioquin etiam modus extenſionis, quem corpus Chriſti habet in cælis, deberet eſſe in Sacramento; quod fieri non poteſt. Deinde, Quia poſitio hæc Corporis Chriſti fit per influxum ſubſtantificum, intimè, vt ita dicam, productiuum illius, atqui hoc ipſo quo producitur præcisè caro Chriſti, collato eſſe carnis ſub ſpeciebus, non producitur anima, neque productio animæ reſultat ex productione ſubſtantiæ carnis; ſed opus eſt nouo & diſtincto influxu productiuo, qui ad ſubſtantiam animæ terminetur. Idem dicendum de omnibus realiter diſtinctis, quorum alterum non neceſſariò ex altero reſultat. Omnia enim hæc egent diſtincto influxu ad ſui replicationem, ſicut ad ſui creationem, aut primæuam

Secundum miraculum circa Corpus Domini, &c.

Quo modo per concomitantiam intelligendum.

pro-

productionem. Ratio igitur, cur *per concomitantiam* dicantur ibi ista poni, est, quia illa naturalis connexio postulat illum influxum productiuum, quo hoc ipso quo corpus ponitur sub specie panis, ibidem quoque ponatur sanguis & anima, &c. & ita ex vi connexionis, non tamquam ex proxima & totali causa, sed vt ex causa remota aliam propinquiorē & sufficientem postulante. Cùm enim Christus, vt inquit Concilium, non ampliùs moriatur, nec partes eius sint separandæ, non potuit congruè corpus ibi poni sine anima, sed animam oportuit comitari, & simul poni vbicumque corpus poneretur. Pari modo non potuit poni sanguis sine carne, nec caro sine sanguine: vnde etiam caro est sub specie vini, & sanguis sub specie panis *per concomitantiam*. Non ergo tam necessitate physica quàm morali constat hæc concomitantia, ne qua imperfectio aut aliquid minùs dignum in glorioso illo corpore ponatur. Hoc igitur sensu non solùm tota gloria illius corporis, sed etiam anima, & tota animæ sanctitas, sapientia & gloria est in hoc Sacramento per concomitantiam. Hoc tamen nihil detrahit perfectæ illorum præsentiæ, nec minùs verè, realiter & substantialiter sunt ibi, quàm substantia carnis, quæ ex vi verborum esse dicitur. nam æquè ad omnium horum præsentiam proprius & distinctus influxus productiuus requiritur.

Tertium miraculum circa Corpus Christi.

Tertium miraculum est *Positio vnionis hypostaticæ*, qua & caro & anima Verbo diuino vnita, & veluti surculus quidam insita est. Hæc omnino erat necessaria, quia ab ea caro præcipuam suam dignitatem & omnem vim sanctificandi habet, iuxta illud Domini Ioan. 6. *Spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quidquam.* sed de hoc suprà. Ponitur autem hæc vnio per propriam actionem productiuam, sicut & alia quæ per concomitantiam hîc esse dicuntur. Etsi autem Verbum diuinum vbique sit, vnio tamen corporis & animæ Christi cum Verbo non est vbique, quia corpus & anima Christi vbique non sunt, sed certo loco circumscripta. vnio autem est modus intrinsecus illorum, nec sine illis esse vllo modo potest. Itaque sicut anima & corpus Christi propria actione poni debent in hoc Sacramento, ita etiam vnio illorum cum Verbo. Hinc sequitur etiam, Verbum diuinum in hoc Sacramento per concomitantiam esse: nimirum, non solùm ratione suæ immensitatis, qua est in omnibus rebus, sed etiam ratione vnionis hypostaticæ, quæ peculiari ratione præsentiam Verbi requirit; vt etiam Concil. Trident. suprà diserte affirmat. Vnde vlteriùs, ratione identitatis vel con-

connexionis cum Verbo, necesse est etiam Diuinitatem, & Patrem, & Spiritum sanctum ibidem esse. hæc enim omnia ipsa vnio hypostatica peculiari ratione secum trahit. Ad hæc tamen nullo modo se extendit actio illa productiua, vt per se notum est.

124 Quartum miraculum est, *Modus existendi* spiritalis ipsius Corporis cum omnibus suis corporalibus qualitatibus sub speciebus panis & vini. Corpus enim cum tota sua mole suisque qualitatibus diuina virtute supra conditionem corporalem eleuatur, & accipit modum existendi spiritalem, quo veluti in punctum contrahitur, & simul continuè per speciem ita diffunditur, vt instar substantiæ spiritalis sit totum sub tota specie panis, & totum sub singulis eius partibus; sicut anima rationalis est tota in toto corpore, & tota simul in singulis eius partibus: & natura Angelica est tota in totius spatij complexu, & tota in singulis spatij partibus. Duo enim ad modum essendi spiritalem, quem substantiæ incorporeæ habent, requiruntur. Alterum est, vt res tota sit veluti collecta in punctum indiuisibile, ita vt nihil illius sit, quod in illo indiuisibili non reperiatur. Si enim aliquid eius esset extra illud indiuisibile, quod etiam intra illud non sit, haberet potiùs modum existendi rerum corporalium, quarum est habere partem extra partem, quàm rerum spiritalium, quæ totam entitatem suam in punctum indiuisibile collectam obtinent. Alterum est, vt illud indiuisibile continuè sit extensum vel diffusum, non per partes, (hoc enim est rerum corporalium;) sed per suas, vt ita dixerim, totalitates alioquin non posset aliquod spatium continuum simul totum & continuo modo occupare, quod etiam est contra modum existendi rerú spiritalium. Requiritur itaque vt totum sit intra punctum indiuisibile, & totum extra, absque tamen discontinuatione. Vtrumque horum reperitur in modo existendi, quo Corpus Christi existit in hoc Sacramento: nam totum est sub quouis puncto indiuisibili, vel saltem sub quauis etiam minima, & ad sensum indiuisibili particula, & totum est continuè absque intercisione diffusum per totam specierum quantitatem; sicut substantiæ spiritales sunt diffusæ per totum spatium quod occupant.

Quartũ miraculum circa Christi Corpus.

Duo requisita ad modum spiritalem.

Res spiritalis tota est in puncto, & tota extra.

Valdè stupendum & insolens est hoc miraculum, numquam aliàs factum, numquam faciendum extra hoc mysterium, vt res extensa per partes accipiat modum rerum spiritalium existendi inextensè; & cùm substantia & existentia sit corporalis, modus tamen essendi sit spiritalis. Excludit quidem hic modus existendi

figuram extrinsecam, & modum extensiuum quem Christi Corpus habet in cælo secundùm naturalem conditionem; (hæc enim dicunt ordinem & commensionem ad locum vel spatium:) non tamen excludit aliquid molis aut realis quantitatis illius corporis, nec figuram, vt ita dicam, intrinsecam, quæ in temperamento & dispositione ac continuatione partium intrinseca, ex qua naturaliter resultat figura externa, sita est. Figura enim extrinseca est ab intrinseca rei dispositione partiumque dispositione, maximè in viuentibus, non ab extrinseca tantùm formatione, vt in statuis signisque sculptis vel fusis. Est igitur ibi Corpus Christi sine partium commixtione aut confusione. Etsi enim omnes simul & in eodem puncto sint, quælibet tamen retinet suum temperamentum, suam vnionem, suam connexionem, suum ordinem, & omnem internam dispositionem, quæ à respectu & commensione loci non pendet.

Quomodo ibi sit figura Corporis Christi.

Quintum miraculum est, *multiplicatio*, vt ita dixerim *Corporis* 125
Christi sub eadem specie, seu præsentia multiplex, & modus existendi multipliciter. Anima rationalis est quidem tota in singulis partibus corporis humani, non tamen totaliter, nec plenè, nec completè; sed imperfectè, & cum dependentia ab existentia in aliis partibus; & semel tantùm completè est in toto. Vnde abscissa parte, non potest in ea conseruari nisi nouo miraculo; quo tamen casu etiam incompletum esse, & veluti incisum, & in suas totalitates diuisum habebit. At Corpus Christi est sub singulis specierum partibus completè & totaliter, tamque perfectè quàm sub tota specie; nec existentia eius sub hac particula dependet vllo modo ab existentia sub particulis vicinis, sed sub singulis est modo perfecto & independenter ab aliis. vnde facta diuisione, permanet sub singulis completè absque nouo miraculo. Habet autem hoc completum esse sub particulis singulis, quantumuis exiguis, & ante & post earum separationem, sub quibus semota consecratione esset substantia panis.

Quintum miraculum circa Corpus Christi.

Dices: Ergo Corpus Christi est ibi infinities, quia particulæ in 126
quas species illæ diuidi possunt, sunt infinitæ. Respondeo, non sequi, ibi esse infinities completè: quia valdè credibile est, non esse nisi semel completè sub vno minimo naturali. Vnde cùm minima naturalia in hoc pane sint finita, finities quoque ibi erit Corpus Christi. *Minimum naturale* voco particulam ita paruam, vt si à toto separata existens diuidatur, non possit naturaliter eius substantia conseruari, actione elementorum eam dissoluente. Vbi enim momen-

An infinities ibi sit.

Est solùm semel cõpletè sub quouis minimo naturali.

mentum substantiæ panis non erat amplius diuisibile in duo, cur dicemus ibi Corpus Christi esse dupliciter, id est, secundùm duas completas totalitates? Dici etiam potest, Christi Corpus non esse ibi nisi semel complete sub quauis particula sensibili: nam materia huius Sacramenti est panis sensibilis. Fateri tamen possumus, Corpus Christi ibi esse infinities incompletè, vel secundùm incompletas, vt ita dicam, replicationes; quia sunt infinitæ partes designabiles, sub quibus totum illud corpus existit: sicut anima in corpore est infinities, id est, in infinitis particulis tota, sed incompletè: id enim modus existendi rerum spiritualium necessariò includit. Sicut enim corporalia habent infinitas particulas, etsi indeterminatæ quantitatis secundùm quas se extendunt per spatium; ita spiritalia suo quodam modo habent infinitas totalitates, quibus se continuè per spatium vel corpus diffundunt.

Non est ibi infinities completè, sed incompletè.

Differt multùm hoc miraculum à præcedenti: non enim eo ipso quo aliquid accipit modum existendi spiritalem, accipit etiam illam existentiæ completæ multiplicitatem. poterat enim semel tantùm sub vna specie se donare. Vnde nulla substantia spiritalis illam habet, sed solùm Christi Corpus illam accipit admirabili illa vi replicatiua. Qua in re consideranda est immensa Christi in nos charitas, qui sub vna specie non semel tantùm, sed millies se nobis dare voluit, vt dum illum sub aliqua specie sumimus, quodammodò millies sumeremus. Quæ dicta sunt de Corpore, intelligenda quoque de Sanguine, anima, horum totibus, & vnione hypostatica: hæc enim omnia pariter cum corpore multiplicitatem illam accipiunt.

Discrimen huius modi à præcedenti.

127 Sextum miraculum est, *Corporis Christi ad corruptionem specierum desitio in Sacramento.* Cùm enim ab externo agente, vel interna qualitatum pugna ita species euertuntur, vt sub illis amplius substantia panis conseruari non posset; eo ipso momento, quo desineret substantia panis, desinit etiam Corpus Christi. Non quòd Corpus Christi ab illis speciebus aliquam habeat naturalem dependentiam, sicut substantia panis; sed quia Deus tunc desinit continuare illum influxum, quo ibi Corpus Christi erat positum, & veluti productum. Sicut enim nouo influxu productiuo ibi erat positum, ita illius influxus inhibitione & suspensione ibi desinit. Vnde sicut ille influxus adeò erat efficax, vt per illum Corpus Christi posset produci ex nihilo, si alibi non esset; ita ratione suspensionis illius influxus desineret in nihilum, nisi alibi maneret.

Sextum miraculum circa Corpus Christi.

Verùm quia alibi idem omnino esse permanet completissimum, nihil damni aut incommodi ex hac desitione sub speciebus accipit, sicut nihil commodi accipit ex productione. idem enim Christo est esse semel, & esse millies; cùm semel existens, omne bonum habeat plenissimè, & omnia possit, quæ existens millies. Hæc de miraculis circa Corpus Christi sub speciebus.

Duo miracula circa consecrantem.

Circa consecrantem primum miraculum est, tantæ multitudini 118
hanc potestatem concessam; neque ad eam requiri vitæ sanctitatem, aut veram fidem, neque ob vllam flagitiorum immanitatem illam adimi. Si vni tantùm in mundo esset concessa, quanta hic in omnium esset admiratione? quanti ad illum vndique fierent concursus? quanto ab omnibus afficeretur honore? veluti quidam Deus haberetur in terris, cui tam diuina esset auctoritas & potestas concessa. Nunc effusissima Dei bonitas non vni tantùm, sed pænè innumerabilibus hanc potestatem contulit, & porrò confert, etiam peccatoribus indignissimis, adulteris, homicidis, blasphemis, schismaticis, hæreticis. qua in re veluti suæ dignitatis oblitus, sui honoris & reuerentiæ curam neglexisse videtur. Nam multitudo illa & indignitas ministrorum, cælestem illam potestatem, eiusque functiones & diuinissima dona quæ per illam mundo Deus impertit, fecit vilescere, & minùs æstimari ab hominibus; sed Deus commodorum nostrorum intuitu ista statuit, nimirum vt nobis vbique & semper hoc diuinum Sacrificium, & æternitatis alimentum, etiam per indignos Sacerdotes copiosè suppeteret, neque ob eorum malitiam nos tanto bono frustraremur.

Alterum est, facilitas conficiendi. Non enim opus est ingenti labore ad rem tantam perficiendam; sed summa facilitate paucis conficitur verbis. Quid facilius verbo? Nullum signum externum promptiùs & minori labore edi poterat, quàm verbum & breuis locutio. Si aliquis pro arbitrio montes transferre posset, vel siccare maria, ciere ventos & fulmina, excitare mortuos, quamuis ad id multa oratione, multisque cæremoniis vteretur, in summa esset admiratione. At quid sunt ista ad magnitudinem huius mysterij, quod per se non minùs est arduum & ingens quàm cæli & terræ creatio; & tamen tanta facilitate, tamque breui tempore ab homine indignissimo perficitur. Mira prorsus est in his diuina misericordia & benignitas, omnique admiratione superior. Sed hæc omnia, vt dictum est, sic constituit, vt omnia nobis ad salutē opportuna abundantissimè, absque labore, & quasi sponte suppeditarent:

rent: sicque immensitatem sui in nos amoris & misericordiæ plusquam paterna viscera declararet, nosque sibi iucissim ad se redamandum alliceret.

129 Hæc de præcipuis huius mysterij admirandis. Præter hæc facit etiam ad commendationem & miraculum huius mysterij, quòd magnam habeat cum *mysterio Incarnationis* affinitatem. Sicut enim in mysterio Incarnationis Diuinitas inuisibilis vnita est humanitati visibili; ita in Eucharistia caro Christi inuisibilis vnita est speciebus visibilibus. Secundò, Sicut ex illa vnione vnus efficitur Christus; ita ex hac vnione cum speciebus vnum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi. Tertiò, Sicut per incarnationem totum Verbum vnitum est singulis humanæ naturæ partibus; ita per consecrationem totum Christi Corpus singulis vnitur partibus specierum. Quartò, Sicut læsa & patiente humanitate Diuinitas manebat illæsa & impassibilis; ita passiones quæ fiunt circa species, non possunt Corpus Christi sub illis latens afficere. Quintò, Sicut tamen ob vnionem illam Deus dicebatur pati, crucifigi, mori patiente humanitate; ita ob hanc vnionem, fractis & sumptis speciebus, dicitur frangi & sumi Corpus Christi. Facit enim hæc vnio quamdam idiomatum communionem. Sic etiam Corpus Christi dicitur videri, tangi, misceri, portari, ratione specierum; & hoc visibile rectè dicitur viuum, intelligens, sanctificans, ratione Corporis inclusi. Sextò, Sicut humanitas Christi, non habebat ibi suum naturalem modum subsistendi, sed sustentabatur à Verbo; ita species non habent hîc suum naturalem modum existendi, sed continentur virtute Corporis Christi extra suum naturale subiectum. Septimò, Sicut nulla vis creata potest illam vnionem dissoluere; ita nec hanc, quàm diu species saluæ manent.

Analogia Eucharistiæ & Incarnationis.

CAPVT XVII.

De modo quo beneficia sua contulit.

130 SVPERIORIBVS Capitibus explicuimus octo beneficia diuinæ misericordiæ generalia infinitæ æstimationis nobis per Verbum Incarnatum præstita: nunc considerandus est modus quo Christus nobis supradicta beneficia contulit; quanto labore, quantis doloribus, acerbitatibus, incommodis: hoc enim summopere ad magnitudinem misericordiæ declarandam facit. Si enim bene-

Modus conferendi supradicta beneficia considerandus.

ficium non nisi maximis incommodis benefactoris collatum est, non minùs æstimatur ex modo conferendi, quàm ex magnitudine rei collatæ. Qui enim miseriæ alienæ absque difficultate aut incommodo aliquo suo consulit, solùm rem illam externam, quam illi donat, expendit: qui verò, vt succurrat, multos labores & dolores subire debet, non solùm rem illam quam misero tribuit, quaque eius leuat miseriam, conferre censetur; sed etiam suos labores, sudores, afflictiones (quæ longè pluris æstimantur) in illum expendere. Ingens fuit benignitatis opus, quòd nos ex nihilo ad imaginem & similitudinem suam crearit, & ad statum diuinum euexerit; sed magna facilitate absque vllo suo incommodo, & quasi ex redundantia bonorum suorum id præstitit. Nulli in eo labores exantlandi, nulli perpetiendi dolores, nullæ difficultates tolerandæ. Ex immensitate bonorum parua dumtaxat scintilla delibata vel adumbrata est, & totum opus absolutum extitit. At perditos redimere, & ab exitio reuocare, non ita facile fuit; sed multa & varia incommoda, eaque grauissima subeunda illi fuere. Vnde S. Bernardus Tractatu De diligendo Deo col. 6. sic ait: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam tam pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus quàm factus. Nam qui me semel, & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura; nec tantùm dura, sed & indigna*, &c. Idem Sermone 20. in Cantica: *Super omnia reddit amabilem te mihi, Iesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc, inquam, est quod nostram deuotionem & blandiùs allicit, & iustiùs exigit, & arctiùs stringit, & vehementiùs afficit. Multùm quippe in eo laborauit Saluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. Ille denique dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt: at verò in hoc & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis obseruatores, & in tormentis illusores. & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit?* Vide eumdem Serm. 11. in Cantica.

Prima afflictio in opere redemptionis. Prima difficultas in redemptionis nostræ opere fuit in acceptan- 131
do peccatorum totius mundi reatu, & obligatione pro eis satisfaciendi. Cogita quanta sit illa scelerum colluuies, quantum malitiæ pelagus & quàm inexhaustum, quod totum mundum ab initio vsque ad finem inundat. Hoc totum clarè & distinctè oculis Christi obiectum, & simul humeris eius impositum, vt loco generis humani se veluti reum omnium istorum coram iustitia diuina sisteret, & iustam satisfactionem sponderet. Quantum putas

Acceptio reatus peccatorum.

in

in ea re illi puritati fuisse horrorem, quantam auersionem & abominationem? Sicut si vestis aliqua fœdissimis rebus vndiq; aspersa & inquinata corpori delicato & nitidissimo induceretur, illudque operiret & vndique contingeret, magnum adferret illi horrorem & afflictionem: ita peccatorum nostrorum reatus veluti quoddam operimentum ex infinitis abominationibus contextum, ab illa puritate assumptum, & arctissimè applicitum ac inductum, maximum illi horrorem concitauit. hac veluti veste sordidissima indutus, se diuinæ iustitiæ tamquam reum pro nobis stitit, & profundissimè, tamquam si ipsemet omnia illa patrasset, humiliauit. Hanc culparum nostrarum in Dominum translationem multis locis insinuat sacra Scriptura Isaiæ 53. *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrûm*. & paulò antè: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ipse autem vulneratus est propter scelera nostra*. & infrà: *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit*. & paulò pòst: *Ipse peccata multorum tulit*. Hinc Dominus delicta nostra sua vocat, quia nimirum illa in se transtulit. Psalm. 21. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? longè à salute mea verba delictorum meorum*. quasi dicat; Ideò me dereliquisti, quia accusatio delictorum quæ in me transtuli, me saluari prohibet. Psalm. 39. *Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ*. & Psalm. 68. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita*. His & aliis locis sermo est de delictis & iniquitatibus ipsi impositis.

132 Petes, Vtrùm etiam damnatorum hominum peccata in se susceperit, & pro illis satisfactionem exhibuerit? Respondeo, suscepisse, non quidem eo modo vt iam damnatis in posterum aliquid commodi posset prouenire, sicut ijs qui tunc nondum erant damnati; sed quia præstitit id quod debitum erat diuinæ iustitiæ, ratione gratiæ & fauoris illis olim in vita prærogati. Deus enim intuitu satisfactionis Christi, & meritorum eius futurorum, dispensatoriè hominibus prioribus gratiam suam & remissionem peccatorum obtulit; ita vt per illos steterit, si non sint saluati. Vnde Christus posteà hunc fauorem & gratiam præstitam, sua satisfactione veluti solutione compensare debuit, etiamsi illi non ampliùs sint capaces in posterum vllius gratiæ aut boni. *An pro damnatis satisfecerit.* Rom. 5, 6. 1. Cor. 16, 22 2. Cor. 5, 15. 1. Ioan. 2, 2.

Neque solùm in statu illo Rei suscipiendo difficultas fuit, sed etiã in acceptanda morte, pœnisque acerrimis, totoque satisfactionis onere; *Acceptatio mortis.*

onere; præsertim cùm hæc omnia clarissimè & distinctissimè tamquam præsentia oculis mentis ipsius obiicerentur. Nos quidem malorum huiusmodi impendentium apprehensione interdum parum commouemur; quia rudi modo & tamquam adhuc procul posita illa concipimus: verùm Dominus ab initio conceptionis non minùs efficaciter & viuaciter ea concipiebat, animoque proposita habebat, quàm si præsentia oculis corporis intuitus fuisset; vnde non minùs illorum consideratione moueri & affligi poterat, quàm si mox ea sibi subeunda vidisset. Quantam autem prædictorum malorum consideratio vim in animo, & quando ipse voluit permittere, etiam in corpore Domini nostri habuerit, colligi potest ex ijs quæ in horto, dum Patrem oraret, & calicem illum amarissimum deprecaretur, perpessus est, vbi tantas ex hac apprehensione angustias, tantam naturæ luctam sustinuit, vt sanguineum sudorem copiosissimè effuderit. Cùm enim natura tantam suppliciorum acerbitatem, & tantum peccatorum nostrorum pondus sibi imponendum summè refugeret, & econtrariò charitas Christi & obedientia paterna eam efficacissimè ad illa acceptanda & perpetienda propelleret, factum est vt ex hac agonia & veluti colluctatione, naturæ impetus victus sanguineum sudorem emiserit. Sanguis enim introrsum refugiens, mox summo impetu extrorsum ad superficiem repulsus, simul cum sudore per poros corporis foras largiter est effusus. Ex quo patet, & quantopere natura supplicia illa refugerit, & quanta vi spiritus naturam vicerit, eamque ad illa amplectenda impulerit, & quantum in vtroque natura illa innocentissima sit perpessa.

Lucæ 22.

Secunda difficultas fuit in *dolore peccatorum*. Dominus enim simulatque culpas nostras in se transtulit, seque reum loco nostro fecit, dolorem de illis maximum concepit, eumque tota vita sua continuauit, etsi non semper permiserit integrè in corpus redundare. Nam sicut is qui peccauit, primò se debet reum agnoscere, deinde concipere dolorem, quòd Deum offenderit, tertiò, exhibere pro modulo suo satisfactionem: ita Dominus primò se veluti reum coram diuino tribunali loco nostro constituit; deinde dolorem internum grauissimum in se concitauit; tertiò, ad externam satisfactionem, eamque variam processit. Est enim internus dolor animi, satisfactio quædam peccatorum prima & maximè efficax, vt quæ interiùs voluntatem commutet & corrigat, per quam voluntas retractat,

Secunda afflictio, in dolore peccatorum, seu satisfactione interna

133

tractat,& quantum in se est,irritum reddit & infectum quod commisit, & simul se ipsa doloris acerbitate castigat & punit. Hinc etiam est primus actus pœnitentiæ ad delendum peccatum, & reconciliationem obtinendam maximè necessarius. Ratio dolendi Domino potissimùm fuit duplex. Prior, iniuria diuinæ maiestati per peccatum irrogata. Altera, damnum humano generi inde proueniens. Cernebat ille perspicuè & in particulari peccata omnia, & quanta singulis infinitæ illi bonitati & maiestati fieret iniuria, quanta contumelia, quantus contemptus. Cernebat etiam quantum malum sit æterna damnatio, quam totum genus nostrum sibi per peccatum arcessiuerat. Hinc dolor excitabatur acerrimus. Magnitudo enim doloris seu tristitiæ sequitur magnitudinem mali, & perfectionem cognitionis, qua malum illud apprehenditur: atqui malum hîc erat maximum, tum in ratione culpæ (erat enim pelagus quoddam peccatorum, & abyssus malitiæ contra diuinum Numen) tum in ratione pœnæ. Quæ enim maior calamitas & afflictio fingi potest, quàm sit æterna damnatio? Apprehensio etiam perfectissima. Multò enim exactiùs & clariùs singula considerabat & ponderabat, quàm vlla creatura posset. Itaque oportuit & ipsum dolorem maximum esse, vt qui magnitudini mali & perfectioni apprehensionis responderit. Vnde non dubitauerim affirmare, hunc dolorem sufficientissimum fuisse ad vitam Domino millies eripiendam, si vim suam in corpus exerere permissus fuisset. Quod enim magnitudo doloris animi seu mœstitiæ vitam intercipere & hominem occidere possit, multis exemplis constat. Legimus enim quosdam vehementia contritionis subitò extinctos, & Heli dolore captæ arcæ retrorsum cecidit & expirauit. Similiter & nurus eius dolore eiusdem cladis extincta est. Ita enim cor concluditur, refluente ad ipsum sanguine cum spiritu, vt impedita naturali diastole & systole, multa fuligine collecta suffocetur. Sicut econtrariò in maxima lætitia ita subinde dilatatur, vt spiritu effuso & dissipato vita simul euanescat. At dolor quo Dominus noster de peccatis nostris doluit, longè maior fuit & intensione & æstimatione, quàm vllus dolor qui in hominem cadere possit. Sed dispensatorie factum est, ne vis eius in corpus se proferret, nisi quando & quantum Domino videretur. Habebat enim plenissimum omnium affectuum appetitus inferioris, & commotionis spirituum & sanguinis dominium. Fuit hic dolor continuus ab initio conceptionis vsque ad finem vitæ, sicut & apprehensio peccatorum; quamuis non sem-

Duplex ratio dolendi Domino.

Magnitudo doloris animi in Domino nostro.

Dolor animi potest hominem interimere corde suffocato. 1. Reg. 4.

per æquè in appetitum inferiorem & corpus permissus sit redundare; sed interdum plus, interdum minùs, prout occasiones exteriores, & tempus & locus postulabant. Maximè autem ei laxatæ habenæ in horto, quando sudorem sanguineum expressit, & reliquo passionis tempore; nimirum vt pars inferior non solùm extrinsecus flagellis, spinis, cruce; sed etiam intrinsecus tristitia spontanea affligeretur: sicque cum externa satisfactione per passionem carnis, exhiberet simul internam per dolorem spiritus.

Tertia afflictio. Aspera plurima in satisfactione externa. Primò, Paupertas.

Tertia difficultas fuit in *satisfactione externa*, ad quam præstandam multa & asperrima subiit. Primò, *Tolerantiam paupertatis.* 134
Assumpsit enim statum paupertatis, qui secum multa defert incommoda, vt famem, sitim, frigus, æstum, labores, & commodorum huius vitæ inopiam. Nasci voluit à parentibus pauperibus, in loco alieno, in stabulo, exclusus & reiectus ab hospitiis communibus & vsitatis; reclinari non aliorum more in lectulo, in molli culcitra; sed in præsepio, in fœno, in stramentis animalium, inter animalia. Quæ maior paupertas animo concipi queat? Paulò pòst sæuiente persecutione Herodiana fugit in longinquas & ignotas oras, ibique peregrinus & contemptus degit annos aliquot. Quanta in illa fuga, in mansione peregrina, & in reditu paupertatis incommoda perpessum putas? Posteà adultam ætatem assecutus, pauperes discipulos & rudes sibi adsciuit, eorumque conuictu & consuetudine semper est vsus quàm diu inter mortales egit, mendicato victu & piorum eleëmosynis ipsos & se sustentans. Denique tanta eius paupertas fuit, vt neque lectum, neque cubile, neque domicilium quò se reciperet, haberet. *Vulpes*, inquit, *foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Ipse tamen omnium erat Dominus, omnium auctor & largitor, si diuinam naturam spectes: si humanam, ad ipsum pertinebant omnia sublimis cuiusdam dominij iure, quod illi ratione vnionis hypostaticæ competebat. Sed *cùm dives esset, propter nos egenus factus est* (vsu & commodorum fruitione) *vt ipsius inopia diuites essemus.*

Matth. 8.

2. Corinth. 8.

Secundò, Obedientia Legis. Gal. 4.

Secundò, *Subiectionem & obedientiam Legis. Factus enim est sub Lege, vt eos qui sub Lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum recuperemus*, & ex seruis liberos, ac filios Dei efficeret. Erat autem in hac subiectione & magna molestia, & multiplex humiliatio. Molestia, ob circumcisionem, & ob alias multas steriles obseruantias populo illi duræ ceruicis & ingenij seruilis præscriptas. Humiliatio, quia 135

Lex

Lex ob duas potissimas causas data est. Primò, Vt mundo idololatria obruto, populum illum ab illicitis cultibus auerteret, & partim timore pœnarum temporalium, partim innoxio illo cærimoniarum Legis exercitio detineret, ne æstu communis consuetudinis abreptus, in barathrum idololatriæ deuolueretur. Secundò, Vt carnalis populus, & rerum spiritalium rudis, vmbris & figuris Legis informaretur ad mysteria Christi; vt quia nudam veritatem illorum capere non poterat, saltem in figuris & vmbraticis signis ea teneret, sicut pueris & rudibus spiritalia bona per sensibilia explicari solent. Vnde Apost. ad Galat. 3. *Lex*, inquit, *pædagogus noster erat in Christo*. Pædagogus, qui & timore supplicij homines ad illicita pronos compesceret; & rudes, puerorum instar, symbolicis typis ad Christi veritatem instrueret. Subiectio itaque Legis, signum erat & innatæ prauitatis & ruditatis. Magna itaque humiliatio fuit illi Sapientię & Sanctitati, Legi subiici, quasi ipsa illis imperfectionibus subiecta, & huiusmodi pædagogiæ indiga fuisset. Potuisset se meritò à Lege eximere, vtpote Legis auctor, Lege omni superior, ad quem præfigurandum & excipiendũ Lex condita, in quo Lex omnis impletur, & vmbræ omnes euanescunt, & salutaris veritas omnis aperitur, & omnis iustitia, sanctificatio, & redemptio repræsentatur. Sed sponte se illi subiecit, tum in satisfactionem, & redemptionem nostram, vt dictum est: tum ne Iudęi tamquam Legis præuaricatorem reiicerent, néve hanc speciem iustæ excusationis, suæ impietati & infidelitati possent prætendere. *Cur Lex data.*

136 Tertiò, *Obedientiam parentum*, & humilem illum obscurumque vitæ modum, quem vsque ad annum 30. ætatis suæ tenuit: *Venit* enim *Nazareth*, *& erat subditus illis*, inquit Euangelista. Erat ipse plenus sapientia, imò Sapientia ipsa gubernans & disponens omnia, & tamen tamquam insipiens & directione humana egens, subiicit se parentibus pauperculis, simplicibus; eorum imperium & ductum sequitur, in obscuro illo vitæ modo, tamquam aliquis è vulgo ignotus & ingloríus, se continens; & parentem putatitium in arte fabrili rebusque externis, ad victum vestitumque conquirendum adiuuans. Non enim credibile est, tanto tempore otiosum vixisse, sed voluisse liberis dare exemplum quo modo parentibus suis obedire & auxilio esse debeant. Quàm mirabile erat, mundi fabrum & conditorem homini fabro seruire, instrumenta fabrilia porrigere, ex eius præscripto ligna secare, dolare, aptare, serram ex aduerso reciprocare, trabes machinis attollere, *Tertiò, Obedientia parentum.* Lucæ 2.

locare, componere, & alia, more famuli vel discentis, fabrilia obire. Qua putas modestia, qua promptitudine, qua mansuetudine? nimirum instar obedientissimi filij & famuli. Hæc omnia faciebat, Diuinitatis suæ maiestatem obtegens, serui formam dumtaxat præferens, in eaque humiliter homini plebeio inseruiens, & obedientiæ documenta proferens; vt omnem virtutem prius ostenderet exemplo quàm doceret verbo, & hac conuersationis suæ humilitate pro nostra superbia Patri faceret satis. Quàm longè ab his absunt mores nostri! qui, si quid præclari in nobis esse putamus, non valemus illud intra nos continere, sed importunè opportunè effundimus, ostentamus, iactamus, & vanè gloriamur, quasi aliquid præ cæteris vel sciamus, vel possimus, vel simus; cùm tamen nihil simus. Eamdem conuersationis humilitatem etiam post sui manifestationem retinuit, adiunctis sibi rudibus & infimæ sortis discipulis, cum illis tamquam sociis, amicis & fratribus familiariter & assiduè agens, totamque regionem obiens, eorum imperitiam & mores incompositos benignè tolerans, publicè & priuatim eos erudiens. Ecce quò se illa Sapientia demittit? quibus se accommodat? quomodo cum rudibus & insipientibus, tamquam similis illis, se gerit?

Quartò, Labor docendi. Quartò, Sustinuit ingentes molestias *in hominibus tum exemplo tum sermone erudiendis:* magno enim labore corporis & fatigatione vicos, castella, ciuitates, totamque Palæstinæ regionem per tres annos & menses aliquot obiuit, prædicans regnum Dei, & viam salutis omnes docens, pauperes & afflictos consolans, morbos curans, dæmones expellens, & eorum antiquam in corpora & animas tyrannidem euertens, & vitam æternam omnibus in se credentibus promittens; idque tanta assiduitate, vt vix aliquid temporis ad quietem vel corporis refectionem supperet, vt ex Euangelistis constat. *Meus*, inquit, *cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.* Quoties in hoc opere fatigatus est? quoties fame, siti, frigore & æstu afflictus? quoties post labores & sudores vel sub dio in oratione pernoctauit; vel sub pauperculo tugurio, humanis destitutus commodis, per noctem delituit? Non aderant deliciæ ciborum, quibus vires reficeret; non indusia munda aut vestes mutatoriæ, quibus sudore madenti corpori consuleret; non molles culcitræ, quibus membra defessa reclinaret; non luculentus focus, quo lassitudinem mitigaret; nec alia id genus consueta laborum solatia: sed his omnibus

Ioan. 4. 137

salutis

salutis nostræ desiderio contemptis, laborum quidem meras molestias perferre voluit, remedia autem & solatia admittere noluit; tum vt pro nimia carnis nostræ indulgentia diuinæ iustitiæ satisfaceret, tum vt suo exemplo nos ad similes labores pro salute animarum subeundos, & commoda carnis contemnenda animaret.

138 Quintò, Sustinuit *probra & contumelias*, quantas nullus vmquam mortalium. Etsi enim esset innocentissimus, purissimus, sanctissimus, atque adeò ipsa puritas & sanctitas; tamen à primariis Iudaicæ gentis viris infamatus est, & contumeliosè appellatus potor vini, publicanorum amicus, Legis euersor, populi seductor, ambitiosus, perduellis, seditiosus, Samaritanus, præstigiator, blasphemus, Diuinitatis impius vsurpator. Quid his dici potest atrocius aut ignominiosius? quid calumniosius? Nos qui innumera peccamus, & in omne vitium, in omnem infamiam proni sumus, vix minimam calumniam sustinere possumus; turbamur, clamamus, protestamur: *Libera me*, inquit Propheta, *à calumniis hominum, vt custodiam mandata tua*; quia calumniæ sensum hominis maximè transuersum agunt, & ad impatientiam impellunt. Ille in tanta innocentia & sanctitate, post tanta beneficia & mira opera ad eorum salutem gesta, patientissimè grauissimas illas calumnias & contumelias sustinuit; idque ab iis, quos è diaboli tyrannide eripere, ab æterna morte ad æternam vitam perducere, & filios Dei efficere conabatur. Neque solùm contumeliis verborum, sed etiam factis contumeliosissimis afficere; capientes illum tamquam latronem & seditiosum, ligantes, velantes faciem, illudentes, alapis in faciem cædentes, conspuentes, alba veste induentes, flagellantes instar serui, spinis coronantes, arundine velut sceptro, & chlamyde coccinea tamquam veste regali per ludibrium (quasi regnum affectasset) ornantes: denique inter latrones crucifigentes, & in ipsa cruce felle & aceto potantes. Quid his cogitari possit acerbius, atrocius, contumeliosius? quid simile vmquam in aliquem, etiam maleficum & regni insidiatorem, designatum? hæc omnia ille mansuetissimè, patientissimè & modestissimè tolerauit, sine querelis, sine clamoribus, sine imprecationibus, sine vindicta, sine comminatione, cum summa charitate & affectus dulcedine in eos qui amarissimo animo irrogabant, deprecans pro illis Patrem, & remissionem tantorum scelerum eis flagitans.

Quintò, Calumnia.

Psalm. 118.

Sextò, Dolores animi & corporis.

Sextò, Perpessus est dolores animi & corporis longè grauissimos. 139
Dolores animi nascebantur ex consideratione offensionis diuinæ, & paucitatis saluandorum, & magnitudinis ingruentium tormentorum. Horum enim omnium clarissima & viuidissima apprehensio dolorem in parte superiore gignebat tantum, vt breui tempore mortem esset illaturus, si in partem inferiorem laxatis habenis refundi permissus fuisset, vt suprà ostensum est. *Dolor corporis* erat ex læsione corporis, quæ extrinsecus multis modis inferebatur. Primò, *Ipsa ligatione & vinculorum constrictione.* Captum enim sæuissimè funibus constrinxerunt, ne posset effugere; experti enim erant ipsius potentiam, neque facile esse ipsum vi retinere; & Iudas monuerat vt eum tenerent, & ducerent cautè. Deinde odium & rabies animi qua in Dominum ferebantur, eos impellebat, vt statim ab initio comprehensionis, tantum mali quantum licebat, illi inferrent. Itaque validis funibus, & etiam catenis (vt valdè credibile est) eum arctissimè vincierunt, brachiis post tergum colligatis, collo similiter & medio corpore acriter constricto. Quantum autem ea res dolorem adferat, testantur aliquando rei extremo supplicio afficiendi; qui interdum tantum afflictionis ex ipsis vinculis, quantum ex ipso genere mortis ad quod damnati sunt, sentiunt. Accedebat raptatio, impulsio, protrusio, dum huc illuc magno furore per vias impellitur; dum ex horto ad Annam, ab Anna ad Caipham, à Caipha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, ab Herode rursus ad Pilatum, ab hoc ad crucem rapitur. Hæc enim arctè vincto supra modum dolores exasperabant.

Dolor corporis ex multis causis.

Constrictio.

Flagellatio.

Secundò, *Flagellatione.* Fuit enim Dominus longè sæuius flagellatus, quàm solent crucifigendi. Iusserat id Pilatus, partim vt gratificaretur Iudæorum Primoribus, quos sciebat summa ipsius inuidia flagrare, ac proinde hoc illis fore longè gratissimum: partim vt tam crudele spectaculum ipsorum odia exsaturaret, & furorem poscentium illum ad mortem compesceret. Itaque immanissimam & quæ instar mortis censeri posset, quáve maior salua vita vix posset sustineri, censuit flagellationem adhibendam: sicque dum vnam mortem nititur à Domino auertere, geminam ei irrogat; & illa aliqualis beneuolentiæ Iudicis species, versa est ei in augmentum supplicij. 140

Doloris acerbitas.

Quantam autè doloris acerbitatem Dominus ex illa flagellatione sustinuerit, quis æstimet? Sanè dubitandum non est, quin longè grauiorem dolorem senserit, quàm quiuis alius mortalium ex huiusmodi

iusmodi supplicio perciperet. Quò enim temperamentum corporis est nobilius, & maior sensuum vigor, eò quoque dolor ex illato supplicio est acerbior. Hinc videmus, nonnullos, quibus tangendi sensus est acrior, ex attactu rei calidæ, vel ictu flagelli, intolerabilem percipere dolorem: alios, in quibus iste sensus est stupidior, ex iisdem rebus exiguum vel panè nullum. Quare cùm ille sensus in Domino ob summam perfectionem temperamenti & spirituum fuerit exactissimus, necesse est dolorem quoque fuisse maximum, qui homini tali genere supplicij possit irrogari. Vnde valdè credibile est fuisse maiorem & acriorem, quàm vmquam aliquis Martyrum pertulerit. Etsi enim supplicium ignis videatur immanius quàm flagellorum; tamen potest in aliquo tanta esse sensuum acrimonia, vt ipsi sint acerbiora flagella, quàm aliis ignis incendia. Accedit, quòd doloris acerbitas ex flagellis vel igne in aliis si continuetur, obstupefaciat sensum, ita vt post breue tempus non tantopere percipiatur; idque partim euanescentibus spiritibus in parte quæ affligitur; partim concurrentibus ad cerebrum humoribus, & principia neruorum occupantibus, vt spiritus, sine quibus non est sensio, diffundi nequeant. Quam ob causam apoplectici & comate affecti nihil sentiunt. At in Domino neutrum horum fuit: perstitit enim ille sensuum vigor ab initio vsque ad extremum, ipsa anima sua potentia vel Diuinitate corpus illud ita regente, & interiùs conseruante, vt plura pati posset: cuius signum est, quòd clamans expirauit. Non ergo sensim ita extremè debilitatus est tormentis, vt alij solent; sed retinuit vires aliquas supra naturæ conditionem, easque dum tempus fuit, simul effluere cum anima permisit. Quod etiam significat Dominus cùm ait: *Nemo tollit eam* [animam] *à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo rursùm sumendi eam.* Vires ergo retinuit & vigorem sensuum vsque ad mortem, sicque non minùs supplicia in progressu & in fine quàm in principio sensit; sed toto tempore passionis summos & acerrimos dolores ex tormentis illatis percepit. Vnde meritò Isaias: *Vidimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem.* & Psal. 37. *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Ioan. 10. Isaiæ 53. Psal. 37.

141 Tertiò, *Coronatione.* Domino enim flagellis immanissimè toto corpore conciso, & sanguine manante, ne vel caput doloribus liberum relinqueretur, coronam ex spinis acutis & robustis contextam (paliurum quidam fuisse putant, alij spinam marinam, horrendis *Coronatio.*

vtra-

vtraque aculeis imponant, & magna vi in caput adigunt, vt firmiter adhæreſcat. qua in re & acerrimi fuere dolores, & ſumma ignominia. Dolores, quia cutis capitis, totumque pericranium in orbem cum ſuprema frontis parte ſpiculis coronæ confixa fuere & perforata. In iſtis autem locis ſenſus eſt acerrimus, vt experientia conſtat, cùm vel leuiter pungitur. Quanti igitur dolores ex tot & tantis punctu̇ris in capite tam ſano, tam nobili temperamento, tanto ſenſuum vigore prædito. Accedebant percuſſiones ſacri capitis, quibus aculei illi magis magiſque adigebantur & infigebantur:
Matth.27. *Percutiebant* enim *arundine caput eius.* Iam de ignominia quid dicam? nulla enim animo maior comprehendi poteſt, quàm quæ Domino hîc irrogata. Coronatur Rex cæli & terræ ad publicam infamiam, tamquam iniquus & ambitioſus regni temporalis aucupator: coronatur ſpinis ad dolorem, quaſi nulla alia corona dignus: induitur veſte coccinea veteri ac ſordida, veluti regali amictu: & inſeritur manui arundo in ſpeciem ſceptri, ad augmentum dedecoris. Denique, tamquam regio habitu pulchrè inſtructus, per ſummum ludibrium adoratur genu flexo cum amara ſalutatione, *Aue Rex Iudæorum.* & mox ad extremum contemptum & vilipenſionem, conſpuitur in faciem, percutitur arundine in caput, cæditur alapis, protruditur pedibus, illuditur, blaſphematur, & infinitis ſannis, irriſionibus, ſarcaſmis, cachinnis cum ingenti ſtrepitu & inſolentia exagitatur, tamquam omnium mortalium ſceleroſiſſimus, ambitioſiſſimus & viliſſimus. Et quidem videntur hæc omnia milites ſuo arbitratu, Iudæorum inſtinctu, abſque iudicis ſententia feciſſe: nimirum tam vilis tamque nihili æſtimabatur, vt contra morem omnium tribunalium, libidini & licentiæ militari relinqueretur; quaſi crimen ipſius tam grande eſſet, vt nihil atrocitatis vel ignominiæ poſſet in eum à quoquam effundi, quod non mereretur, magnitudine ſceleris omnẽ ſupplicij & dedecoris modum excedente. Quàm verè de ſe per Prophetam dixit: *Ego vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Quis enim hominum poſt homines natos ita fuit aliquando tractatus? quis ita arbitrio carnificum conceſſus? quis vmquam reus in ipſa ſupplicio-
Pſal.21. rum acerbitate tam inhumaniter illuſus, irriſus, exagitatus? Omnes enim tunc miſerari potiùs & compati, quàm illudere ſolent. Sed voluit Dominus, vt nobis præberet exemplũ patientiæ, ſupra omne exemplum pati; & vt oſtenderet nobis immenſitatem noſtrarum offenſionum, ſupra omnem menſurã repræſentare ſatisfactionem.

Quar-

142 Quartò, *Crucis baiulatione.* Hæc fuit impoſita & ad ignominiam,& ad tormentum. *Ad ignominiam*: quid enim poteſt eſſe ignominioſius, quàm damnatũ ad infame genus mortis, cogi etiam ipſum ſupplicij inſtrumentum ſuis humeris deferre, nulla pœnarum præcedentium habita ratione? quaſi ipſe indignus ſit,qui vel à iumentis in ea re iuuetur, aut inſtrumentum deſtinatione ſupplicij & contagio perſonæ adeò maledictum & contaminatum, vt nemini præter ſontem conueniret illud attingere. Vnde etiam cùm Dominus ſub pondere fatiſceret, nullus Iudæorum admouit manum, tamquam metuens pollui ab infami ligno; ſed quemdam gentilem Simonem Cyrenæum coëgerunt poſt Dominum deferre. Et apud Romanos non niſi ſceleratiſſimis ſeruis imponebant, quaſi nemo tanti dedecoris nota eſſet afficiendus, niſi in quo ſumma conditionis vilitas cum ſummis ſceleribus coniuncta foret. Idem ipſi voluerunt hac ratione ſignificare in Domino. Summum itaque contemptum,ſummum dedecus continebat hæc baiulatio. *Ad tormentum*: ingens enim tormentum eſt, corpore toto flagellis ſecto,ſanguine defecto, & capite tot ſpinarum aculeis confixo, tanto pondere aſperæ trabis onerari, cogiq́ue tam longo itinere eam ſuis humeris deferre: neque lento paſſu incedere licebat, aut quietem ſubinde reſpirandi cauſa capere;ſed vel fuſtibus vel ſtimulis (vt apud Romanos ſerui cùm ad crucem adigebantur) impellebatur,vel funibus raptabatur,vel pedibus calcibuſq́ue protrudebatur ad properandum & ſequendum comitatum. Ibat igitur manſuetus ille agnus ſudore & ſanguine madens,dehiſcentibus præ labore & corporis contentione vulneribus: ibat tacitus & anhelus, mole crucis incuruus,& in terram depreſſus, in ſaxa & aſpera offenſans,& interdum ſub pondere concidens,toto corpore grauiter colliſo. Ibat inimicis cinctus,ſicut ouis lupis; ipſis plaudentibus & inſultantibus, crudelitate militari Dominum impellente, protrudente,raptante,& pugnis ac fuſtibus malè mulctante. Denique tanta fuit hæc afflictio,vt cùm vlteriùs procedere non poſſet,alium ei ſubſtituere ſint coacti,non miſericordiæ affectu,non aliquo humanitatis ſenſu;ſed ne viribus planè exhauſtis,crucis ſupplicium ſuſtinere non poſſet: nimirum vt hac breui relaxatione ad productius & maius ſupplicium ſeruaretur, quò rabies illa immenſa, qua in ipſum ferebantur, poſſet exſatiari.

Crucis deportatio.

Matth.27.

Lipſius l. 1. De Cruce c.12.

Lipſius l.2. c.6.

143 Quintò, *In ipſa crucifixione*. In hac quoque & ſummum probrum, & ſummum tormentum; vt meritò cenſeri poſſit omnium

Crucifixio.

nium suppliciorum maximum. Quod enim ad probrum attinet, nullum supplicium magis infame, aut magis abominandum: nam & apud Iudæos *maledictus*, id est, detestandus & execrabilis *erat Deo omnis qui pendet in ligno*. & apud Romanos nonnisi infimæ sortis hominibus, id est seruis, iisque extremè sceleratis irrogari solet. vnde & *supplicium seruile* vocatum est. Tormento quoque & sensu doloris cetera superat. etsi enim pœna ignis videatur acrior, crucis tamen longè est diuturnior, vt hac ratione etiam multis ignibus æquari possit. Hinc veteres hoc supplicium peculiariter vocarunt *summum & supplicium supremum*, (quasi maius illo reperiri nequeat) & ignis supplicio prætulerunt. Dominus igitur noster, qui omnium probra & culpas in se transtulerat, vt copiosum exhiberet lytron, elegit supplicia & ad contumeliam probrosissima, & ad sensum doloris asperrima. Y etibus igitur in rupe Caluaria, publico suppliciorum loco, coram infinita hominum multitudine rursus exuitur, nudus cruci imponitur, coaptatur, extenditur, manus clauis validis vi malleorum transfiguntur, rumpuntur nerui, venæ, arteriæ, & vnà cum carne in foramina crucis adiguntur; fit magna sanguinis effusio, & brachiorum violenta ex neruorum punctione conuulsio. Hinc venitur ad pedes: trahuntur iniecto fune magna vi ad foramen paratum, fit corporis totius valida extensio, apparent costæ & ossa corporis diuulsa, dissiliunt sectæ cutis & carnis vulnera, rursus sanguinis copia effunditur; tandem malleorum ictibus sacri pedum fori clauis transuerberantur, crucique affiguntur, abruptis vnà cum carne neruis, venis, & arteriis, quorum ibi præcipuus concursus. Denique in altum erigitur, & solo non sine ingenti concussione depangitur; sicque tres horas colluctans extremis illis tormentis, viuus persistit. Quis æstimet doloris, quem Dominus hîc sustinuit, immensitatem? nam præterquam quòd in manibus & pedibus maximè sensus, ob neruorum copiosiorem, vigeat; hæc non tam fuere incisa, quàm vi disrupta & diuulsa, & simul arctissimè compressa & affixa. Multò autem maior est dolor in diruptione & compressione, quàm in incisione. Deinde hic dolor, pondere corporis assiduè deorsum trahente, factus est sensim etiam auctior. Quò enim quis diutiùs pendet, etsi non perfossus clauisque affixus, sed solùm ex brachio ligatus, hoc maiores sentit dolores, adeò vt tandem fiant intolerabiles, vt ex tortura reorum constat: sic enim malefici torqueri solent, vt crimen vel socios fateantur. Quantus ergo dolor erit manibus pedi-

Deut. 21. Lipsius lib. 1 De Cruce, cap. 12.

Lipsius lib. 2. De Cruce, cap. 1.

pedibusque confixis, diruptis, affixis, & appressis immiti ligno, præsertim in tam sano corpore, in tam nobili corporis temperamento, tantaque sensuum perfectione & vigore? Accedit vulnerum totius corporis concisi diuulsio, apertio, & renouatio: accedunt spineæ coronæ ad crucem offensiones, quibus aculei impulsi latiores & profundiores fecere puncturas. Denique totius corporis instar chordæ in arcum valida extensio, ita vt omnia ossa, testimonio Prophetæ, dinumerari potuerint; quæ extensio vel sola ad summum tormentum sufficit, vt equulei testantur. Hos omnes dolores simul sustinuit, & quidem pro inimicis, & iisipsis qui illos irrogabant; non vt ab illis aliquid commodi perciperet, sed vt debitum eorum, quod illi soluere non poterant, dependeret; & chirographum, quo morti & inferno obstringebantur, deleret, vt ab exitio æterno, cui iam pridem addicti erant, eximeret, & vitam, salutem, ac gloriam sempiternam conciliaret. Quid ad tantam benignitatem, ad tam inauditam & ineffabilem misericordiam addi potest, per quam non solùm infinita mala à nobis depulsa, & infinita bona procurata, sed etiam tam miris tamque difficilibus modis, cum tanta Diuinitatis exinanitione, & vt ita dixerim, incommodo; cum tantis laboribus, doloribus, ac diuinorum bonorum expensis; exhausto in id pretio immenso, vita nimirum & sanguine filij Dei; idque pro ingratis & inimicis! Psalm. 21.

CAPVT XVIII.

De particularibus beneficiis.

144 HÆC de generalibus diuinæ misericordiæ beneficiis, quæ ad omnes homines pertinent: nunc breuiter dicendum de specialibus, quæ cuique in particulari impensa. Inter quæ primo loco ponatur, quòd aureo hoc sæculo, nempe tempore gratiæ, nasci nos voluit, non tempore Legis veteris aut naturæ. Magna tunc erat rerum diuinarum ignoratio, magna gratiæ cælestis & donorum salutarium inopia. Dominabatur pæne toto orbe diabolus tamquam in proprio regno, & loco diuini Numinis colebatur. Hic pro suo arbitratu videbatur regere omnia. hinc fiebat vt pauciſſimi ex immenso mortalium numero salutem consequerentur, omnibus pænè in sempiternum exitium ruentibus. Infelix planè sæculum, & omnino ferreum, etsi deliciis carnis & diuitiis sæcularibus, humanaque

Particularia beneficia.

Primum, Quòd nati tuo gratiæ.

Discrimen vtriusque sæculi.

naque gloria apud quasdam gentes, quæ Monarchiam obtinebant affluentissimum. Quid, si tunc nati fuissemus, & stadium huius vitæ nobis decurrendum fuisset, potuissemúsne in tantis tenebris, in tanta naturæ & morum prauitate, in tanta cælestis auxilij inopia, & diaboli potentia, æternam mortem euadere, & salutem adipisci? Valdè credibile est, tam paruis præsidiis fultos, & tot machinis impulsos, lapsuros, & communis consuetudinis æstu abreptos in exitium præcipitandos. Præsciebat hoc Dominus, & præuenit nos ab æterno misericordiæ suæ benigno proposito, ex infinita hominum multitudine nos seligens, ac nostros natales vitæq; cursum in tempus gratiæ reseruans. tempus, inquam, gratiæ, sæculum verè aureum, vel potiùs gemineum, quo tenebræ infidelitatis discussæ, idololatria sublata, principatus diaboli depressus, cælum apertum, diuina misericordia patefacta, via salutis propalata: sæculum, quo tam eximium offertur Sacrificium, tam diuina participatur Hostia, & tam efficacia suppetunt Sacramenta; quo tanta est vbertas diuinæ gratiæ, tanta facilitas reconciliationis, tanta facultas merendi, tanta subsidia perseuerandi, tanta commoditas singulis pænè momentis cælestem augendi coronam: sæculum, quo melliflui sunt cæli, quo montes stillant dulcedinem, & colles lacte & melle manant; quo singulis horis exiguo labore & minutis operibus nostris possumus inæstimabiles & æternas diuitias accumulare. Magna itaque est felicitas, hoc æuo natum esse, magnum beneficium, pro quo infinitæ Deo gratiæ sunt agendæ.

Secundum, Quòd nati à Christianis.

Secundò, Quòd nati à parentibus Christianis, & Christianè edu- 145
cati. Non minus est istud beneficium quàm prius. Quid enim profuisset nasci tempore lucis & gratiæ, si ipsi inter tenebras in medio infidelitatis inter Brasilios, Indos, vel Caphros editi fuissemus? Non enim fuissemus participes lucis & bonorum huius æui aurei, sed in pristini sæculi miserrima sorte, hoc est, in ignorantia diuini Numinis & salutaris viæ, atque in omnium vitiorum colluuie cum certissima damnationis æternæ expectatione manssissemus. Neque putet quis ex naturæ cursu potiùs quàm ex diuinæ prouidentiæ decreto & designatione prouenire, quòd hic ex illo, iste ex alio parente nascatur, tali dispositione corporis talem animam non aliàm postulante. Non ita est: nulla enim est dispositio in embryone, nulla qualitatum syndrome in corpusculo animando, cui non sint aptæ infinitæ animæ ex iis, quæ in thesauris diuinæ sapientiæ & potentiæ sunt reconditæ. Imò valdè verisimile est, quamuis dispositionem

Ex diuino beneplacito id prouenire.

cor-

corporis humani completam in vtero cuius animę rationali aptam esse; & posita tali dispositione, quamuis infundi posse. Quod probari potest Primò, ex resurrectione. Maior enim est discrepantia inter dispositiones vltimas corporis nascentis & resurgentis, quàm inter dispositiones vltimas omnium nascentium: atqui eidem animæ infundendæ aptæ sunt & congruæ non solùm dispositiones corporis sui nascentis, sed etiam resurgentis: ergo etiam omnes dispositiones nascentium illi aptæ erunt, & ad eos infundi poterit. Deinde, Sapientiæ 8. dicitur: *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* vbi Salomon tamquam singulare beneficium Dei refert, sortitum esse *animam bonam*, id est ingeniosam, & ad bonum procliuem, quasi eidem corpori potuerit infundi minùs bona, minùs ingeniosa. Ergo id non pendet ex dispositione corporis, sed ex Dei electione, qui pro suo beneplacito præstantiorem vel minùs præstantem animam infundit. Quòd enim animæ, etsi sint eiusdem speciei communis, multùm inter se discrepent perfectione substantiali indiuidua, mihi valdè credibile. Idem dixerim de Angelis eadem specie communi comprehensis. Nam si inter corpora humana tanta est diuersitas, vt in tam innumerabili multitudine vix sit duo reperire vultu & temperamento planè similia; cur non idem putemus de multitudine animarum? Amat enim natura in rebus varietatem, & quantum potest, fugit paritatem. Cernere id est ferè in omnibus indiuiduis animantium & plantarum. An fortè spiritalis natura non est capax tantæ varietatis, quantæ corporalis? Meo sensu etiam longè maioris capacem dixerim, non solùm in speciebus, sed etiam in eiusdem speciei indiuiduis, de quo alibi fortè erit dicendi locus. Tertiò, Sæpè videmus in pessimo corpore optimam animam, & in optimo corpore pessimam animam: homines enim vitiosi temperamenti, interdum sunt præstantis ingenij, & ad omnem virtutem expediti; & contrà nonnulli probissimi temperamenti, sunt stupidi, & ad virtutem minùs idonei. Non ergo conditio animæ sequitur corporis temperamentum, neque anima sui corporis temperamento ita est addicta & veluti commensa, vt non aliis temperamentis possit accommodari.

Eadem dispositio corporis innumeris animis accommoda.

Animarum disparitas.

Ex his concludo: Cùm animæ omnes creentur à solo Deo, nulla creatura cooperante, formato in vtero materno corpusculo, posse Deum quamuis animam creare, & illi infundere; neque ad hanc vel illam animam creandam potiùs quàm ad aliam à dispo-

sitione corporis, sed à suo beneplacito determinari. Beneficium ergo ingens in eo recognoscendum, & misericordiæ diuinæ imputandum, quòd non ab infidelibus, sicut alij innumerabiles; sed à fidelibus, & inter fideles nati sumus; vbi & Baptismum & Christianam institutionem consecuti, & viam salutis ab infantia edocti. Quantum est discriminis inter sortem barbarorum & Christianorum? Illi destituti cognitione Dei, & futurorum bonorum ac malorum, totiusque semitæ salutis æternæ ac mortis, destituti beneficio redemptionis Christi, in omni vitiorum fœditate voluntantur, absque vlla propemodum spe damnationis æternæ euadendæ. nos autem per Baptismum abluti, & Christo insiti, facti sumus heredes vitæ æternæ; & luce cælestis doctrinæ collustrati, nouimus viam salutis, & per illam, mirandis adiuti præsidiis, magna fiducia ad æternam vitam contendimus. Sanè beneficium hoc tam ingens est, vt nec verbis explicari, nec mente humana possit comprehendi.

Præseruatio ab hæresi.

Tertium beneficium, Quòd ab hæresi in primis, & ab aliis innumeris peccatis præseruati. Monuit Dominus, & post Dominum Apostoli, venturos *nouissimis temporibus seductores & falsos prophetas*, vt ab illis diligentissimè caueremus. Succreuerunt illi nostris temporibus vberrimè vt herba irrigua, diaboli satu & cultura. Multa centena hominum millia ab illis seducta, & seducuntur indies plurimi. Ingentia sunt huius ætatis pericula, præsertim iis qui inter tale genus hominum degunt, & cum illis aliquando versantur. nam *sermo eorum vt cancer serpit*, integra regna breui peruadens, & instar flammæ omne bonum depascens, ipsis etiam fundamentis salutis penitus absumptis. Felices quos diuina misericordia ab hoc contagio præstitit immunes? Considera miseriam eorum qui in hoc barathrum ceciderunt: tenebras nefandas cælestem putant lucem, & lucem tenebras; errores exitiales veritatem salutarem, & ipsam veritatem censent errorem: præcipitium infernum viam salutis vocant, & verum salutis iter mortis compendium: seductos se putant vitæ beatæ, cùm certissima sit eorum damnatio, nisi perfidiam deponant: malum amplectuntur loco boni, & verum bonum instar mali detestantur. Denique eò magis insanabiles, quòd infinita quadam vel superbia vel vecordia sensum suum omnium sæculorum præteritorum & totius Ecclesiæ Catholicæ iudicio anteponunt, tamquam ipsis solis sapere sit concessum, & sancti Patres Doctoresque prisci & neoterici sint fungi vel pepones.

146

2. Tim. 2.

nes. Ex magnitudine huius mali, & periculis huius æui, æstimanda est illius beneficij magnitudo, Deoque infinitæ gratiæ agendæ. Neque solùm quòd ab infidelitate, sed etiam, quòd ab aliis innumeris peccatis præseruati, in quæ nisi diuina misericordia singulari cura & prouidentia nos præueniisset & custodisset, eramus prolapsuri. Nullum enim peccatum fecit homo, quod non faceret alius homo, nisi eum custodiret qui pro ipso factus est homo. Quid enim diabolus in nos in tanta naturæ imbecillitate & prauitate non posset, nisi diuina bonitas nostri miserta nos protegeret, & suæ gratiæ auxilio corroboraret & iuuaret? Itaque diuinæ misericordiæ assignanda non tantùm opera bona quæ facimus, sed etiam effugia malorum quæ vitamus.

147 Quartum beneficium, Quòd à multis damnationis æternæ periculis erepti, & ad pœnitentiam & salutem reseruati. Cogita quoties gehennam sis commeritus, quoties iram diuinam & cæleste fulmen in caput tuum accerseris; & tamen Dominum tibi pepercisse, vitamque prorogasse, & tempus concessisse pœnitentiæ, quod aliis innumeris qui minora peccauerant est negatum. Sunt enim innumerabiles æternis incendiis addicti, qui tamen paucioribus quàm tu peccatis fuere obnoxij. Quid diuinæ clementiæ pro tanta rependes indulgentia? Toties enim ab inferorum faucibus liberasse censeri debet, quoties te id merentem non præcipitauit, quoties tibi præ aliis infinitis te melioribus seu minùs malis peperit, & culpas emendandi tempus concessit? Vide ergo ne illud Apostoli ad Rom. 2. in te locum habeat: *An diuitias bonitatis eius* (Dei) *& patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiem tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius.* & illud Iob 24. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam.* Quæque cogitet quoties id à se factum, & diuinæ misericordiæ parenti se obstrictum æternùm fateatur.

A periculis damnationis ereptio.

Rom. 2.

148 Quintum beneficium, Quòd in literis educatus, & insignem rerum diuinarum & salutarium notitiam adeptus. Hoc maximè pertinet ad Theologos: estque sanè magnum Dei beneficium, quòd non ad artem aliquam sordidam ac infimam, non ad quæstus emporicos, non ad militiæ sæua & periculosa exercitia, non ad vana & saluti inutilia vel noxia studia diuina prouidentia mentem tuam inflexerit; sed ad studia nobilium disciplinarum, ad animi cul-

Educatio in literis.

cultum & ornatum, quæ rebus corporalibus longè antecellit. Philosophicæ enim disciplinæ mentem rebus humanis celsiorem, & ad omnem virtutem aptiorem reddunt, gradumque ad Dei cognitionem & amorem struunt. sed in his non stetit, vlteriùs te proexit, & ad diuinorum eloquiorum intelligentiam, ad suorum mysteriorum & salutarium dogmatum scientiam perduxit; vt ea & distinctiùs conciperes, & clariùs cognosceres, & firmiùs crederes, & fortiùs retineres, & efficaciùs ad omnis operis boni praxim apprehenderes; vtque iam non solùm crederes, sed etiam quodammodò videres Religionis nostræ veritatem & eminentiam, teque rectum & securum salutis iter tenere. Neque tibi soli saperes, sed etiam in alios hanc lucem posses transfundere, & omnes hæreseon errores illi aduersantes refutare & pessum dare. Hæc est vera illa sapientia, omni auro & gemmis pretiosior, omnibus honoribus & sceptris eminentior, cui nulla res huius mundi valet comparari; contra quam cetera quæ homines magni æstimant, diuitiæ, honores, voluptates carnis, in libella veritatis & diuini iudicij nullius sunt ponderis aut momenti, sed mera vanitas, & ipsa vanitate leuiora. Magnum itaque hoc est beneficium, paucioribus indultum, magni solatij, & fructus eximij.

Sacerdotiũ.

Sextum beneficium, Quòd ad Sacerdotium noui Testamenti 149
euectus. Hoc ad omnes Sacerdotes præcipuè pertinet. Nihil maius vnquam vlli creaturæ in cælo aut in terra collatum. Quid enim maius esse potest, quàm posse peccata remittere, iniurias Dei condonare, impios Deo reconciliare, animas ex faucibus inferni eripere, ex filiis iræ filios Dei creare, spiritum adoptionis infundere, ius cælestis regni amissum restituere; & quod his omnibus est admirabilius, diuinissimam illam hostiam consecrare, Corpus & Sanguinem Christi (iuncta anima & vnione Verbi) conficere, & sui Conditoris, vt ita dixerim, esse conditorem & auctorem, aliaque stupenda, quæ huic mysterio implicata, patrare, & diuinum Numen humanis rebus conciliare. Nihil sanè his admirabilius aut grandius animo concipi potest: non enim minùs est mirabilis aut difficilis peccati remissio, impij sanctificatio, hominis deificatio, Corporis Christi consecratio, quàm cæli & terræ creatio; omnia enim infinitam virtutem & auctoritatem requirunt. Hæc tamen potestas non Patriarchis aut Prophetis, non Angelis aut Archangelis, non Cherubinis aut Seraphinis nobilissimis purissimisque spiritibus, non ipsi denique Dei Matri sanctissimæ concessa est; sed tibi

in-

indigno, terreno, luteo, peccatori, præ aliis innumeris te melioribus diuina miseratione indulta.

Septimum beneficium sit pro Religiosis, Quòd ad Religionem adductus. Magnum est hoc & inæstimabile beneficium, quibus ea sors obtigit: est enim consilium Christi magni Doctoris nostri, prioribus sæculis absconditum; mundo quidem ignotum & paradoxum, sed sapientiæ & fructus plenissimum. Magni solatij est homini, si conscius sibi sit, quòd consilium Dei sit secutus. Verùm de hoc beneficio satis dictum in Tractatu De statu vitæ deligendo, quæst. vltima. *Status Religionis.*

CAPVT XIX.

Quid rependendum Deo pro tanta misericordia.

150 EXPOSITIS summatim generalibus & specialibus misericordiæ diuinæ in nos beneficiis (de præcipuis loquor) supereſt vt dicamus breuiter quid debeamus tantæ benignitati pro tot tamque inæstimabilibus & immensis bonis rependere, ne ingratitudinis vitium incurramus; quod sanè vitium est pessimum & salutis peremptorium. Nam vt S. Bernardus Serm. 51. in Cantica ait: *Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Hoc vt euitemus, quatuor potissimùm à nobis gratitudo, quæ ei rependamus, deposcit: *memoriam, amorem, seruitutem* seu *obsequium*, & *perpetuam cum gratiarum actione laudem.* Hæc ordine ex virtute gratitudinis sequuntur, & per hæc quo potest modo beneficia accepta compensat. *Ingratitudinis malum.* *Quatuor rependenda.*

Primum quod rependi debet, est *beneficij memoria.* Nihil sanè minus referri potest benefactori, quàm memoria beneficij, qua is qui accepit, illud sibi gratum esse, & à se æstimari ostendit. Vnde ingratissimus est, qui beneficij accepti ne recordatur quidem, aut ad memoriam aliquando reuocat. Indicat enim eo neglectu, se illud parui aut nihili ducere, nec mereri vt eius consideratione animum occupet. Tales sunt hodie innumeri, qui ita rebus infimis sunt immersi, & in omnia alia intenti, vt vix vmquam de diuinis beneficiis, nisi fortè obiter, cogitent; quasi hæc terrena & pereuntia sint maioris meriti quàm illa, quæ Dominus vel nobis contulit, vel pro nobis gessit, vel nobis promisit. O viles & cæcas animas! *Primum. Memoria.*

itáne mundi huius præstigiis estis fascinatæ, vt tanta beneficia tam parui pendatis,& temporalia ista vana & plerumque noxia illis anteponatis? Sed cuique hic considerandum non tam quid alij agant, quàm quid ipsemet hac in re præstiterit, & quid præstare debeat; nimirum quàm parũ diuina beneficia recoluerit;quàm rarò, quàm obiter de illis cogitarit, quàm parui æstimauerit, quàm in omnia alia intentus,in studia,in ludos,in honores,in sua commoda,in officia vel beneficia acquirenda; neque solùm se immemorem præstiterit beneficiorum, sed etiam maleficia & iniurias Deo pro illis rependerit. qui sane summus est ingratitudinis gradus. Hæc vbi in se deprehenderit, doleat quàm primùm, & emendet firmo proposito assiduæ commemorationis, vt nullus dies absque huiusmodi aliqua consideratione & gratiarum actione effluat. Et quia nulla mens creata par est tantæ rei pro dignitate considerandæ, ideò non segniter aut obiter, sed intentissima animi speculatione incumbendum, examinatis circumstantiis personarum, locorum, temporum, finis, modi, mediorum, causarum, effectuum, adhibitis exemplis & comparationibus similium & dissimilium, ratiocinatione, analogico ascensu, vt mens, quantum fas est, magnitudinem beneficiorum Dei percipiat, sibique ita informet animo, vt numquam excidant, fructumque vberrimum ex suauissima illorum memoria colligat.

Secundum, Amor.

Secundum quod debemus rependere, est *amor* in benefactorem. 151
Cùm enim nihil dignum in vicem tantorum beneficiorum reipsa possimus præstare, par est vt saltem affectu compensemus.

Amore fit compensatio per affectum.

Hoc autem fit amore, qui bonũ quod conferre non potest, vel gratulatur si adsit, vel optat si desit, vel procurat si potest. Sed quomodo hunc amoris ignem in nobis accendemus? Beneficiorum attenta & assidua commemoratione. Sicut enim solis radij speculo excepti, & in vnũ collecti, calorem ingentem & etiam ignem excitant; ita diuina beneficia mente collecta, & attentiùs considerata, feruorem charitatis & amoris cęlestem ignem in cordibus nostris accendunt. Vnde cõtemplatiui docent, non esse efficaciorem rationẽ ad extaticum amorem, quo mens à sensibus abducta in Deũ veluti liquescit, pertingendi, quàm per diuinorum beneficiorum considerationem.

In consideratione beneficiorum Dei tria expendenda.

In hac consideratione tria potissimùm expendenda; nostra indignitas, Dei eminentia, beneficiorum magnitudo. Et quamuis hæc suprà satis persecuti simus, hîc tamen breuiter, quasi per anacephalæosin, ob oculos ponenda. 152

Nostra indignitas.

Primò, Nostra indignitas, tum ratione naturæ, tum ratione pecca-

peccati, nempe quòd ex nihilo, quòd ex nobis nihil simus, quòd in nihilum semper propendemus, quòd infimus naturæ rationalis terminus, quòd bestiis affines & terrenis addicti, quòd mente cæci, & semper in malum proni; quòd filij iræ, inimici Dei, omni eius beneuolentia & fauore indigni; quòd æternæ morti & inferno carceri ratione peccatorum nostrorum addicti.

Secundò, Dei eminentia, cuius essentia, infinitas; magnitudo, immensitas; vita, æternitas; status, immutabilitas; cuius virtus, omnipotentia; amor, sanctitas; beneuolentia, vita æterna; ira, mors æterna: cuius imperio subsistunt omnia, cuius prouidentia omnia conseruantur, & in suos diriguntur fines; cuius palmo concludūntur omnia, & in nihilo suspensa continentur; cuius comparatione vniuersitas rerum est instar puncti, vel potiùs instar nihili. Hic igitur talis ac tantus nobis tam pusillis & ram nihili creaturis, tam indignis & ingratis tam immensa beneficia contulit. *Dei eminentia.*

153 Tertio loco spectanda ipsa beneficia. Primò quidem, quòd cùm non essemus, & æterno retrò tempore in tenebris non-entis delituissemus, sine vita, sine specie, sine esse, ex nihilo mirabiliter condiderit, quòd ad imaginem sui formarit, quòd Diuinitatis & gloriæ suæ capaces fecerit, quòd hunc mundum, cum omnibus suis opibus, ornamentis & commodis in nostrum vsum, obsequium, & solatium fabricarit, quòd cælestes spiritus in custodes & pædagogos nobis assignauerit, quòd ad æternam vitam & gloriæ suæ consortium nos destinauerit, facillimis ad hoc attributis adminiculis. Deinde cùm per peccatum à prima illa status felicitate in exitium lapsi essemus, quòd rursus nostri misertus, ab æterna morte redemerit, quòd ex inimicis filios Dei constituerit, quòd ius cælestis hereditatis nobis instaurarit, quòd nostra causa formam serui induerit, & nostræ naturæ infirmitates susceperit; quòd tot tantosque labores, & dolores, & contumelias, & probra pertulerit, quòd vincula, flagella, sputa, alapas, coronam spineam, clauorum perfossionem, denique crucem & mortem cum infinito cruciatu sustinuerit; quòd immensum suorum meritorum thesaurum nobis ad perpetuam reconciliationem reliquerit, quòd Corpus & Sanguinem suum in Sacrificium propitiationis & in alimentum immortalitatis nobis legauerit, quòd tam facilibus & efficacibus salutis remediis (Sacramentis inquam saluberrimis) nos instruxerit. & hæc quidem omnibus sunt cōmunia. *Beneficia diuina generalia.*

154 Postremò considerāda quoque particularia quæ cuilibet præ innu- *Consideratio particularium beneficiorū.*

innumeris aliis præstitas, vt quòd à parentibus fidelibus æuo isto beato sis natus, quòd inter fideles & in fide orthodoxa educatus, quòd salutis viam egregiè edoctus, quòd ab hæresi præseruatus, & à plurimis dānationis periculis ereptus, quòd infinitis miserationibus præuentus, quòd Sacerdotio ornatus, quòd ad Religionis portum (si fortè hæc tibi bona obtigerūt) adductus, & alia huiusmodi. Ecce breuiter & summariè catalogum beneficiorum Dei. Quanta se aperit in istis misericordiæ abyssus! quàm immēsum benignitatis & dulcedinis pelagus! quàm incomprehensibilis charitas! superant ista & singula eorum omne eloquium, omnem sensum, omnem æstimationem, omnem intelligentiam creaturarum omnium.

Ex horum consideratione excitabitur in nobis amor & desi- 155
derium Deo vicissim gratificandi, nosque totos in ipsius obsequium & honorem impendendi. Si enim tantus Dominus, tot tamque immensa beneficia, tam miris & arduis modis, nobis tam indignis & ingratis prærogauit, nullius sui commodi, sed nostri dumtaxat boni causa, vt nos ad gloriam suam eueheret; quid erit adeò magnum vel difficile, quod vicissim ad ipsius honorem cultumque augendum præstare non debeamus?

Obsequium perpetuum.

Hinc sequitur tertium, quod ex gratitudine Deo rependere 156
debemus, nempe *seruitutem* & *obsequium perpetuum*. Et quamuis plurimis titulis Deo nexi & obstricti simus, quibus ipse à nobis æternam seruitutem exigere potest, præcipui tamen sunt decem:

Decem tituli Deo obstricti.

Primus, Creatio.

Primus titulus quō Deo seruitutem debemus est ratione *nostræ creationis*. Ipse enim nos ex nihili tenebris vbi ab æterno delituerамus, in lucem essentiæ & naturæ eduxit: ipse ad *imaginem & similitudinem* suam formauit: ipse *ad seipsum* tamquam ad proprium nostrum finem nos condidit & ordinauit. Itaque in hoc titulo triplex ratio debiti continetur; quia tripliciter modo Deus est causa nostri esse & naturæ; & nos ab illo triplici modo dependemus, nempe tamquam à causa *effectrice*, *exemplari*, & *finali*. Et hæc dependentia non est accessoria aut extrinsecus aduenies, qualis est dependentia huius domus ab hoc fabro, vel imaginis ab hoc pictore (poterant enim ista æquè ab aliis fieri) sed est omnino intrinseca & essentialis: adeò vt natura nostra sine hac dependentia ne concipi quidem animo aut intelligi perfectè possit. Vnde sequitur ex Creatione, nos essentialiter esse Dei; ac proinde nos ex vi essentiæ nostræ eius seruituti obstrictos, idque triplici ratione & nexu. Primò, quia eius opus sumus & figmentum. Secundò, quia eius

Triplici modo à Deo dependemus.

Triplici nexu obstricti seruituti Dei ex vi nostræ essentiæ.

imago

imago & imitatio. Tertiò, quia ipse noster finis ad cui seruiendum conditi sumus.

157 Singuli isti tituli etiam per se & seorsim spectati, omnem à nobis seruitutem & omne obsequium postulant. Vt enim eius *opus* sumus, longè plus ille in nos iuris habet, quàm dominus in infimum mancipium, & possessor in iumentum, & figulus in testam, & pictor in statuam, & quilibet opifex in suum opus. opifex enim solam externam figuram rebus arte factis tribuit, Deus verò vsque ad fundum penetrans rem totam in solidum producit, eique totum suum esse, totam naturam, speciem, & ornatum intrinsecum tribuit. Quare si dominus de suo iumento, & opifex de suo opere pro arbitrio statuere, & ea prout libet, vti potest: multò magis Deus de nobis & rebus creatis vniuersis. Potest itaque nos extollere & deprimere, percutere & sanare, affligere & consolari, occidere & viuificare, saluare & condemnare: nec quisquam ei dicere potest, Cur sic mecum agis? ipse enim iure suo & re sua vtitur, cùm ipsius plenissima subiectione, & absolutissimo dominio sint omnia. Hac ratione S. Scriptura passim rerum omnium dominium Deo tribuit, quòd omnia sint ipsius opera & figmenta. *Tui*, inquit, *sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti: Aquilonem & mare tu creasti*. & Apostolus Paulus: *Deus, qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt: hic cæli & terræ cùm sit Dominus*, &c.

Singuli per se sufficiunt ad omnem seruitutem.

Psalm. 88.

Act. 17.

Quatenus eius *imago*, ita ei subiecti sumus & seruire debemus, sicut imago suo prototypo. Vnde sicut totum imaginis officium, & totus eius vsus ac functio est, imitari & exprimere in se suum exemplar: ita totum officium hominis est imitari Deum, eiusque perfectiones, nempe sapientiam, charitatem, sanctitatem, mansuetudinem, patientiam, misericordiam & iustitiam, quantum fas est homini in se exprimere & repræsentare. Est enim homo imago Dei, non mortua, sed viua & sui arbitrij, in cuius potestate est magis vel minùs exemplari suo se assimilare. Ex hoc titulo monet Dominus discipulos suos: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cæleſtis perfectus est*. nimirum quia filius est imago patris: imago verò suum exemplar imitari & exprimere debet.

Matth. 5.

Denique, prout ipse *finis* noster est, etiam ei summam debemus seruitutem: quamuis nec ab ipso, nec ad ipsius similitudinem essemus conditi. Hoc ipso enim quo ex naturæ nostræ conditione ad eius seruitutem instituti sumus, ei seruire debemus non minùs

quàm corpus animæ, iumentum domino, vasculum possessori, instrumentum opifici. *Seruire Deo* est ipsum cognoscere, timere, amare, honorare, laudare, seruare eius præcepta, & omnia ad eius gloriam facere. Hic est finis noster, ad hoc instituti & conditi sumus. Non enim ideò facti sumus, aut in hanc vitam venimus, vt comedamus & bibamus; vt diuitiis, honoribus, voluptatibus huius vitæ ad momentum fruamur, (indigna sunt infima ista & transitoria, in quibus mens nostra summi & æterni boni capax occupetur;) sed vt Deum, bonum infinitum, cognoscamus & amemus, eiusque præcepta ad breue tempus seruando, æternam beatitudinem, quæ in eius clara visione, amore, & fruitione sita est, promereamur. Quod ita esse, ex eo etiam confirmari potest, quòd finis cuiuslibet rei sit perfectissima eius operatio. Quare cùm cognoscere, amare & laudare Deum sit perfectissima operatio hominis tam in hac vita quàm in futura, (vtpote perfectissimæ potentiæ circa perfectissimum obiectum, & perfectissimo modo, nempe per fidem vel visionem;) perspicuum est id esse vltimum finem hominis.

Seruire Deo quid.

Perfectissima rei operatio est eius finis.

Ex quibus manifestum est, ex sola creatione nos triplici titulo naturaliter esse Dei seruos, eique omnem debere famulatum; ita vt nos totos eius obsequio mancipare debeamus, si huic debito vtcumque velimus satisfacere. Primò, quatenus eius sumus figmentum & opificium: secundo, quatenus eius imago & imitatio: tertio, quatenus ad eius seruitutem conditi ex natura nostra, tamquam ad proprium finem nostrum, sumus. Nulla potest fingi aut animo concipi maior subiectio, nulla maior obligatio, nullum arctius aut penitius vinculum seruitutis.

Secundus titulus generalis est, *ex creatione mundi, & deputatione Angelorum in nostrum obsequium*. Deus non solùm hominem ad suam imaginem & ad sibi seruiendum condidit, sed etiam condidit hunc mundum & omnia quæ in eo sunt, ad hominis vsum & obsequium: insuper Angelicos spiritus, principes Regni sui, ad eius custodiam & directionem deputauit. Triplex hîc continetur beneficium. Primum, quòd mundum totamque naturam corpoream in nostrum commodum fabricarit: non enim Angeli mundo egebant, cùm absque tota natura corporali felicissimè possent viuere; sed hominibus ad innumeros vsus erat necessarius. Secundum, quòd mundum nostra causa non solùm fabricatus sit, sed etiam assiduè laborare & nobis seruire faciat. Nobis enim gyrantur

Secundus, Creatio mundi & Angelica custodia.

Triplex hic est beneficium.

Mundus seruit homini, & pro eo laborat assiduè.

rantur cæli, splendet sol, lucent sidera, spirant venti, coguntur nubes, descendunt imbres, assurgunt montes, currunt flumina, mouentur maria, germinat terra, fecundatur aqua, & parturit omnis rerum natura. Hæc omnia nostra causa, vt nobis seruiant & commodent, Deus sic esse, sic moueri & operari iussit. *Ille solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Matth. 5. Ille *hominem constituit super opera manuum suarum. Omnia subiecit sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi: volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Psal. 8. Tertium est, quòd Angelos multò nobis præstantiores ad nostram destinarit tutelam.

159 Triplex hoc beneficium rursus de nouo triplici ratione à nobis seruitutem exigit. Si enim ille totam rerum naturam nostræ seruituti mancipauit, omnis ratio postulat, vt vicissim nos totos illius obsequio mancipemus. Si illius imperio & impulsu totus mundus sine intermissione pro nobis laborat, & nostris commodis noctes dieséque seruit; par est vt nos illi tota vita sine intermissione seruiamus; præsertim cùm eo ipso quo res creatæ nobis seruiunt, ipsemet nobis seruiat, & pro nobis assidue in creaturis & per creaturas laboret. Illæ enim sunt instrumenta, vt quæ omnem vim suam ab ipso habeant, & sine eius auxilio & cooperatione assidua nihil possint: ipse verò est principalis motor, director & auctor omnium commodorum quæ nobis ex rebus creatis prouenjunt. Itaque si Deus ipse continuò pro nobis laborat, vt nostris commodis seruiat: qua fronte nos illi seruire, & pro eius gloria laborare recusabimus? Denique, si etiam principes Regni sui nostris commodis seruire voluit; quod tandem genus seruitutis & obsequij ei non debeamus? præsertim cùm hæc omnia in eum finem nobis præstiterit, vt nos ad suum obsequium alliceret. in hoc enim consistit omne bonum nostrum. Deo seruire, regnare est; & omnibus mundi regnis præstantius & amabilius. Itaque omnis ratio, omnis æquitas postulat vt ei nos totos consecremus, qui vniuersam rerum naturam vnà cum cælestibus spiritibus in nostrum obsequium, commodum, & salutem mancipauit.

Triplici ratione exigit seruitutem.

Deus per creaturas pro nobis assiduè laborat.

160 Tertius titulus generalis est ratione *conseruationis*. Conseruatio enim rerum non minus beneficium est, quàm prima creatio, cùm nihil sit aliud quàm creationis continuatio. Nam per illam operationem qua Deus omnia intimè continet & conseruat, continenter dat quod ab initio semel datum est. Non enim ita res factæ sunt,

Tertius. Conseruatio.

sunt, vt possint per se consistere, sicut domus, & pictura vel statua semel facta, absente artifice per se stat: sed opus est continuo influxu quo singulis momentis detur quod semel datum est; alioquin omnia in nihilum euanescerent. Si ergo singulis momentis Deus confert totum illud bonum quod semel dedit: profectò singulis momentis nos obstringit ad suum obsequium. Non enim naturæ necessitate aut coactè, sed liberè & mera benignitate nos conseruat; cùm singulis momentis potentiæ suæ manum qua nos sustentat, possit subtrahere, & sinere nos recidere in nihilum nostrum. Itaque libera illa tanti beneficij continuatio singulis momentis est instar noui beneficij, & nouam ac continuam seruitutis obligationem inducit. Quare ratione conseruationis non minùs toti sumus Dei, nec minùs ei subiecti, & ad eius seruitutem obstricti, quàm ratione creationis. Tres istos hactenus commemoratos titulos complexus est S. Bernardus Serm. De quadruplici debito, his verbis: *Ecce in ianuis est qui fecit cælum & terram, & creator tuus est, tu creatura; tu seruus, ille dominus; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes à quo totum habes; qui & te fecit & benefecit tibi, qui tibi ministrat flaerum cursus, aëris temperiem, fecunditatem terræ, fructuum vbertatem. Huic reuerà totis medullis, totis viribus seruiendum, ne fortè indignationis oculo te respiciat, & despiciat, & conterat in æternum.* Hæc ille.

Quartus, Liberatio à triplici seruitute.

Quartus est ratione *liberationis à seruitute peccati, mortis, & diaboli*. De hoc suprà satis multa dicta sunt, quantum hoc sit beneficium, & quomodo ratione illius simus facti seruui Christi, illique omnes nostras cogitationes, curas, studia, conatus, labores consecrare debeamus. Sanè etiamsi mille nobis vitæ, mille animæ, mille corpora suppeterent, & omnia in honorem Dei expenderemus, parum adhuc esset ad tanti beneficij compensationem. 161

Quintus, Adoptio.

Quintus est, *Adoptio diuina*; & consequenter ius vitæ æternæ. Hoc quoque beneficium tanti est, vt nec infinitis obsequijs compensari valeat. Quid enim sunt opera nostra omnia ad excellentiam filiorum Dei, & ad tantam gloriam quæ ipsis est reposita? 162

Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis* (inquit Apostolus) *ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Etiamsi mille annis laborandum esset pro Christo, millies mors oppetenda, & subeunda martyrij tormenta, quid hoc totum esset ad æternam illam & beatissimam vitam, & gloriam filiorum Dei? Quidquid enim temporale est & transitorium, instar nihili est ad æternitatem. Itaque etiam

etiam hoc titulo omnia Deo debemus, & omnes vires ac functiones nostræ ipsius honori & cultui dicandæ. Accipit miles pensiunculam annuam post diuturnos militiæ labores à Principe, & infinitis gratiis actis, reliquum vitæ ipsius dedicat obsequio, numquam non de Principis sui dignitate & imperio amplificando cogitans, paratus quibusuis periculis se obijcere, vbi de ipsius honore agitur: & nos adoptati à summo Rege, & ad cæleſtem hereditatem vocati, non erimus solliciti de honore ipsius tuendo & amplificando? non totos nos illi addicemus & deuouebimus? Hæc duo beneficia significari etiam solent nomine *iustificationis*, quia iustificatio vtrumque complectitur; absolutè tamen sunt distincta.

163 Sextus titulus est ratione *Incarnationis Verbi diuini*. Hoc immensum prorsus est, adeò vt licet infinitæ singulis suppeterent vitæ, omnes meritò traheret in sui famulatum: nam etiam infinitorum Angelorum & infinitorum hominum bona opera, seruitutes, cultus, honores, laudes, gratiarum actiones, huic vni beneficio paria esse nequeunt. Infinitè enim maioris momenti est Dei illa humiliatio, quàm totius creaturæ obsequium & bonum vniuersum. Itaque si tanta maiestas nostræ salutis causa ita se demisit, vt nostram naturam, nostras infirmitates & miserias assumeret; quidnam tandem erit vel tam humile & abiectum, ad quod honoris ipsius causa nos non inclinemus; vel tam arduum, quod non aggrediamur, vel tam asperum, quod non amplectamur? *Sextus. Incarnationis beneficium.*

164 Septimus titulus est ratione *laborum quos Verbum incarnatum pro salute nostra suscepit*; quibus mundum illustrauit, viam salutis docuit, & exempla omnium virtutum dedit. Obstrinxit nos Dominus laboribus & sudoribus suis, vt nos vicissim ipsius gloriæ nostros labores & sudores consecremus. Quid enim minus rependere possumus? Omnes omnium mortalium labores minimo Domini labore non sunt digni: nam omnis ipsius actio infiniti est pretij, immensi ponderis & æstimationis. Neque verò parui, aut pauci, aut breues fuere labores illius, quos in salutem nostram exantlauit, sed maximi, innumeri, & assidui, præsertim triennio & trimestri postremo vitæ suæ, vt ex Euangelistis constat. Quis nunc inducat in animum vel conqueri, vel opinari se nimiùm pro honore Dei, pro salute proximorum laborare, cùm videat Dominum nostrum tam ingentes & assiduos labores cum tanta fatigatione corporis, tantisque incommodis, pro salute nostra subire? *Quid non suaue tibi*, inquit S. Bernardus, *cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui,* *Septimus, Labores Christi.*

Serm. De quadr. debito.

ni tui, & rememoraberis primùm quidem illarum infantilium necessitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in tei unando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremò periculorum in falsis fratribus, conuitiorum, sputorum, colaphorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, horumq; similium, quæ in salutem nostri generis triginta tribus annis operatus & passus est in medio terræ.

Octauus, Passio.

Octauus est ratione *Passionis & mortis Christi Domini.* Sanguinem pariter & vitam cum immenso cruciatu saluti tuæ profudit; quid magni præstiteris, si vicissim in ipsius honorem, sanguinem & vitam exhauseris? quid enim est vita nostra ad vitam ipsius? vita vermiculi ad vitam Dei, quæ tamen posita est pro vita vermiculi? Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita & vita nostra nullam habet ad vitam illius proportionem; cùm illâ dignior, istâ miserior esse non possit. *Cùm ergo,* inquit idem S. Bernardus, *ei donauero quidquid sum, quidquid possum, numquid istud sic est sicut stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum? Non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam, vel potiùs vnum minutum, voluntatem meam & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis præuenit, qui toto se totum me comparauit? alioquin si illam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordiæ Dei nostri, & audeo illius Sanguinis non guttas, sed vndas à quinque partibus corporis in meum pretium detorquere?*

Bernardus De quadruplici debito.

165

Nonus, Eucharistia.

Nonus est ratione *Eucharistiæ.* Hoc beneficium simpliciter infiniti est pretij, & nos totos, nostraque omnia vicissim postulat antidoron. Si enim Deus se totum dedit nobis, non solùm in socium, in amicum, in magistrum, in exemplum, in redemptorem, in pretium & lytron, in hostiam & sacrificium; sed etiam in cibum & potum, in alimentum vitæ æternæ, vt sit in nobis, & nos in se transformet, suoque spiritu viuificet, & immortales ac beatos corpore & animo efficiat; cur non debeamus in vicem nos totos in eius famulatum expendere? aut quid excusationis poterimus obtendere, si aliò cogitationes & studia nostra conuerterimus? quid amplius potuit nobis conferre? quibus modis arctiùs nos sibi obstringere, aut amorem & obsequium nostrum vehementiùs sollicitare & exigere? Ipse tantæ maiestatis Dominus in salutem mei pusilli vermiculi tam multis, tam miris modis se impendit & expendit, & vt ita dixerim exhausit; & ego ipsius gloriæ, cultui, & obsequiis me non

166

non impendam? Etiamsi infinitas haberem animas & vitas, omnes iam essent obnoxiæ, omnes iure naturæ illi addictæ.

167 Decimus est *Thesaurus meritorum Christi*, & infinitæ miserationes inde nobis impensæ. Quanti hic valeat ad salutem, optimè nouit diabolus, qui tanto studio tantisque viribus per suos ministros hæreticos nititur vascula illa, quibus ille nobis applicatur, (Sacramenta dico) euertere. Ex hoc thesauro est omnis nostra satisfactio, omnis reconciliatio, iustificatio, adoptio, & omne ius gloriæ. Quoties à peccatis resurgimus, toties hic thesaurus nobis communicatur, vt per illum Deo pro iniuria satisfaciamus, & adoptionem amissam redimamus. Quantum est hoc beneficium, ex quo nobis tot & tanta beneficia? Omnis iustificatio est immensi pretij: quoties itaque iustificati sumus à peccato, tot accepimus immensa beneficia. Quòd si vel vni beneficio, quod immensum sit, pares esse non possumus, etiamsi omnium hominum & Angelorum bona opera rependeremus; quomodo tot eius miserationibus, quibus nos toties iustificauit (hoc est, toties à peccato, à morte æterna, & diaboli tyrannide eripuit, toties pro nobis diuinæ iustitiæ debitum nostrum persoluit, toties spiritum adoptionis & ius regni æterni restituit) vllo modo respondere poterimus? Quis ista considerans, putabit se aliquid pro Deo fecisse, vel labores suos poterit magni pendere? *Quis*, inquit S. Bernardus Serm. De quadr. debito, *amplius grunniet, dicens: Nimium laboramus, nimium ieiunamus, nimium vigilamus; cùm nec millesimæ, imò nec minimæ parti debitorum suorum valeat respondere?* Parum est quod sumus, quod habemus, quod possumus, & hoc totum iam illi debitum ob creationis beneficium. Quid ei pro tot aliis immensis beneficiis rependemus? Nihil superest, nisi vt millies imò infinities nostra duo minuta replicemus, eadem semper offerentes, & infinitis nominibus nos illi debitores & seruituti eius addictos confitentes. His addi potest consideratio beneficiorum particularium, quæ in singulos priuatim collata, de quibus suprà Cap. 18.

Decimus, Thesaurus meritorum.

Bernardus suprà.

Ex his constat, quantis titulis & nominibus Deo simus obstricti, eique omnem debeamus seruitutem: ac proinde nisi ingrati & indigni eius misericordia esse volumus, nos totos eius honori & obsequio addicere & consecrare debere.

168 Quartum quod Deo rependere debemus, est *gratiarum actio, laus & benedictio.* Et quamuis hæc in obsequio & cultu, cui nos in tertio addiximus, contineri videantur; tamen quia in his spectatur

Quartum, Gratiarum actio.

peculiare officium gratitudini proprium, ideò aliquid de eis seorsim dicendum.

Laus. *Laus* est deprædicatio excellentiæ alterius, præsertim in factis. Propriè enim laudamur ex ijs quæ subsunt nostræ libertati. Sic Deus passim in Scripturis laudatur ex operibus iustitiæ & misericordiæ, & ex opere creationis & gubernationis. hæc enim sunt libera & excellentissima opera. Interdum etiam extenditur ad excellentias naturales (quamuis hæ potiùs honore quàm laude sint dignæ iuxta Aristotelem) vt cùm quis laudatur ab ingenio, à nobilitate, à robore corporis, à pulchritudine. Sic Deus aliquando à magnitudine, ab omnipotentia, à sapientia, à sanctitate, à bonorum omnium plenitudine laudatur. Laus diuina carmine concepta vocatur *Hymnus*.

Psal. 150. & 144. item 146. 134. 135.

Benedictio. *Benedictio* nihil est aliud quàm boni imprecatio: vt cùm quis voto & verbo alteri benè precatur. Continet duos actus, alterum voluntatis, quo vult ei bonum; alterum intellectus, quo illud bonum, quantum potest, confert. Est enim locutio practica interna vel externa, qua & exprimit affectum, & facit quod optat, si subest eius potestati: si non subest, tunc est inefficax, non defectu affectus, sed potestatis. Nostra *benedictio* erga Deum est inefficax, non defectu voluntatis & amoris, sed vel potestatis, vel etiam quia totum illud bonum quod ei imprecamur, possidet: & tunc habet vim gratulationis.

Gratulatio. *Gratulatio* enim est expressio & significatio gaudij, quod quis haurit ex eo quòd amicus aliquod bonum sit consecutus, vel iam possideat. Quòd si bonum sit extrinsecum, & nondum obtentum, vt cùm cupimus vt omnes mortales illum cognoscant, timeant, ament, colent & laudent, tunc si vera est benedictio, debet esse efficax, quantum in nobis est, nimirum vt vi illius incitemur ad illud bonum pro virili nostra promouendum. Dei verò erga nos *benedictio* semper est efficax, & confert totum quod imprecatur: quia facultas suppetit ad omne quod vult, & verbum eius ad quidquis efficiendum sufficit. Sicut si Rex, in cuius manu sunt omnes opes & dignitates regni, dicat; Esto tu Comes, ille sit Dux, ille Gubernator talis loci, tu posside tot millia annua, eo ipso illi hæc bona consequentur.

Gratiarum actio. *Gratiarum actio* est professio beneficij accepti ad benefactorem directa in quamdam compensationem. Agere enim gratias, nihil est aliud quàm profiteri gratiam beneficij, (id est, te gratis absque tuo merito, ex dono & liberalitate benefactoris accipere;) idque vt

ipsi

ipsi hanc laudem & veluti honorem pro accepto beneficio quasi rependas. Vnde etiam est genus quoddam honoris, quo te quodam modo benefactori humilias, & eius quamdam excellentiam profiteris. Quam ob causam etiam cum vsitata & communi honoris exhibitione fieri consueuit, verbi gratia, aperiendo caput, inclinando corpus, &c.

169 His explicatis, dico nos debere Domino Deo nostro gratiarum actionem infinitam; nempe infinito tempore in futurum, infinito affectu & significatione gratitudinis, & infinita cum animi demissione. Ratio est, quia beneficia eius & sempiterna sunt, & infinitæ æstimationis, tum in seipsis, tum ratione modi quo nobis sunt collata; & nos illis infinitè quodammodò indigni. Simili modo debemus illi infinitam laudem & benedictionem, infinitum amorem & obsequium, tum quia infinito amore, obsequio, benedictione & laude ob infinitam suam perfectionem in se dignissimus est; tum quia ipsius beneficia ex parte sua hanc infinitam compensationem postulant, quamuis ex parte creaturæ ea præstari non possit. Infinitè itaque in omnibus absumus ab eo quod ipsi est debitum, seu ab eo quod ipse ex parte sua meretur. Vt tamen ex parte nostra præstemus quod possumus, animos nostros ad laudes diuinas crebrò excitemus, & cum Propheta dicamus: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. qui replet in bonis desiderium tuum.* & alibi: *Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi. Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum, & in seculum seculi:* & quæ sequuntur, vbi laudes diuinæ maiestatis, misericordiæ & benignitatis pulcherrimè exequitur. Rursus Psal. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo; in generationem & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo,* &c. & Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo,* &c. Et

Quanta gratiarum actio Deo debita.

Psal. 102.

Psal. 144.

170 quia admodum exiguum est quod per nos possumus, conemur supplere per amicos, & accersamus in societatem Angelicos spiritus, cælestia corpora, sublunaria omnia, & vniuersam creaturam animatam & inanimam, vt nobiscum & pro nobis Deo de infinita ipsius in nos misericordia gratias agat, eumque laudet & benedicat. Sic Propheta Dauid multis locis miro affectu, & veluti diuino

amore ebrius, omnem naturam creatam, quæ in cælo & quæ in terra, ad laudem Dei prouocat. vt Psal. 148. *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis: laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius: laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen*: & quæ sequuntur. Et socij Danielis in fornace Babylonica. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite cæli Domino*, &c. Laudant creaturæ ratione carentes Deum, tum quia sunt veluti voces quædam, potentiam, sapientiam & bonitatem Conditoris sonantes; tum quia naturam rationalem sua specie ad laudem & benedictionem excitant; denique per Prosopopœiam affectu nostro illis rationem & intelligentiam beneficiorum Dei vouente, dicuntur ad laudem prouocari. Sæpissimè autem Propheta Dauid excitat homines ad laudem Dei. Psal. 32. *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio. Confitemini Domino in cithara*, &c. & Psal. 46. *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis*, & quæ sequuntur: vbi omnem creaturam ad gaudium & exultationem excitat ob aduentum Domini. Vide etiam Psal. 94. 95. 97. 104. 105. 106. 107. 110. 116. 117. 132. 133. 134. 135. 149. 150. Ex quibus discimus, quo affectu & quibus modis Deum laudare, & benedicere, & gratias agere debeamus.

Dan. 3.

Quomodo ratione carentia Deum laudent.

Perutilis deuotio.

Circa quæ notandum est, non esse inutilem aut femineam deuotionem, si desideres vt vniuersa creatura tecum & pro te Deum laudet, gratias agat, benedicat; aut vt tu ipse tantum Deum ames & laudes, quantum simul omnes Beati in cælo; vel si optes tibi mille vitas, mille corpora, quæ in honorem Dei expendas, vt eius beneficiis aliquo modo respondeas. Sunt enim huiusmodi affectus, etsi inefficaces & rei impossibilis, summi meriti, & signa summi in Deum amoris ac gratitudinis; quia ex quadam redundantia amoris sequuntur, animo in huiusmodi vota præ affectus ardore exæstuante. Sicut enim summæ malitiæ esse tales affectus assumere in malum; ita maximæ charitatis & meriti est excitare in bonum. Quare valdè expedit ijs qui pietati sunt dediti, vt in huiusmodi affectus & pia vota mentem exerceant: ex tali enim amoris excessu processere multa ex ijs quæ ex Psalmis attulimus. Verùm ad hunc non peruenitur, nisi attenta diuinæ bonitatis & diuinorum beneficiorum consideratione. Hæc de Misericordia, eiusque operibus, & debito nostro erga illam sint dicta. 171

CA-

CAPVT XX.

De Patientia Dei, Manſuetudine, & Clementia.

172 SEQVITVR nunc vt aliquid de *Patientia, Manſuetudine & Clementia* Dei dicamus: hæ enim perfectiones vel in miſericordia continentur, vel ei penitus ſunt annexæ. Quòd enim Deus non ſtatim vlciſcatur iniurias, ſed patienter ferat & expectet emendationem, eſt ex affectu miſericordiæ. Vt autem melius explicentur, vtendum exemplis humanis. Agimus de *patientia*, non quæ in doloribus, ſed quæ in perferendis iniuriis verſatur. Sicut igitur inter homines Rex quiſpiam dicitur *patiens*, qui moderatè fert iniurias, & continet ſe ab vltione quam facilè poſſet inferre: ita Deus *patiens* dicitur, quia iniurias ſibi ab hominibus irrogatas perfert vltione cohibita. Superat autem diuina patientia omnem humanam infinitis interuallis: nam & iniuriæ quæ ipſi inferuntur, infinitè ſunt maiores quàm quę hominibus; & ipſe omnes eas diſtinctiſſimè videt, cùm in eius conſpectu & præſentia fiant; & acerrimè ſentit, & in promptu habet vindictam, & tamen ſe cohibet, perferens amaritudines & abſynthium peccatorum noſtrorum. In conſpectu eius ſunt ex vna parte immenſa beneficia quæ in nos congeſſit, & ſtupenda facta quæ pro nobis geſſit; ex altera parte ſimul videt ingratitudinem noſtram, & omnes iniurias quæ per vniuerſam terram in ipſum loco gratiarum actionis regeruntur, idololatriam, magiam, blaſphemias, hæreſes, perfidiam Iudaicam, Mahometicam, Religionis ſacræ euerſiones, doctrinæ ſalutaris peruerſiones, ſacrorum profanationes, myſteriorum irriſiones, ſeruorum ſuorum perſecutiones: periuria, homicidia, adulteria, fœdas libidines, rapinas, furta, pauperum oppreſſiones, denique omnium ſuorum mandatorum & inſtitutorum violationem & contemptum. Videt etiam Chriſtianorum animos terrenis addictos, cæleſtium bonorum incurios, beneficiorum immemores, ingratos, elatos, rebelles, mundo & carni mancipatos, diuinorum præceptorum negligentes, ad pœnitentiam difficiles, ad omne opus bonum ignauos, & plurimos ex illis, omnibus vitiis & ſceleribus coopertos, ipſiſque Ethnicis longè deteriores. Hæc omnia videt clarè, diſtinctè, & ſapientiæ ſuæ libella trutinat iniuriarum iſtarum pondus immenſum; & quamuis doloris capax non ſit, ſentit tamen eas acerrimè, imò infinitè, & ad vindictam pro-

Dei patientia infinita.

Simul in conſpectu Dei ſunt omnia beneficia quæ ipſe in nos, & omnes iniuriæ quas nos in illum vefundimus.

prouocatur. Cernit enim rei indignitatem, suamque maiestatem, & infinitam beneficentiam à sua creatura vilipendi, cohibet tamen iram & manum, etsi mille fulminibus & mille tartaris armatam. Neque solùm abstinet à vindicta, sed etiam continuat pristina beneficia, vniuersam naturam cælestem & terrenam nostris commodis seruire faciens, & ad pœnitentiam nos benignè expectans, & insuper excitans, monendo per prædicatores externos, per inspirationes internas, per Angelicum ministerium, per creaturarum speciem, per Scripturæ lectionem, ostentatis præmiis, intentatis suppliciis, propositis exemplis, obiectis terroribus, immissis infirmitatibus, & inflictis variis huius vitæ flagellis, vt ad ipsum redeamus, & misericordiæ ipsius fruamur bonis. Quid hac patientia admirabilius? Quis vmquam Regum iniurias sibi irrogatas vel à subditis, vel ab hostibus, cùm vindicandi potestas suppeteret, ita patienter sustinuit? Vix quemquam ab omni memoria antiquitatis reperias, qui post secundam vel tertiam condonationem, ad vindictam non prorumperet, non ampliùs ferens rei acerbitatem. Et quid, obsecro, sunt iniuriæ in hominem ad iniurias Dei? nimirum centum denarij, vel potiùs minutum vnum ad decem millia talentorum, calculus ad montem, gutta ad Oceanum. quò enim maiestas læsi est maior, eò inieria atrocior: & talis est proportio inter iniurias, qualis inter eos qui iniuria sunt affecti. 173

Patientia Christi.

His adde patientiam illam quam in suscepta natura præstitit, dum seruilem induit formam, & nouem menses moratur in vtero, dum nascitur in stabulo, dum circumciditur, dum quæsitus ad necem fugit in Ægyptum, dum latet vsque ad annum trigesimum humili specie, plebeio habitu, conuersatione vulgari; nihil magni præ se ferens; dum baptizatur à seruo, dum ieiunat & tentatur ab hoste, dum rudes associat discipulos, dum recipit peccatores & cum eis manducat, dum vicos & castella obiens docet populos & sanat infirmos, dum fatigatur, dum famem, sitim, frigus, æstum, imbres perpetitur; dum crebris iniuriis appetitur, dum conuitiis & contumeliis afficitur, dum discipulorum lauat pedes, dum capitur, constringitur, cæditur, irridetur, despuitur, flagellatur, coronatur spinis, perforatur clauis, affigitur cruci, sociatur latronibus, & velut seductor, & diuinæ humanæque maiestatis perduellis, morte turpissima & acerbissima afficitur: & in his omnibus non contendit, non reclamauit, non contradixit; sed tamquam ouis 174

coram

coram tondente non aperuit os suum,& insuper etiam pro suis tortoribus Patrem rogauit: qui in hominis figura latens, nihil de impatientia hominis mutuatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis: patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret. Hæc est suprema omnis patientiæ forma: hac nihil sublimius animo concipi potest. Quare velut perfectissimum exemplar, ad omnes huius vitæ molestias æquanimiter tolerandas, nobis semper ob oculos versari debet.

175 *Mansuetudo* parum differt à *patientia*, quæ in iniuriis cernitur. Sicut enim patientiæ est, in iniuriis cohibere vindictam; ita mansuetudinis, reprimere iram, quæ est vindictæ appetitio. Atqui in Deo parum vel nihil ira & vindicta differunt. vnde quidquid de patientia dictum est, etiam ad mansuetudinem pertinet. Itaque dicitur Deus *mansuetus*, quia iniuriis nō facilè exasperatur in iram, non excandescit in furorem, sed pristinam animi dulcedinem & serenitatem retinens, fontes suæ benignitatis & beneficentiæ ob nostram ingratitudinem non obturat. *Mansuetudo*

176 *Clementia* cernitur in ignoscendo, dum quis ex animi benignitate reo pœnas commeritas vel condonat, vel multùm imminuit. Itaque est pars misericordiæ, vel potiùs ipsa misericordiæ virtus inadæquatè concepta, quatenus nimirum respicit miseriam, quæ ex pœnarum inflictu nascitur. Sicut igitur *misericordia* Dei est infinita, ita etiam *clementia*, quia malum quod ipsa relaxat, immensum est. *Clementia.*

Opera clementiæ sunt, quotidianæ condonationes & castigationes, vt cùm vel æternas vel temporales pœnas peccatoribus remittit; cùm varios morbos, pestem, famem, bellum, damna fortunarum, orbitatem, aliaque calamitates & flagella immittit, vt à malo reuocet. Sunt enim hæ correptiones leues & momentaneæ tendentes ad emendationem, ne in sempiternam miseriam ruamus. Sicut cùm pater virga castigat charissimum filium regni heredem vt à malo absterreat, & dignum regno efficiat; non crudelis, sed verè clemens dicendus est: sic Medicus amaras potiones exhibet vt grauiores morbos vel depellat vel præcaueat. Magnæ clementiæ est, ingens malum commutare in exiguum, pœnam ignis in ictum virgæ vel mulctam vnius nummi. Commeriti sumus peccatis nostris æternam mortem; Deus misertus nostri commutat hanc pœnam in temporalem, loco illius inferens morbum, paupertatem, exilium, aut similem calamitatem, quæ nullam cum

æterna illa habet proportionem. Per hanc simul & clementer punit peccata præterita, vt illorum amaritudinem nonnihil gustemus; & incitat ad pœnitudinem, dum eius manum sentimus, & absterret à malo in futurum, dum timemus ne similia nobis obueniant. Est enim ista correptio & clemens mali præteriti vindicta, & præsentis medicina, & futuri præcautio. Quanta igitur in istis flagellis clementia! quanta benignitas & suauitas affectus diuini! 177
Quid enim sunt omnes huius vitæ afflictiones ad ea quæ commeriti sumus? ad tot gehennas & incendia peccatis nostris debita? & tamen clementiâ Domini per illas leues & breues molestias, omnes inferorum pœnas & æternitatem illam redimimus, & curamur à peccatis, & ad gloriam cælestem præparamur. Vt enim ait Apostolus 2. Cor. 4. *momentaneum & leue tribulationis huius, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Ex quibus constat, quanta sit tribulationis vtilitas. vnde etiam passim in Scripturis tantopere commendatur. quæ breuitatis causa prætermitto, illud tantùm monens cum Salomone Prouerb. 3. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias; nec deficias, cùm ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit; & quasi pater in filio complacet sibi*. quasi dicat, affectu planè paterno id facit, vt illum ab æterno interitu vindicet, & dignum hereditate cælesti reddat. Itaque cum gaudio & gratiarum actione disciplina Domini excipienda.

CAPVT XXI.

Recollectio precatoria de Misericordia.

Psalm. 88. MISERICORDIAS *Domini in æternum cantabo*. miserationes eius 178
magnas & stupendas, antiquas & nouas, quarum non est numerus. Psalm. 32. *Misericordia enim Domini plena est terra, & miserationes eius super omnia opera eius*. Tu, Domine Deus meus, primitus de nihili tenebris in lucem essentiæ, in speciem & naturam nos eduxisti; in naturam eximiam, inexterminabilem, vultus tui signaculo insignitam, & maximis ornamentis cumulatam; nimirum vt sotitiam aliquam & sensum tui ac bonorum tuorum habere possemus. Ornasti sensuum vigore, quo tecum hunc mundum corporeum, & omnia quæ in illo continentur (in quibus potentiæ, sapientiæ, & pul-

pulchritudinis tuæ vestigia mirè elucent) possemus comprehendere & discernere. Ornasti mente & rationis iudicio ad notitiam veri, ad iudicium boni & mali, ad ascensum & anagogen ex sensibilibus ad intelligibilia: ornasti memoria ad recordationem præteritorum, ne semel percepta effluerent, ne nouo semper opus esset ad intelligendum labore: ornasti voluntate ad fugam mali & sequelam boni, ad fruitionem finis obtenti, & in primis vt tibi summo bono, & amore coniungamur, & fruitione inhæreamus. Omitto corporis ornamenta.

179 Hæc prima euectio, hæc prima misericordiæ tuæ beneficia, magna, inæstimabilia, sed rudimenta & initia maiorum. Non enim in his constitit effusissima benignitas tua, sed vlterius progressa est ad perficiendum opus suum, & ad omne imperfectum nostrum exterminandum. Adiecit itaque euectionem secundam, ad secundum gradum priore multò eminentiorem nos efferens; nimirum ex statu naturæ in statum gratiæ & filiorum Dei, qui omni statu naturæ, quantumuis perfecto & sublimi, est longè sublimior, vt qui nulli substantiæ creatæ naturalis, aut naturali dignitati debitus esse possit. Nulla enim creatura per naturam suam potest esse Filius Dei, heres regni, possessor Spiritus sancti. Hoc nobis secundæ misericordiæ tuæ influxu collatum, hoc in gradu secretorum tuorum facti participes, & conscij arcanorum à sæculo reconditorum; & supernaturali fide, spe ac charitate tibi cohærentes, omnibus rebus creatis facti sumus superiores. Sicut enim in rebus humanis summa quædam dignitas est esse filium Regis, & hic ipse titulus etiam hominem infimæ sortis facit omnibus venerandum & suspiciendum, omnesque illum beatum prædicant; ita esse filium Dei, & heredem regni cælestis in toto vniuerso est status summæ dignitatis, facitque hominem etiam Angelicis spiritibus venerandum, qui nisi ad similem dignitatem euecti essent, meritò possent illi tantum honoris fastigium inuidere. Hanc ob causam vnus iustus, *vnus timens Deum, melior est*, & pluris apud Deum æstimatur, *quàm mille* (id est innumerabiles) *impij*. A quocumque abfuerit hæc filialis dignitas, in nihilum computabitur, etiamsi omnibus naturæ ornamentis sit cumulatus. Eccli. 16.

180 Sed neque hîc misericordiæ tuæ largitas se continuit, verùm ad tertium eumque altissimum statum euexit; nimirum à statu gratiæ & filiationis inchoatæ, ad statum gloriæ & filiationis completæ.

Dona enim gloriæ infinitè sunt excellentiora quàm dona gratiæ, quibus in hac vita filiis tuis frui conceditur. Ibi enim est clara visio, hîc fides & obscuritas; ibi possessio sumni boni, hîc spes & desiderium; ibi fruitio, hîc expectatio; ibi securitas, hîc anxietas; ibi triumphus, hîc pugna. Quamuis enim nunc simus filij Dei, & ius regni habeamus, nondum tamen illud possidemus, nondum de eo sumus securi, & possumus excidere; nondum nostræ mortalitatis miseriis liberati, nondum ignorantiæ & tenebræ nostræ depulsæ, nondum pronitas ad malum inflexibili rectitudinis regula firmiter castigata. Longè igitur excellentior & sublimior est ille gloriæ status, quàm status gratiæ præsentis vitæ, si bona vtriusque spectentur. Hæc fuit tertia & præstantissima naturæ nostræ subuectio, hic supremus bonorum gradus, in quo omnis miseria & imperfectio depellitur. Ad hunc misericordiæ tuæ immensa benignitas nos destinauit, vt in eo mortalitas nostra absorbeatur, omnis miseria euanescat, omnis inopia & defectus euacuetur, omnis dolor & omnes lacrymæ abstergantur, & nos in consortio bonorum & diuitiarum tuarum in consummata gloria & gaudio constituamur. Huc cæli & terræ fabricatio, huc totius creaturæ conditio, huc omnium tuorum operum molitio spectat: omnia enim *propter electos*, propter gloriam filiorum tuorum, nimirum vt quàm plurimos ad gloriam & consortium regni tui adduceres.

Verùm cùm obtento secundo gradu ad hunc tertium nobis 181
esset nitendum, omnibusque præsidiis essemus instructi, vt cum summa facilitate & iucunditate possemus ad illum conscendere; heu! nostrâ vecordiâ (parentis inquam nostri, in cuius arbitrio omnia nostra erant constituta) ordini directionique misericordiæ tuæ nos subtraximus, & à te auersi in exitium sempiternum præcipitauimus. Et sanè longè optabilius fuisset nos in nostrum antiquum nihilum recidere, quàm æternis incendiis, quæ nullo modo iam euadere poteramus, addici. Nihil superat opis, nihil subsidij ab vlla natura creata; quia à nulla iustitiæ tuæ condigna satisfactio pro crimine nostro poterat repræsentari. Actum prorsus videbatur de genere nostro, nec vlla spes salutis in posterum superesse, cùm ecce tu, Deus meus, misericordia mea, nostram perditionem miseratus, rursum succurristi, sed admirando planè & inaudito consilio, omnibusque sæculis obstupescendo; nimirum, vt Filius tuus tibi consubstantialis & coæternus nostram naturam assumeret, & homo passibilis similis nobis effectus, diuinæ iustitiæ nostro

nomine

nomine ſuis cruciatibus ſuaque morte ſatisfaceret.

182 Noſtram igitur ille naturam apprehendens, & arctiſſimè in vnitatem perſonæ ſibi adſtringens, naſcitur ex virgine, prodit in mundi huius tenebras, noſtræ mortalitatis excepturus miſerias, famem & ſitim, frigus & æſtum, nuditatem & pauperiem, labores & fatigationes, probra & contumelias, perſecutiones & inſectationes, mœrores & dolores, acerbitates & cruciatus, crucem denique & mortem. Naſcitur in ſtabulo vt pauper & peregrinus, pannis inuoluitur & faſciatur vt infans, vagit vt mortalis, circumciditur vt Legi ſubiectus, fugit vt inualidus, latet vt imbecillis, vitam agit vt obſcurus, parentibus obedit vt ſubditus, conuerſatur vt homo vulgaris, tempus manifeſtationis ſuæ expectans: quo appetente, baptizatur à ſeruo quaſi peccator, ieiunat in deſerto, tentatur à diabolo, rudes ſibi adoptat diſcipulos, ſenſimque eos erudit ad perfectionem; obit totam cum eis regionem, ſalutis viam docens populos, ſanans infirmos, conſolans afflictos, oppreſſos à diabolo liberans, peccatores iuſtificans, ignorantiæ tenebras diſcutiens, mundum illuminans, miraculis coruſcans, & Diuinitatis ſuæ veluti ſtricturas quaſdam mortalibus oſtentans, ad vitæ emendationem & ſalutis curam omnes excitans.

183 Tandem poſt cæleſtem doctrinam impenſam, poſt tot miracula & virtutum exempla, expleturus opus redemptionis noſtræ, ſe totum nobis in pretium expendit, & vitam cum ſanguine noſtræ ſaluti profudit, morte ignominioſiſſima pariter & acerbiſſima ſuſcepta. O quàm indebita miſeratio, quàm gratuita & probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm ſtupenda dulcedo, Regem gloriæ pro viliſſimis mancipiis, iiſque ſuis inimicis, aſſumere formam ſerui, tot ſuſcipere labores & dolores, ipſam denique crucem ſuſtinere ac mortem! Quis vmquam parens ſimile quid fecit pro liberando filio, aut filius pro parente, aut amicus pro amico, quale fecit Deus pro homine, Creator pro creatura, ſuprema maieſtas pro vermiculo?

184 Sed neque hîc ſtetit illius miſericordia: omnes enim ſuas actiones & paſſiones pro nobis ſuſceptas, omniaque merita per totam vitam patrata in vnum collegit, & ex illis theſaurum nobis perpetuæ reconciliationis conſtruxit, quem Sacramentis incluſum nobis inſtar legati opulentiſſimi reliquit. Mirabilem planè theſaurum, diuitias infinitas, quibus tam facilè & mors ſempiterna redi-

mitur, & regnum cæleſte, æterna gloria, & poſſeſſio Diuinitatis comparatur. Denique vt infinito in nos amori ſuo nihil reliqui faceret, Carnem & Sanguinem, quæ pro nobis impenderat in lytrum ſeu pretium redemptionis, nobis reliquit & in Sacrificium, quo iuſtitiam ipſius nobis propitiemus; & in alimentum, quo in vitam æternam reficiamur.

Viciſti, Domine, miſericordiâ tuâ omnia exempla, viciſti omnia 185
ingenia, & omnem expectationem creaturarum omnium. Quis iſta conſiderans, non viciſſim amet te? quis non ſit paratus ſe totum in tuum obſequium & honorem addicere ac impendere, qui tam multis modis teipſum totum in noſtram ſalutem impendiſti & ſuperimpendiſti? Quid enim ſunt obſequia noſtra ad beneficia tua, ad actiones & paſſiones tuas, & vita noſtra ad vitam tuam? gutta ad mare, calculus ad montem, puluiſculus ad globum terræ, imò adhuc longè minus; quia finiti ad infinitum nulla proportio. Quid ergo rependimus tibi, cùm vitam noſtram & omnia noſtra tibi conſecramus, præſertim cùm tot aliis nominibus & titulis hæc tibi ſint obnoxia & debita? Debet quiſpiam decem millia talentorum Principi ex furto, & alia decem milia ex damno dato, & alia ex mutuo, & tantumdem ex emptione, habet tantùm minuta duo: an Princeps ille putabit duobus minutis ſibi pro tot debitis tam ingentibus ſatisfactum? minimè gentium. Sed hæc eſt bonitas & 186
miſericordia tua. Etſi tanta & tot nominibus tibi debeamus; tamen ſi duo noſtra minuta, animam ſcilicet & corpus, obſequio tuo tradimus, acquieſcis, & ſatis tibi factum putas, maiora non exigens; & tamen ea ipſa in re non tibi proſumus, ſed nobis conſulimus. Seruire enim tibi, regnare eſt; & omnibus relictis tibi ſoli vacare, ſoli inhærere, ſummum bonum noſtrum. Væ mortalium cæcitati, 187
quæ hæc non conſiderat! Illumina tenebras meas, lux mea, vt magnitudinem miſericordiæ tuæ, & multitudinem miſerationum tuarum cognoſcam, & cognitam æſtimem, & ſuis appretiem momentis, quantum fas in tenebris huius vitæ, eaque mihi ſemper ob oculos verſentur, vt anima mea tanta benignitate, tantiſque beneficiis prouocata, viciſſim inflammetur in amorem tui, ſeque totam tibi deuoueat & conſecret. Seruiat tibi omnis vita mea, intenta ſit in gloriam tuam omnis cogitatio, omnis fortitudo, omne ſtudium, omnis actio mea. Exhauriantur in tuum obſequium omnes vires animi ac corporis mei, vt aliquid ſaltem tuo rependam amori, nec

omni-

188 omnino ingratus coram te inueniar. *Benedic anima mea Domino,& omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitã tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus, qui replet in bonis deſiderium tuum,* quando *renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Benedicite pariter mecum Domino omnes Angeli & Archangeli, omnes Principatus & Poteſtates, omnes Virtutes & Dominationes, omnes Throni, Cherubim quoque atque Seraphim: benedicite, laudate & ſuperexaltate illum in ſæcula, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. *Laudent illum cæli, terra, mare, & omnia quæ in eis ſunt, laudent & ſuperexaltent in ſæcula.* Illi honor, illi benedictio, illi gratiarum actio ab omni creatura, in omni loco dominationis eius, in omnes generationes ſæculi ſæculorum. Amen. Pſal. 102.

DE

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER XIII.

DE IVSTITIA ET IRA DEI.

CAPVT PRIMVM.

De varia Iustitiæ acceptione, & quadruplici debito.

DIXIMVS de *Misericordia* eiusque operibus & beneficiis; sequitur vt dicamus de *Iustitia & seueritate Dei*, eiusque effectis in rebus creatis. Nomen *iustitia* duo inuoluit, *debitum* & *æqualitatem*: in eo enim ratio iustitiæ consistere videtur, quòd præstet ad æqualitatem id quod debet, & suo opere totum debitum exhauriat. Vnde vbi vel non est debitum vllum, vel nulla æqualitas aut proportionis ratio (vt cùm quis ex liberalitate & omnino gratis aliquid alteri confert, vel supra infráve meritum & ius illius) ibi ratio iustitiæ locum non habet. Cùm autem variis modis possit aliquid esse *debitum*, fit vt varia quoque sit *iustitiæ* ratio: ex parte autem æqualitatis non variatur; quia omnis iustitia ad perfectam æqualitatem inclinat, quantum quidem assequi potest. quòd si non assequitur, id non ex ratione ipsius virtutis, sed ex defectu facultatis subiecti prouenit. 1

Iustitia duo inuoluit, debitum & æqualitatem.

Varia iustitiæ acceptio.

Potest autem aliquid dici *debitum* quatuor modis. Primò, Ratione naturalis congruentiæ & connexionis cum altero. quo modo 2

Quadruplex debitum.

dici-

dicitur *debitum* singulis rebus, quod est necessarium ad naturalem earum perfectionem, verbi gratia, certa quantitas, figura, temperamentum, instrumenta, cooperatio, vires, prout cuiusque natura postulat. Huic debito respondet iustitia quædam generalis, quæ nihil est aliud quàm affectus tribuendi cuique rei, quod ei ad perfectionem naturæ est debitum seu necessarium. Et hæc iustitiæ ratio est perfectissimè in Deo respectu omnium creaturarum; quia ipse eo est voluntas conferendi singulis quod eis secundùm naturam congruit, idque ad exactam æqualitatem: & hoc etiam modo S. Dionysius lib. De diuinis nominibus cap. 8. *iustitiam* Deo tribuit. Satis tamen impropriè hic voluntatis affectus eiusque executio *iustitia* vocatur; quia etsi illæ perfectiones dicantur debitæ creaturis, Deus tamen non est illis debitor (sicut nec figulus vasi luteo debitor est, vel pictor imagini) sed solùm est debitor sibi ipsi, seu suæ sapientiæ, vt iuxta huius præscriptum, & prout tantum artificem decet, operetur; vt pulchrè docet S. Thomas 1.p.q.21.a.1. qua ratione dicimus pictorem, qui imaginem quam cœpit, imperfectam reliquit, lineamentis vel coloribus congruentibus omissis, iniuriam facere non operi, sed arti suæ & nomini. Dicuntur itaque illæ perfectiones debitæ, quia necessariæ ad rerum complementum, & perfectum statum. Hinc enim sequitur, opificem debere illas conferre, si velit res à se conditas esse completas secundùm naturæ conditionem, & sapientiæ suæ præscriptum. Sed hoc nihil est aliud quàm debere sibi ipsi, suo decreto & sapientiæ.

Primò, Quia congruit naturæ, eiq; debetur vt sit perfecta in suo ordine.

Iustitia generalis.

Ista iustitiæ ratio est perfectissimè in Deo.

3 Secundò dicitur aliquid *debitum* ratione obligationis legis, quo modo in natura rationali debita est conformitas tum affectus, tum operis cum lege æterna. Itaque secundo modo *iustitia* vocatur voluntas quæ hanc conformitatem vult & procurat, & per eam legi satisfacit. Vnde huius iustitiæ opus est omnis actus virtutis, quatenus est conformis legi. Hoc modo *iustitia* passim accipitur in S. Scriptura; & ab ea homines dicuntur iusti, quia conformes affectu legi æternæ, & præstant opere quod illi legi debent. Vtrùm autem *iustitia* sic accepta distinguatur in nobis à charitate & obedientia, & à virtutum collectione, dubitari potest: nam in ista tria rectè hoc nomen competit. Virtutum enim collectio reddit hominem eiusque affectus & actiones legi conformes, similiter obedientia & charitas; sed ex diuerso motiuo: nam charitas excellentiori modo id præstat, nimirum, quia id Deo gratum est; obedientia, quia id debitum præcepto Superioris: ceteræ virtutes ob propriam

Secundò, Ratione obligationis legis.

Conformitas affectus & operis cum lege est debita in natura rationali.

An sit distincta à charitate, obedientia, & virtutum collectione.

priam honestatem, quæ pro diuersitate materiæ diuersa se offert. Ex triplici itaque motiuo potest hæc conformitas operum cum diuina lege procedere, charitatis, obedientiæ, & virtutum particularium. His addi potest motiuum quartum, nempe, quia debitum legi, non vt lex connotat obligationem impositam à Superiore, sed vt dicit regulam rectè operandi, & dictamen rectæ rationis: voluntas enim & omnes actiones ab ipsa dependentes, debent rectæ rationis iudicio & sententiæ conformari. Ille itaque affectus, quo hæc conformitas in omnibus motibus & actibus liberis appetitur & procuratur, quædam iustitia est; quæ tamen ab affectu generali honesti non videtur distingui.

Iustitia hæc est perfectissimè in Deo.

Etiam iuxta hunc secundum modum *iustitia* perfectissimè est 4
in Deo: nam voluntas diuina ab intrinseco & ex sua essentia est perfectissimè & completissimè conformis legi æternæ, ac proinde iusta ac recta; imò est ipsa iustitia & rectitudo per se subsistens, omnis iustitiæ ac rectitudinis regula. Etsi enim voluntas diuina nostro modo concipiendi dirigatur à lege æterna, non tamen id ita accipiendum, quasi per se sit indifferens & informis, sicut omnis voluntas creata per se informis est, iustitiæ & iniustitiæ capax; sed id fit propter essentialem ordinem istarum potentiarum & actuum earum, ratione cuius voluntas essentialiter supponit intellectum, & actus voluntatis actum intellectus: quia non potest concipi voluntas exire in actum, nisi proposito per intellectum obiecto, in quod tendat. Vnde necesse est idem concipi in Deo, quatenus istæ potentiæ inter se, & actus earum inter se ratione distinguuntur. Itaque lex æterna dicitur dirigere voluntatem, quatenus vel proponit rectitudinem in quam voluntas feratur: vel est ipsa rectitudo obiectiua mente concepta & voluntati ostensa, quod ego verius existimo: quia lex non est actus intellectus, sed obiectum & regula quædam practica intellectu concepta, & voluntati proposita, vt patet in omnibus legibus & regulis humanis. Vnde cùm lex dicitur esse *dictamen rationis rectæ*, per *dictamen* non est intelligendus actus intellectus, vel iudicium rationis, sed obiectum seu regula practica ratione concepta, iudicata ac probata. sed de hoc alibi plura.

Simili modo dicimus Prudentiam dirigere ceteras virtutes, cùm tamen ipsæ per se rectæ sint, nec possint in vllum actum prauum exire. Porrò sicut voluntas creata, cùm non sit recta nec conformis legi æternæ aut rationi rectæ per essentiam suam, efficitur recta in actu primo per habitum virtutis superadditum, & in actu secundo

per

per operationem illius habitus, dum illo vtitur: ita voluntas diuina consideratа vt in actu primo, per essentiam suam est recta & adæquatè conformis legi æternæ in actu primo tamquam suprema & vniuersalis virtus per se subsistens; & considerata in actu secundo, per eamdem suam essentiam est recta & conformis legi æternæ in actu secundo, qui nihil est aliud quàm complacentia & amor rectitudinis lege æterna contentæ, & per intellectum propositæ. Actus enim primus & secundus hîc non distinguuntur ex parte rei distinctione actuali, sed solùm virtute. Nam est vna eademque simplicissima rectitudo formalis duplicem vim habens, nimirum actus primi, quatenus præstat in Deo (semotis imperfectionibus) quod habitus virtutum in voluntate creata; actus secundi, vt præstat in ipso id quod virtutum operatio in creatis. Simili modo intellectus diuinus per se consideratus vt in actu primo, est ipsa sapientia in actu primo: ac proinde incapax omnis erroris & omnis ignorantiæ, quia ipsa sapientia non potest esse errori vel ignorationi obnoxia. Ratione verò actus sui est sapientia in actu secundo, omne verum & intelligibile penetrans, comprehendens & ambiens. Hic tamen actus secundus non distinguitur in Deo ab actu primo, nisi ratione & virtuali discrimine. Omnis itaque iustitia huius modi, & rectitudo siue obiectiua siue formalis, est in essentia diuina tamquam in fundamento & prima radice omnis veri & boni omnis legis ac regulæ, & virtutis omnis; in intellectu obiectiuè tamquam in proponente, & consequenter tamquam in regula & mensura quatenus mediante ipsius actu regula rectitudinis concipitur & proponitur: in voluntate formaliter vt virtus & iustitia vniuersalis, tum in actu primo, tum in actu secundo. Commendatur hæc iustitia Dei in S. Scriptura omnibus illis locis, quibus laudatur eius sanctitas & rectitudo: quia reverà nihil est aliud quàm sanctitas omnem virtutem & bonitatem moralem formaliter & eminenter complectens.

Tertiò dicitur aliquid *debitum* ratione promissionis factæ alicui, præsertim sub conditione alicuius operis, qua promissione ius aliquod tribuitur non tamen perfectæ iustitiæ. Sic sæpè dominus promittit aliquid seruo, quod tamen si non præstet, non potest accusari proprie iniustitiæ, sed solùm inconstantiæ & leuitatis in promissis rescindendis, quodque fidem promissorum non seruet. Similes promissiones innumeræ interueniunt in conuictu humano. Sic parentes multa promittunt liberis, vt mores eorum forment, & *Ratione promissionis.*

domini seruis, & artifices mechanici iis qui aliquod opus ab eis fieri postulant. Huic debito respondet virtus quædam, quæ dicitur *fidelitas*, cuius munus est præstare quod promiseris, eo nomine quia promisisti, etiamsi alteri nullum ius perfectum sit acquisitum. Decet enim virum prudentem, constantem, & rationem sui honoris habentem, implere quod promisit, & dicta sua verificare. hæc virtus passim in Scripturis vocatur *iustitia* & *veritas*, estque in Deo perfectissimè: quia omnia quæ promisit, exactissimè præstat. nulla est in eo inconstantia, nulla leuitas, nulla obliuio, nulla pœnitentia promissorum, si nos conditionem promissioni adnexam præstiterimus. Hinc in Scripturis tantopere Dei veritas & iustitia commendatur.

Iustitia qua dicitur veritas, in Deo perfectissimè

Psal. 39. 44. 56. 84. 88. 110. &c.

Quartò dicitur aliquid *debitum* alteri ratione iuris perfecti, cui nisi satisfiat, censetur fieri iniuria. Hoc magis propriè & strictiùs deberi dicitur; quia in altero existit ius perfectum, quod non est in potestate & arbitrio alterius, qui debitor dicitur. Nascitur autem hoc debitū ex duplici capite. Primò, Ex rei alienæ acceptione, vt fit in contractibus, damnis & iniuriis illatis. Quid enim interest, rem alterius tibi vsurpes an vastes? Vnde qui rem alienam destruit, vel famam honoremve lædit, non minùs est debitor, quàm qui rem aufert & sibi seruat. Secundò, Ex officio distribuendi certa quadam proportione bona communia. Hinc duplex oritur iustitiæ forma huic duplici debito respondens: quarum altera dicitur commutatiua, & satisfacit debito priori; altera distributiua, quæ satisfacit posteriori. Iustitia commutatiua considerat quid & quantum debeatur alteri ratione rei acceptæ, aut damni vel læsionis irrogatæ, & hoc totum iubet refundi, vt inter datum & acceptum, inter læsionem & compensationem fiat æqualitas. Distributiua considerat proportionem quam singulæ partes communitatis habēt ad bona vel onera cōmunia, & iuxta hanc proportionem singulis distribuit, vt eadem sit proportio inter ea quæ distribuuntur, quæ est inter conditiones eorum, quibus fit distributio. Onera enim distribuenda iuxta proportionem facultatum, officia & beneficia iuxta proportionem aptitudinis, subsidia iuxta proportionem inopiæ. Itaque illa constituit æqualitatē rei ad rem, hæc constituit æqualitatem proportionis ad proportionem. Vtrùm autem violatio iustitiæ distributiuæ per se obliget ad restitutionem, alibi dictum est, neque ad hunc locum pertinet. 6

Ratione iuris perfecti.

CA-

CAPVT II.

Vtrùm Iustitia respiciens Ius perfectum sit propriè in Deo.

7 His positis, quæritur, Vtrùm hoc genus iustitiæ propriè sit in Deo. Quidam affirmant. Primò, Quia pactum sub conditione operis inducit obligationem iustitiæ præstito opere: atqui inter Deum & hominem intercedit pactum sub conditione operis. promittit enim illi vitam æternam, si seruet mandata: Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* ergo opere perfecto obligatur lege iustitiæ ad vitam æternam conferendam. Secundò, Deus in S. Scriptura comparatur conductori, homo operario conducto, vita æterna mercedi & denario diurno. imò ipsa vita æterna vocatur *merces bonorum operum*. quæ omnia indicant debitum lege iustitiæ. Tertiò, Rursus vita æterna vocatur *corona iustitiæ*, & *brauium*, & vita præsens *stadium*, & bona opera *cursus in stadio*: atqui brauium & corona debetur lege iustitiæ ei qui curſu vicerit. Quartò, Christus ex rigore iustitiæ meruit sibi gloriam corporis, & omnem honorem quem post resurrectionem accepit, & generi humano remissionem peccatorum (si tamen Christo per Baptismum inserantur) ergo in Deo est obligatio iustitiæ respectu Christi, ac proinde est capax huius obligationis & strictæ iustitiæ.

An hoc genus iustitiæ sit in Deo.

Prima sententia affirmat.

Matth. 20.

Matth. 5. Luc. 6. 1. Cor. 3. 2. Tim. 4. 1. Cor. 9. Philip. 2.

8 Alij verò negant: quia obligatio strictæ iustitiæ imperfectionem quamdam supponit vel inuoluit in eo qui obligari dicitur, quæ in Deo non reperitur, nimirum aliquid esse extra eius dominium & plenam potestatem. Verùm non puto hîc esse discrepantiam quæ ad rem pertineat, sed solùm de nominis vsurpatione. Itaque vendum distinctione. Si enim nomen *Iustitia* accipiatur strictè, vt ab Aristotele eiusque sectatoribus solet accipi, vt significet virtutem quæ supponit obligationem ad alterum, qui perfectè alter est, hoc est, qui est sui iuris, ita vt non sit veluti pars aut possessio eius qui dicitur obligari: sic non est propriè iustitia in Deo. Ratio est, quia in Deo non potest esse obligatio ad aliquem qui sit sui iuris, seu quæ orta sit ex iure quod is qui suus est, suique mancipij, in ipsum habeat. cuius vlterior ratio est; quia omne ius quod creaturæ potest competere in aliquem, est in dominio Dei, & quidem magis per-

Secunda sententia negat.

Iustitia strictè accepta apud Aristotelem.

In Deo non potest esse stricta obligatio ad alterum: ac proinde nec in iustitia strictè accepta apud Aristotelem.

perfectè quàm in dominio creaturæ, ac proinde ratione huius iuris non potest Deus censeri strictè obligatus creaturæ tamquam alteri, sed potiùs est obligatus sibi, suæque ordinationi & promissioni, quàm vlli alteri, vt S. Thomas generatim affirmat 1.p.q.21. a.1.ad 3. & 1.2. q.114. a.1. Deinde non solùm omne ius creaturæ est in dominio Dei, sed etiam ipsa creatura secundùm se totam, idque non contractu aliquo vel accessoria seruitute, sed naturaliter & essentialiter; ita vt nec ipse Deus possit eam sui iuris facere, vel extra suum dominium collocare. Vnde sequitur, Deum de illa & omni eius iure posse statuere pro suo arbitrio tamquam de re sua absque vlla in illam iniuria: ac proinde in ipso non esse obligationem strictæ iustitiæ, & consequenter nec iustitiam strictam, quæ huiusmodi obligationem supponit. Confirmari id potest ex Aristotele lib. 5. Ethic cap. 6. vbi docet non esse obligationem iustitiæ patris ad paruulum filium, & domini ad seruum; eò quòd non sint omnino distincti. Nam filius est veluti pars quædam patris, & seruus est instrumentum & res domini: nemini autem in seipsum est ius iustitiæ, aut ratio iniuriæ. *Ius*, inquit, *vel domini in seruos, vel patris in liberos, non est idem atque hæc, sed tamen simile. Neque enim cuiquam in sua iniustitiæ locus esse potest absolutè: atqui possessio seu mancipium, & liberi vsque eò dum parui sunt, nec à patre seiuncti, partis instar sunt. seipsum autem nemo cupit lædere. non est igitur cuique in seipsum iniustitiæ locus.* Vnde sequitur, multò minùs esse obligationem iustitiæ inter Deum & creaturam: quia hæc cum vniuersis bonis & iuribus suis plenissimè & essentialiter subiectione est in dominio Dei. Secundò, Quando is qui promittit aliquid sub conditione operis, non id facit commodi sui causa, sed solùm ob commodum operantis, vt eum ad præstandum debitum officium, vel ad aliud bonum adducat, non obligatur lege iustitiæ; non enim intendit tam arctè se obstringere, sed secùm lege veritatis & constantiæ: sicut cùm parens filio, vt eum ad studia literarum adducat, promittit pulchram vestem; vel dominus mancipio, si feritatem exuerit, pecuniam: atqui Deus non exigit à nobis bona opera in commodum suum, sed solùm in commodum nostrum, vt nos per illa reddamus idoneos, in quos ipse suam beneficentiam effundat largiendo regnum. ergò non intendit se nexu iustitiæ nobis obstringere.

Aristoteles.

Cur Deus à nobis exigat bona opera.

Dices: Deus in bonis operibus spectat gloriam suam, & hac ratione exigit illa in suum bonum. Sed etsi ea in honorem Dei cedant, 9

dant, & Deus à nobis honorari velit, ratio tamen proxima & propria cur id velit à nobis fieri, non est vt ipse inde aliquid honoris captet; sed partim qui naturæ lege sunt ipsi debita, partim vt nos per ea idonei reddamur, quibus ipse sui ipsius suorumque bonorum consortium impertiat. Hæc enim prima fuit intentio illius exuberantissimæ bonitatis nempe Diuinitatis & beatitudinis suæ nos efficere participes. Ad hunc finem illam ex nihilo condidit, & omnibus ornamentis ac præsidiis congruis instruxit. Vt autem conuenienti modo id fieret, oportuit vt ipsa quoque creatura se ad tantum bonum disponeret, & illo se dignam pro suo modulo præstaret. Ob hanc causam exiguntur opera bona, non vt per ea Deus honorem acquirat, pro quo veluti in compensationem nobis rependat regnum: ipse enim bonorum nostrorum non eget, pleni sunt cæli & terra gloria eius; & omnis creatura sua specie illum laudat & honorat, cùm ipsamet sit clarum potentiæ, sapientiæ, bonitatis, prouidentiæ ipsius testimonium. parua admodum est, quæ per opera nostra fit accessio. Exigit quidem à nobis obedientiam ac honorem, sed sicut pater à filiis, in bonum nostrum, & quia iure naturæ hæc debita. Ea enim est naturalis conditio naturæ nostræ, vt sine his perfecta aut bona esse nequeat; & his contraria cederent in damnum naturæ, & Dei iniuriam. Nec obstat quòd *omnia propter semetipsum operatus sit Dominus*; quia omnia tandem ad gloriam ipsius tamquam ad vltimum finem necessariò referuntur. Sed de hoc plura infrà, cùm de vltimo fine tractabitur. Cùm igitur Deus opera bona exigat solùm in commodum nostrum, & quia iure naturæ debita, & perfectioni naturæ necessaria; qua fronte nos poterimus pro eis mercedem exigere tamquam lege iustitiæ nobis debitam, quasi aliquid indebitum in gratiam Dei fecerimus, quod tantum bonum stricto iure mereatur?

10 Tertiò, Obligatio iustitiæ commutatiuæ non habet locum, vbi creditor nihil accipit à debitore nisi suum. Qui enim pro re sua aliquid promittit, videtur gratis promittere, cùm non intendat aliquid non suum acquirere, sed solùm suam liberalitatem declarare. Atqui Deus nihil à nobis potest accipere nisi quod ipsius est, & quidem multò magis ipsius quàm nostrum, cùm omnia opera bona sint ipsius dona, & omnem suam æstimationem ab ipsius gratia contrahant; quomodo ergo possumus illum vinculo iustitiæ nobis obstringere? Nec refert, quòd promissione gratuita possim alteri fieri debitor lege iustitiæ: quia id verum est respectu eius qui mihi

Deus à nobis nihil potest accipere nisi quod ipsius est.

mihi pleno iure non subest, & cùm intendo me tam arctè obstringere. Verùm non præsumitur talis obligatio, quando promissio fit pro re aliàs debita. Vide S. Thomam 1.2.q.114.a.1.

Quartò, Si esset obligatio iustitiæ, veram nobis iniuriam faceret, redigendo nos in nihilum: & si nos ad sui visionem non admitteret, sed extra se quamdam beatitudinem naturali statui Angelorum similem tribueret, possemus de iniuria conqueri; & si esset tribunal, litem intendere, & per sententiam iudicis compellere. Quæ non videntur consentanea summo iuri & dominio quod in creaturam habet.

Quintò denique, Si quis rectè consideret, non est propriè pactum vel contractus reciprocus inter Deum & hominem, sicut inter conductorem & operarium: sed Deus apud se constituit benè operantibus dare consortium regni, malè operantes addicere pœnis inferorum, & hanc suam ordinationem nobis reuelauit, vt nobis consulamus. Hæc ordinatio nobis reuelata & acceptata, vocatur pactum & conuentio, cùm tamen eius vis non pendeat ab acceptatione nostra, sicut fit in veris pactis. Simile est cùm Princeps generalem facit legem, qua statuit, vt in viros bonos officia & honores Reipublicæ conferantur, in improbos supplicia: quæ lex non est propriè pactum siue contractus, quamuis ob quamdam similitudinem ita rectè vocari possit, quando consideratur vt singulis applicata & acceptata. quod maximè locum habet in S. Scriptura, quæ talem generalem ordinationem hominibus manifestatam idiotismo Hebræo vocat *pactum*, *fœdus*, *fundamentum*, &c. præsertim post acceptationem. Sicut enim in pactis duorum voluntates conueniunt in vnũ, vt vterque præstet quod sibi vicissim promittunt; ita & hîc. Deus enim sua ordinatione promittit regnum, si homo seruet mandata; & vicissim homo acceptando cultum Dei, proponit & promittit (absque tamen intentione inducendi sibi nouum vinculum) seruare mandata, vt regnum promereatur. Vnde si peccet, dicitur violare fœdus quod spopondit, & pactum quod Deus ipsi proposuit, & ipse acceptauit. Hæc tamen omnia solùm indicant similitudinem & affinitatem cũm veris pactis, nec sufficiunt ad inducendum vinculum strictæ iustitiæ: alioquin homo lege iustitiæ commutatiuæ teneretur seruare mandata, & omnia eius peccata essent contra iustitiam commutatiuam, sicut ea quæ contra vera pacta committuntur. Ex his satis manifestè liquet, in Deo non esse obligationem strictæ iustitiæ erga homines; ac proinde

Inde neque iustitiam illam, quæ talem obligationem supponit, & perfectum ius alterius respicit. quod non solùm de commutatiua, sed etiam distributiua intellige : hæc enim non minùs distinctionem & stricti iuris rationem inter debentem & cui debetur requirit, quàm illa, vt quidam volunt: vel si hoc non placet, satis est quòd per hanc bonorum communium fiat distributio : Deus autem non communia sed sua distribuit.

12 Ex quibus intelligi etiam potest, inter Christum & Diuinitatem non intercessisse strictæ iustitiæ rationem, cùm nec talis obligatio seu debitum stricti iuris interuenerit. Si enim Christus consideretur vt homo, sic totus erat in dominio Dei, & Deus de omni ipsius iure poterat disponere: si vt Deus, nemini ad seipsum est obligatio iustitiæ. Deinde ius quod Christus habet erga Deum, competit ei ratione humanitatis: per hanc enim solam & distinguitur à Diuinitate, & meriti ratio ei conuenit, & potuit cum Diuinitate pacisci; ac proinde ius erga illam acquirere. At quidquid ei competit ratione humanitatis, est in dominio Diuinitatis, sicut & ipsa humanitas: ergo non potest inducere obligationem iustitiæ. Præterea, inter Christum & Diuinitatem non interuenit proprij nominis pactum, alioquin Christus lege iustitiæ Patri obstrictus fuisset subire mortem: at non ex iustitiæ, sed obedientiæ debito mortem subiit, iuxta illud Apostoli ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.* Vnde & Dominus sæpè insinuat, se mandato Patris pro hominibus mortem oppetere, &c. Denique æstimatio operum Christi maxima ex parte erat à Diuinitate.

Diuinitas non est obstricta Christo obligatione stricta iustitia.

Ioan. 10, 18. item c. 12, 49 c. 14, 31.

Rectè tamen Christus dicitur satisfeciisse secundùm iustitiæ rigorem; quia obtulit pretium secundùm iustitiæ rigorem sufficiens, imò excedens, quod Diuinitas acceptauit. Sicut qui pro captiuo offert Principi lytrum, quod longè pluris sit quàm debitum captiui, dicitur illum redimere secundùm iustitiæ rigorem, quamuis Princeps non teneatur acceptare, aut possit illud pretium alia aliqua ratione exigere, & ibi vindicare. Nam in huiusmodi locutionibus magis æqualitas rerum quàm obligatio personarum consideratur.

Christus secundùm iustitiæ rigorē satisfecit pro nobis, & nos redemit.

13 Si verò hoc nomen *iustitia* sumatur paulò latiùs, vt passim accipitur in Scriptura (quæ acceptio etiam & satis propria est, & vulgò vsitata) sic ponenda est iustitia in Deo, & quidem perfectissimè. Vulgò enim *iustitia* dicitur, cùm operi congrua merces integrè redditur, siue is qui reddit sit obstrictus nexu iustitiæ, siue solus

Iustitia latiore ratione vt nihil imperfectionis includit, est in Deo.

fidelitatis: & siue is cui redditur, sit sui iuris, siue in potestate reddentis. non enim in vsu istius nominis vulgò tam spectatur vis obligationis, quàm æqualitas & congruentia earum quam iustitia
2.Tim.4. efficit. Sic Deus dicitur *iustus iudex*, quia mercedem statutam integrè soluit tum in bonis, tum in malis. Sic Apostolus ad Hebræos 6. ait: *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.* insinuans fore *iniustum*, si non remuneraret. Loquitur autem de operibus bonis, non per peccatum mortificatis, & rursus per pœnitentiam viuificatis, vt quidam volunt (nulla enim vel vmbra esset iniuriæ, etsi horum obliuisceretur) sed de ijs, quæ numquam fuere mortificata, vt colligitur ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 16. Hæc enim tenetur remunerare ratione suæ promissionis: sicut dominus si seruo promisit mercedem aliquam pro opere alias debito, tenetur illam soluere, non obligatione strictæ iustitiæ, sed promissionis & fidelitatis. Verùm cùm duplex sit promissio; alia merè gratuita, alia remuneratoria, nimirum quæ fit sub conditione operis; illa obligatio, quæ ex promissione remuneratoria præstito opere nascitur, maior est, & obligationi strictæ iustitiæ similior, quàm illa quæ oritur ex promissione merè liberali, nullum opus requirente. Vnde ius illud quod iusti per bona opera habent ad regnum, est maius quàm id quod ex merè liberali promissione nascitur: & consequenter, obligatio quæ est in Deo ad remunerandum, maior est quàm obligatio omnino gratuitæ promissionis, minor tamen quàm strictæ iustitiæ, sed medio quodam modo se habet. Hinc fit vt in Deo sit quædam iustitiæ ratio medio modo se habens inter strictam iustitiam & fidelitatem gratuitæ promissionis, qua reddit cuique quod operibus cuiusque ex ipsius promissione est debitum. Talis enim iustitia nullam imperfectionem includit, cùm non supponat vllam obligationem strictam ad alterum qui sit sui iuris, & continet omnem perfectionem, quæ in iustitia stricta reperitur. Nam omnis perfectio iustitiæ in eo sita est, quòd cuique integrè tribuat id quod ei aliquo modo debitum est. Non enim perfectio iustitiæ pendet ex perfectione debiti vel obligationis cui satisfit; sed ex perfectione æqualitatis quam inducit, dum omnibus quidquid aliqua ratione debitum est, etsi minima, ad exactam æqualitatem tribuit. Confirmatur ex Dionysio De diuinis nominibus cap. 8. vbi sic ait: *Iustitia Dei celebratur, vt omnibus ea quæ meritis cuiusque conueniunt, distribuens, & con-*

congruentem mensuram, & pulchritudinem, & ordinem, & dispositionem, omnesq; distributiones & classes iuxta eam quæ verè est iustissimam definitionem cuique determinans, & omnibus propriæ cuiusque operationis auctor existens. Cuncta enim diuina iustitia ordinat, & suis terminis circumscribit, & omnia ab omnibus mera & impermixta custodiens, omnibus rebus, quæ cuique pro sua dignitate congruunt, largitur. Quibus verbis generalem illam iustitiæ rationem ad omnia creata se extendentem, & cuique congruentia exactissimè & cumulatissimè tribuentem describit, quæ omnem iustitiæ modum ac formam complectitur. Quatenus enim constituit æqualitatem inter præmium & meritum, tribuens cuique præmium meritis ipsius congruens, eatenus habet formam iustitiæ commutatiuæ: vt verò constituit æqualitatem inter proportionem præmiorum & proportionem meritorum, efficiendo vt ea sit proportio inter præmia, quæ est inter merita (hoc enim ad pulchritudinem illius regni pertinet, estque etiam per se à Deo intentum) habet formam iustitiæ distributiuæ. Eamdem formam seruat, si spectetur quatenus singulis naturis rerum distribuit ornamenta & qualitates prout cuique congruit. Denique quatenus condignis pœnis vindicat peccata, est iustitia vindex. Conueniunt autem hæ tres formæ, quòd per eas tribuantur singulis ea quæ cuique pro suo modo sunt congrua & debita. Hac itaque ratione hæ tres formæ sunt in Deo perfectissimæ. Verùm quia potissimùm hîc agitur de iustitia vindice, quo modo ea Deo conueniat, paulò fusiùs explicandum.

CAPVT III.

Vtrùm in Deo sit propriè Iustitia vindex.

DISTINXIMVS suprà quadruplex debitum, & cuique propriam iustitiæ rationem aptauimus, & quo modo in Deo reperiatur ostendimus. Quatuor illis debiti acceptionibus seu rationibus po-
14 test addi quinta, qua aliquid dicitur *debitum in pœnis*. Pœna enim dicitur debita crimini, hoc est criminoso, non quòd ipse ad eam ius aliquod habeat, sicut cùm alicui dicitur deberi præmium: sed quia illi congruit, estque necessaria vt rectus ordo per eum violatus instauretur. Vnde etiam debita est Reipublicæ, cuius ille criminosus est pars, & cuius legem violauit. Huic debito respondet virtus quædam quæ *iustitia vindex* seu *vindicatrix* dicitur, & residet

Debitum in pœnis.

Iustitia vindex.

in eo qui Reimpublicam gubernat. Lex enim est bonum publicum, quod peccato violatur. Vnde vindicta, quæ est castigatio peccati, & violati boni publici quædam instauratio, ad eum solùm pertinet, cui boni publici cura commissa.

Distinguitur à iustitia commutatiua.

Dices, hanc virtutem non videri distingui à iustitia commutatiua, quia gubernator Reipub. lege iustitiæ commutatiuæ tenetur sontes plectere. Deinde in vindicta spectatur æqualitas rei ad rem; nimirum pœnæ ad culpam, & sicut per culpam læditur Respub. ita per pœnam fit ei compensatio quædam & restitutio, vel satisfactio. Respondeo, in eo simile esse iustitiæ commutatiuæ, quòd constituat æqualitatem inter rem & rem, & compenset quodammodò læsionem irrogatam. Differunt tamen, quia non supponit strictam obligationem ad hanc compensationem faciendam, sicut fit in iustitia commutatiua. Nec obstat quòd Iudex & Gubernator teneatur lege iustitiæ pœnam infligere: quia hæc obligatio est ex peculiari contractu vel quasi contractu cum Republica. Duplex enim obligatio potest in Iudice considerari: prior erga reum, ad eum puniendum; altera erga Rempub. cui est obstrictus per officium vel pactum, vt ei ius administret sontes plectendo. Illa est iustitiæ vindicatiuæ, hæc iustitiæ commutatiuæ: sed vno actu vtrique satisfacit: hoc ipso enim quo sontem secundùm legem iustitiæ vindicatiuæ punit, obligationi qua tenetur Reipub. satisfacit. Itaque iste actus est elicitus proximè à iustitia vindicatiua, imperatus à iustitia commutatiua, vel etiam legali. Est enim veluti debitum quoddam quod soluit Reipublicæ, & quo consulit bono communi, in cuius executione dirigitur lege iustitiæ vindicatiuæ; cùm hoc sit opus huic iustitiæ proprium, & proximè ad eam pertinens. Quòd autem hic affectus sit virtus in eo qui publica potestate fungitur, perspicuum est: est enim bona pars iustitiæ, à qua Iudices iusti dicuntur, & ratione cuius magna laude sunt digni: nam instaurare ordinem iustitiæ violatum, est per se bonum & honestum, & magnum Reipub. ornamentum: denique sine vindicta scelerum bonum Reipub. maximum (quod est legum obseruatio) constare nequit.

Hunc affectum in Magistratu esse virtutem.

Esse in Deo iustitiam vindicatricem.

Porrò hanc virtutem propriè esse in Deo, ex eo colligitur, quòd 15
nullam imperfectionem in suo conceptu inuoluat aut supponat, sicut iustitia commutatiua, aut distributiua strictè accepta: non enim requirit strictam obligationum in vindicante cui satisfaciat, vt patet in Repub. libera, & in Principe supremo, qui potest pœnam

nam condonare. Quòd si aliquando talis obligatio reperiatur (vt in Iudicibus inferioribus, & Gubernatoribus) hæc prouenit ex peculiari contractu vel obligatione erga Rempub. vel eos quibus ius dicere tenentur; estque planè extrinseca huic virtuti. neque in Deo locum habere potest, cum ipse officium (vt ita dixerim) gubernandi mundi non à mundo, sed à se habeat. Itaque neque reo, neque mundo obstrictus est nexu iustitiæ ad peccata plectenda, sed solùm sibi ipsi; quia decet valdè ipsius iustitiam & sanctitatem, & quia ita statuit ad suam gloriam, & bonum vniuersi. Neque verum est quod quidam dicunt, ad vindictam requiri doloris acerbitatem, aut damnum illatum, quod inflictione pœnæ emendetur, & veluti sarciatur; quia sufficit publicam legem & maiestatem legislatoris esse violatam; etiamsi inde nullum aliud incommodum sit secutum. hoc enim per se satis magnum malum est, vt pœna compensari debeat.

Ratio vindictæ non postulat vt vindex dolorem aut damnum senserit.

16 Quòd etiam in Deo hæc virtus excellentissima sit, ex multis intelligi potest. Primò, quia prouidentia diuina & mundi gubernatio constat operibus misericordiæ & iustitiæ vindicatiuæ: quidquid enim Deus facit circa creaturas, vel est opus misericordiæ & benignitatis ergo hominem, vel iustitiæ peccatorum vindicis. & hoc modo intelligi potest illud Psalm. 24. *Omnes viæ Domini misericordia & veritas*. Itaque iustitia vindex occupat dimidiam, vt ita dixerim, prouidentiæ & gubernationis diuinæ partem.

Esse virtutem excellentissimam in Deo.

Deinde ipsa est causa omnium ferè bonorum operum quę fiunt in mundo, & salutis electorum. Si enim non esset vindicta peccatorum, pauci admodum præstarent se dignos cælo, pauci virtutem colerent, sed propè omnes in cœno vitiorum volutarentur. Perinde enim est vindictam non esse, & prouidentiam vel Numen non esse. at hoc inducere in animum, est fons infinitorum malorum, vt Psalm. 13. insinuatur: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*, non est peccatorum vindex, quid hinc secutum? *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*. Sicut sublata iustitia vindicatiua è Republica, omnia essent plena latrociniis & sceleribus contra iustitiam ciuilem? (vt meritò dixerit Aristoteles, solem è mundo tollere, qui iustitiam tolleret) ita sublata vindicta diuina, omnia essent plena sceleribus, saltem occultis, aduersus omne genus virtutum: longè enim amplius minis & suppliciis terrentur homines à flagitiis, & ad officium virtutis incitantur, quàm beneficiis & promissis alliciantur.

Est causa bonorum pænè omnium, & salutis humanæ.

ciantur. Plerique etiam eorum qui nunc virtutem colunt, rebus istius vitæ contenti essent, nec multùm promissione futurorum mouerentur, nisi metu maioris mali, vindictæ inquam diuinæ, vrgerentur. *Initium sapientiæ timor Domini*, inquit Scriptura, hoc est, caput & summa totius sapientiæ est, nosse diuinam iustitiam, eiusque timorem semper præ oculis haberet quantumuis enim in virtute quis profecerit, sæpè tamen eget hoc stimulo; tum vt ad bonum se excitet, tum ne ad malum in tentatione declinet. Itaque sapientissimè facit, qui hunc timorem numquam deponit. Præstat autem hoc bonum ipsa iustitia vindicatiua, non per modum principij eliciẽtis, sed per modum obiecti terrentis & monentis, vt malum, quod ipsa intentat, euadamus.

Psal. 110.

Compensat iniuriã Deo illatam. & instaurat ordinem.

Tertiò, duo alia bona hæc iustitia efficit, idque velut principium directè eliciens, ob quæ eminentissima virtus censeri meritò debeat: alterum est, iniuriæ diuinæ compensatio; alterum, violati ordinis in vniuerso instauratio. Duo enim mala peccato perpetrãtur; alterum, iniuria Dei, dum peccator ipsum contemnit, & se illi quodã modo præfert, sibi plus sumens, & Deo detrahens: alterum, perturbatio recti ordinis, dum se diuinæ subiectioni subtrahit, & publicæ rectitudinis statum peruertit. Maximum malum est contemptus & iniuria in Deum, quo nullum maius animo concipi potest: ingens quoque malum est recti ordinis perturbatio in suprema natura creata, nimirum rationali. Sicut si elementa mutatis suis sedibus permiscerentur, vel se supra cælos efferrent, ingens esset perturbatio, & grande malum mundi. at maior est & horribilior perturbatio, cùm natura rationalis, quæ præstantissima est, (ob quam totus iste mundus est conditus, vt eius seruiat obsequiis) se sui Cõditoris subducit gubernationi suo arbitrio viuere volens, se illi opponens, & quodammodò præponens. Vtrumque malum emendatur per iustitiam vindicatricem. Dum enim peccatori debita pœna infligitur, iniuria Deo irrogata quodammodò compensatur: nam qui contra voluntatem suam aliquid ab altero est passus, satisfactionem quamdam accipit, dum videt illum vicissim contra suam voluntatem pati: & qui ab altero contemptus est, illius pœna & depressione honoratur. Præterea, dum pœna infligitur, violatus ordo instauratur. Nam qui se diuinæ gubernationi subtraxerat, suo arbitrio agere volens, iterum eidem subiicitur, dum pati cogitur arbitrio Dei. Sicut igitur inordinatio illa quam peccatum inducit partim contra Deum, partim contra rectam

17

18

partium

partium vniuersi dispositionem, est maximum malum, & maxima in mundo deformitas: ita iusta vindicta, qua vtraq; ista inordinatio quodammodò tollitur vel emendatur, est maximum quoddam bonum & summa pulchritudo in vniuersi istius amplissima Republica. Quid enim pulchrius & rectissimo ordini iustitiæ congruentius, quàm vt qui Deo iniuriam agendo irrogauit, is patiendo (cùm aliter non possit) ei satisfaciat; & qui se contra Deum extulit, à Deo infra se deprimatur; & qui voluntati & affectui nimiùm indulsit, ea quæ voluntati & affectui sunt aduersa sustinere cogatur; & qui subduxit se gubernationi misericordiæ, incidat in severitatem iustitiæ? Accedit, cùm omnis inordinatio, quæ est in elementis & vniuersa natura corporea, orta sit ex peccato, (si enim peccatum non fuisset, singulari prouidentia tota natura rerum fuisset cohibita ne homini esset noxia aut molesta;) correcta inordinatione peccati per iustam vindictam, omnem quoque perturbationem, quæ occasione peccati in reliquis erat, sublatum iri, eaque omnia suum congruentissimum ordinem & statum consecutura. Ex quibus perspicuũ est, iustitiam vindicatricem, quæ in iusta vindicta tantum bonum spectat, & directè præstat ac perficit, esse præstantissimam in Deo virtutem. Hinc crebrò in S. Scriptura sicut Dei misericordia, ita etiam iustitia ac severitas nobis proponitur & commendatur, & variis modis describitur, vt eam benè apprehendamus, eaque perterriti à peccatis auocemur, Psalm. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera. Terribili, & ei qui aufert spiritum Principum, terribili apud omnes Reges terræ.* & Psal. 96. *Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium correctio sedis eius. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ; vidit, & commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. Annunciauerunt cæli iustitia eius, & viderunt omnes populi gloriam eius.* &c. Matth. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Denique sæpissimè ingeminatur nobis in Scriptura, *redditurum Dominum vnicuique secundùm opera ipsius.* Omitto loca plurima, quibus severitas Dei & magnitudo vindictæ describitur, vt Isaiæ vltimo, Ioël. 2. Sophon. 1. Malach. 4. Matthæi 24. Apocalypsis 6. &c.

Pulchritudo operu iustitia vindicta.

Verùm quia vtilissima est diuinæ iustitiæ consideratio, (cùm per hanc maximè à peccatis absterreamur, & ad bonorum operum studium

ſtudium ac tolerantiam malorum huius vitæ præſtandam impellamur,) tria nobis hîc potiſſimùm tractanda ſunt. Primum, De præcipuis diuinæ iuſtitiæ operibus. Secundum, De multitudine & magnitudine pœnarum, quas diuina iuſtitia peccatoribus infliget. Tertium, De grauitate peccati, ob quam tantas pœnas meretur.

CAPVT IV.

De primo diuinæ Iuſtitiæ opere.

SICVT magnitudo diuinæ miſericordiæ ex operibus cognoſcenda eſt, ita etiam magnitudo ſeueritatis & iuſtitiæ vindicis. Cauſa enim inuiſibilis & abdita in Deo, non poteſt à nobis meliùs quàm ex effectis & operibus cognoſci, nec virtus quàm ex ſuis functionibus. Porrò opera diuinæ iuſtitiæ in particulari ſunt innumera, poſſunt tamen ad decem generalia reuocari.

Strages Angelorum. Primum ſit ſtrages Angelica, cùm tot Angelorum myriades ob vnum peccatum cælo deiecit, & diuina hereditate ſpoliatos in tartarum deturbauit, æternis ſuppliciis cruciandos. Vbi conſidera, Deum nullam rationem habuiſſe nec multitudinis eorum innumeræ; nec pulchritudinis eximiæ, qua ceteris omnibus creatis antecellebant; nec excellentiæ naturæ, quæ Diuinitatis erat imago ſimillima; nec magnitudinis ingenij, quo omnes rerum naturas penetrabant & comprehendebant; nec totius illius boni quod ex ſalute eorũ prouenirſet; non viſionis beatæ, quæ ipſe ſemper in mentibus eorum reſplenduiſſet; non amoris, quo illum ſuper omnia amaſſent, ac omne bonum illi vouiſſent, & æternùm fuiſſent gratulati; non laudis & hymnorum, non gratiarum actionis, quibus in omnem æternitatem illum celebraſſent; non ſuæ gloriæ quam ipſe ex tot beatis ſpiritibus in ſempiternum erat percepturus. Pari motu non curauit mala, quæ ex eorum damnatione ſciebat obuentura, nimirum æternas in Diuinitatem blaſphemias & contumelias, pertinacem gloriæ diuinæ oppugnationem, humani generis lapſum, & totius mundi peruerſionem, quam ipſi furore tanti ſupplicij perciti, erant inuecturi. Hæc omnia nihili fecit, tanta bona contentus perdere, & tantis malis locum dare, vt eorum peccatum vindicaret. Poterat omnia iſta mala præcauere, & omnia ſupradicta bona ſaluare, ſi vel vnius horulæ ſpatium ad pœnitentiam illis conceſſiſſet. Nemo enim ex illis fuiſſet, quem non ſtatim pœnituiſſet 21

tuisset facti, omnes subitò minùs consideratum affectum fuissent detestati, quanto putas cum dolore? quàm acri & incensa contra seipsos ira? quanta humilitate petiissent veniam, & suam in Deum accusassent ingratitudinẽ? quanto ad ipsum feruore animi fuissent conuersi? Sed tam vehemens & velox ira Dei fuit, vt ne momentum quidem illis concesserit, sed in ipso flagranti delicto, nihil tale suspicantes, sententia damnationis veluti fulmine ictos, cælo præcipitauit, & æternis inferorum pœnis sine vlla spe remissionis addixit. O incomprehensibilem diuinæ iustitiæ seueritatem! ô sententiam terribilem & intolerabilem! ô infelices spiritus! quid vobis in mentem venit ita salutem vestram prodigere? quid magnæ illi luci, qua præditi eratis, obstitit, quò minus attenderetis ad damna tanta & tormenta peccantibus impendentia? nimirum intenti nimiùm pulchritudini vestræ à Deo recèns acceptæ, & illius cæco amore capti, in superbiam elati estis, bonisque vestris, tamquam à vobis ea haberetis, flagitiosè intumuistis, obliti Conditoris vestri. Quis ista perpendens non exhorrescat, & cum timore ac tremore saluti suæ non inuigilet? Si enim *qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem; quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum à tinea* peccati, quæ ex concupiscentia nascitur, *consumentur*, & æterni ignis fient pabulum, nisi misericordia Dei adiuti, omni studio peccatis restiterint? Si angelis suis, Regni sui Principibus, semel dumtaxat peccantibus non pepercit, *sed inferni rudentibus detractos in tartarum tradidit cruciandos*; quid fiet hominibus vilissimis & ingratissimis, post infinita beneficia tot peccata perpetrantibus, nisi seria & celeri pœnitentia, vitæque correctione iram impendentem auerterint?

Colligitur ex Damasceno lib. 2. De fide c. 3. Scoto in 2. d. 7. & aliis, qui ex electione negant in spiritibus nasci immutabilem adhæsionem.

Iob 4.

2. Petri 2.

CAPVT V.

De secundo opere Iustitiæ diuinæ.

22 SECVNDVM opus iustitiæ vindicis fuit punitio peccati Adami, quæ etiam admodum terribilis fuit, & multiplex. Nam Primò, ipse cum tota sua posteritate spoliatus fuit gratia diuina, ac iure regni cælestis, immortalitate, Paradiso, & tota felicitate illius status. Ecce quantis bonis & huius vitæ & futuræ, quàm innumerabiles homines ob vnius delictum spoliantur? Si ob crimen perduellionis Princeps virum nobilem, & omnem eius posteritatem priua-

Punitio peccati Adami.

Primò, Priuat omnibus bonis illius status.

ret suo fauore, & nobilitate, & omnibus dignitatibus, honoribus, officiis, & opibus illi collatis, mitteretque in exilium miserabile, egestate & multis calamitatibus conficiendos, omnesque indignos omni sua gratia in posterum censeri vellet; grauis admodum pœna videretur. At tantò est maior pœna peccati Adami, quantò meliora sunt bona quibus priuat, & peiora mala quibus obiicit, & plures numero quos perstringit; quantoque peius est ad cœlestia & æterna, quàm ad temporalia & terrena indignũ ac inhabilem esse. Ex hoc tamen exemplo æquitas huius pœnæ vtcumque intelligi potest.

Secundò, Euertit ordinem prioris prouidentiæ.

Secundò, Euertit totum illum prouidentiæ ordinem & gubernandi rationem, quam ex se constituerat, & mundo præparauerat: longè enim alia quàm sit modò, fuisset rerum gubernatio si peccatum non extitisset. Omnia sic administrata fuissent, vt homini nihil officeret, nihil molestiam aut mœrorem adferret, nihil ad peccandum sollicitaret; sed omnia illi & oblectationem & obsequium præbuissent, & ad salutem fuissent auxilio. Non illum frigus afflixisset aut æstus, non fames aut sitis, non paupertas & nuditas, non morbus & infirmitas, non senectus & mortis necessitas, non passionum turbidi motus, non carnis aduersus spiritum rebellio, non ignorantia & mentis stupor, non propensio ad malum, & languor ad bonum, non mille huius vitæ sollicitudines & dolores; non fuissent illi creaturę in laqueum & muscipulam, in ruinam & damnationem. Omnia hæc incommoda per suauissimam illam prouidentiæ rationem, quam Deus tunc præparauerat, impedirentur. Sed propter peccatum Deus hanc prouidentiam sustulit, & res suis motibus ferri, & in hominem vndique interiùs & exteriùs sæuire permisit, nulla ratione malorum habita quæ inde homini erant obuentura. Quare isto prouidentiæ reparatio subducto, omnia illa mala, tamquam agmine facto, in genus humanum vnà cum mortalitate irruerunt. Sicut si Princeps, qui singulari cura regnum in pace & omni felicitate conseruabat, ob scelus Præfecti curam illam deponeret, tutamen regni auferret, & frænum, quo continebantur hostes omnes qui regno nocituri erant, laxaret, permittens illud incendiis, cædibus, & intestinis cladibus concidere, & ad extremam deuolui miseriam. Indicat hoc Scriptura Sapientiæ 1. docens omnia à Deo condita esse salutaria, nec nocitura fuisse homini, nisi peccato suo id commeruisset. 23

Tertiò, Permittit tyrannidi diaboli.

Tertiò, Permisit Deus ob hoc peccatum totum ferè genus humanum tyrannidi diaboli. Antè à nihil ille in mundo habebat iuris, 24

ris, nemini poterat nocere, nec vnquam potuisset, si innocentia perstitisset, nec homines illum, vt modò faciunt, metuissent, sed instar canis vel serpentis contempsissent & abegissent. Sed postquam primi parentes nostri à Deo recesserunt, & diaboli suggestioni potius quàm diuino mandato morem gesserunt, magna ei potestas permissa est, qua sensim totam pænè posteritatem in suam seruitutem pertraxit. Vnde factum vt toto ferè orbe per aliquot annorum millia, tamquam princeps mundi, & Deus huius sæculi habitus sit & cultus, & etiamnũ multis locis colatur. Iustum enim est, vt à quo quis victus est, eius seruituti subiici sinatur; nec meliorem sortem tandem consequatur, quàm is cui se subiecit. Ingens sanè hoc erat pœna, tam immani tyrannide premi, qua & in omne genus vitiorum pro ipsius arbitrio impellebantur, & in eamdem simul trahebantur cum ipso damnationem. Magnum esset supplicium, si Princeps ob vnius culpam regnum permitteret vastari à latronibus, eorumque seruituti subiici: sed adhuc maius & acerbius, si simul statueret, vt illi qui latroni seruissent, simul cum latrone paribus tormentis consumerentur. Simile cogita in Deo, qui ita mundum diaboli permisit tyrannidi, vt eos qui ipsi morem gerunt, vnà cum ipso æternis incendiis addici velit.

Ioan. 14, 30. & c. 16, 11. 2. Cor. 4, 4.

25 Quartò, Permisit infinitam hominum multitudinem ruere in æternum exitium. Etsi enim esset præscius tanti mali secuturi, si iustitiam originalem & prouidentiam illam primam subtraheret; nihilominùs non curauit, quasi in vindicando illo peccato tantam cladem parui fecerit. Sicut cùm Princeps alicuius potentis inobedientiam vindicaturus, nihil de pœna vult remittere, etiamsi videat inde totius regni secuturam vastitatem, & maximam partem internecione delendam.

Quartò, Permisit maximam partem ruere in exitium.

Ex his vtcumque intelligi potest, quanta & quàm inæstimabilis fuerit iustitiæ diuinæ seueritas in primorum parentum peccato vindicando.

CAPVT VI.

De tertio opere diuinæ Iustitiæ.

26 TERTIVM opus fuit cataclysmus generalis, quo totus mundus (exceptis octo hominibus) deletus, & omnes hominum labores opesque euersæ. Magna videtur vindicta, cùm ciuitas aliqua

Tertium, Cataclysmus.

opulenta funditus euertitur ædibus incensis, & omnibus qui eam incolebant internecione deletis. At illi non aliqua ciuitas aut regnum, sed totus terrarum orbis cum omnibus suis incolis, opibus & ornamentis deletur. Erant homines illius æui omnibus naturæ dotibus ornatissimi, procera statura, optimè formato corpore, ingenti robore, summa audacia, rei belliçæ peritissimi, temperamento firmissimo, vitam & ætatem florentem in multa sæcula producentes: erat etiam eorum maxima & innumerabilis multitudo, totumque pænè orbem occupabant; adeò vt valdè credibile sit, tunc longè plures homines extitisse, quàm hoc nostro sæculo extent. Cùm enim diutissimè viuerent, & corpore essent firmissimo, omnesque propagationi essent intenti, & multi plures acciperent vxores, fiebat vt intra trecentos vel quadringentos annos in multas diffunderentur myriades, & singuli magna possent implere regna, nouis assiduè subnascentibus & veteribus non denascentibus, sed simul ad septingentos, octingentos, vel nongentos annos perseuerantibus. Itaque plurimi ex maioribus videbant maximas prouincias à sua stirpe occupatas, & ducentas vel trecentas hominum myriades ex se procreatas. Si enim ex vno Iacob intra trecentos annos tot procreati fuere, vt exercitum sexcentorum millium virorum à viginti annis & supra confecerint, præter mulieres & paruulos (quorum numerus facilè duplo maior erat) cùm tamen homines vix septimam partem illius prioris ætatis attingerent: quantam existimabimus multitudinem sæculo illo primæuo per annos 1656. procreatam, cùm homines vitæ adeò essent diuturnæ, & aliis subnascentibus priores non nisi post multa sæcula deficerent? Deus tamen infinitam istam multitudinem, & omnia illorum ornamenta, quæ tanti sunt apud homines, nihili fecit, & omnes internecione, immensa vi aquarum supernè demissa, sustulit. Cui enim deest timor Domini, quantumuis humanis excellat præsidiis & ornamentis, nihili apud Deum æstimabitur. *Si quis fuerit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua* (timor Domini) *in nihilum computabitur*, inquit Sapiens. qua de re multa habentur Sap. 9. & Baruch 3. Mirus profectò erat iste puniendi modus, & mirificè declarans diuinam potentiam, cui omnis creatura seruit, & infinitæ rationes suppetunt nos castigandi.

Multitudo hominum illius ætatis.

Exodi 12.

27

Sed vnde tanta aquarum copia? Quidam putant magnam terræ vel aëris portionem in aquam fuisse conuersam. Sed quibus experimentis huiusmodi conuersio probari possit, non est facile ostendere.

Vnde tanta aquarũ vis.

28

dere. Alij aquam cauernis terræ inclusam sursum erupisse, & terræ superficiem inundasse, & hoc esse fontes abyssi magnæ, quos ruptos Scriptura memorat. Verùm & hoc difficile est creditu: illa enim aqua non nisi vi, & contra naturæ suæ impetum sursum propelli poterat; nec cauernæ illæ vacuæ relinqui, sed aëre impleri, & firmissimè concludi debebant, ne aquæ refluerent. Itaque vim adferri assiduè naturis elementorum oportebat vt diluuium fieret, & factum consisteret. At longè conuenientius erat, vt hæc omnia secundùm propensionem & impetum naturalem elementorum fierent. Deinde, si aqua erupisset è terra, non effecisset pluuiam, sed exundationem. At Scriptura apertè indicat, fontes abyssi magnæ, & cataractas cæli effecisse pluuiam: *Rupti sunt*, inquit, *omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Gen. 7. Itaque fontes abyssi magnæ non sunt aquæ subterraneæ, sed sublimes & cœlestes, quæ solæ pluuiam efficiunt. *Qui sint fontes abyssi magnæ.* Confirmatur: Quia aquæ subterraneæ non poterant sursum ascendere & effundi nisi initio inundationis, cùm terræ superficies necdum erat aquis cooperta; non autem posteà cùm cœpit tota circumdari: quia aëri qui in locũ aquarum subiret, omnis aditus tunc ad illas cauernas erat intercluſus. At Scriptura indicat, fontes abyssi magnæ non esse cõclusos nisi completo iam diluuio, & cessantibus pluuiis: *Clausi sunt*, inquit, *fontes abyssi, & cataractæ cæli, & prohibita sunt pluuiæ de cælo.* Gen. 8. Itaque *fontes abyssi* non sunt aquæ subterraneæ. Nec est necesse ad istas angustias confugere: sat magna aquarum copia supra cælos, vt S. Scriptura loquitur, præparata erat. Eò enim abyssus magna pro maiori sui parte translata est, vt ex 1. cap. Geneseos colligitur. Ibi eius fontes quærendi, vbi & cæli cataractæ. Creauit Deus initio maximam vim aquarum, vndique terram altissimè ambientem, quam S. Scriptura dicto cap. 1. Geneseos *abyssum* vocat. Huius maximam partem secundo die posuit supra firmamentum, dum eam in vaporem subtilissimum extenuatam, supra mediam regionem per vastissima spatia circumquaque dispersit & expandit. Hoc modo diuisæ sunt aquæ quæ supra firmamentum sunt, ab aquis quæ sub firmamento. Hæ abundè sufficiebant ad diluuium efficiendum, vt non opus fuerit vel alia elementa diuina virtute in aquam conuerti, vel aquas subterraneas sursum educi. Fuerunt igitur hæ aquæ quæ olim extenuatæ per immensum aëra diffusæ erant, rursus densatæ, & ad primæuam reductæ conditionem, applicatis ad hoc causis

idoneis, vnde suo pondere in terras circumquaque ruerunt, non simul & confertim, sed sensim, vt miseris mortalibus daretur locus pœnitentiæ, vt D. Chrysostomus Homil. 2 in Genesim notauit.

Pluit itaque per vniuersum orbem quadraginta dies, & quadraginta noctes, & sensim ita excreuit aquarum cõpia, vt tandem culmina montium quindecim cubitis superaret, vndique cingens & operiens orbem terræ, sicut sphæra superior inferiorem: ad quod efficiendum, tanti temporis per totum orbem pluuia, si quis benè consideret, abundè sufficiens videri possit, cùm fuerit vehementissima. Itaque nullus erat effugij locus, cùm nusquam pedem figere, nusquam se tenere possent, pondere corporis ad ima deprimente, & aquarum vi spiritum intercipiente. Et quamuis multi arcas, tabulas, vel arbores nantes (vt fieri solet in naufragiis) apprehenderent; tamen tandem partim inedia, partim labore & fluctuum impetu victi & fatiscentes obruti sunt, aquis centum quinquaginta diebus antequam inciperent minui terras obtinentibus. Poterant octo vel decem dies sufficere ad omnes extinguendos; nihilominùs ad centum quinquaginta productum est hoc diluuium, vt iræ diuinæ magnitudo illa cladis continuatione declararetur. Eo tempore expleto, cœperunt aquæ decrescere, adeò vt post septuaginta dies cacumina montium apparere inciperent, & post alios centum quatuor iam terra esset exsiccata, ita vt Noë cum omnibus animantibus egredi arcam, & commodè per terram ambulare posset. Itaque quadraginta diebus diluuium creuit, centum quinquaginta stetit, & centum septuaginta quinque imminutum est & absumptum, ac proinde anni spatio tota res peracta. Porrò illa aquarum imminutio facta est vi spiritus siccantis, & aquam rursus in vaporem extenuantis, & rursum per immensos aëris tractus supra mediam regionem, vnde venerat, dissipantis. Hanc vim non naturalem, sed diuinitus impressam fuisse, credibile est, & ipsa sacra Historia indicat. Nullus enim ventus tam breui tempore tantam aquarum copiam haurire, aut ita extenuare vi sua naturali potuisset. 29

CA-

CAPVT VII.

De quarto Iustitiæ diuinæ opere.

30 QVARTVM iustitiæ diuinæ opus cernitur, cùm inusitatis modis supra communem rerum cursum vastantur vrbes, populi, regna, vel igne cælitus demisso, vel terra dehiscente, vel maris incursu, vel spiritalis naturæ ministerio. Sic Sodoma & Gomorrha, Adama & Seboim cum vicinis locis ignis sulphurei imbre deletæ sunt. *Dominus* (inquit Scriptura) *pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo, & subuertit ciuitates has, & omnem circà regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* In quo supplicio multa sunt consideranda, quæ seueritatem diuinæ iustitiæ nobis insinuant. Primò, Quòd igne sulphureo cælitus demisso puniti, qui vel ipso aspectu est maximè horribilis, colore fusco & ex obscuro flauescente, odore teterrimo, ardore maximè penetrabili, contagio & adhæsione pertinaci. Vnde Scriptura diuina ignem inferni sulphureum esse multis locis insinuat, vtpote ad torquendum impios aptissimum. Est in locis subterraneis huius materiæ maxima copia: nam præter ipsum sulphur merum, quo terra abundat, plurima alia quæ effodiuntur sulphur habent admixtum. In aëre verò facilè concrescit, vt ex fulminibus constat, quæ planè sulphurea esse, res afflatæ testantur. Facile fuit Deo, ministerio Angelorum materiam inflammabilem, halitumque pinguem per aëris vastitatem diffusum subitò colligere, eumque in sulphur liquidum densatum inflammare, & impetu instar nimbi vel torrentis deorsum mittere. Sic *pluit super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.*

Inusitatæ clades.

Gen. 19.

Punitio Sodomorum.

Igne sulphureo.

Psalm. 10. Apoc. 14. 19. & 20. Isaiæ 30. & 34.

Psalm. 10.

31 Secundò, Quòd subitò & ex inopinato oppressi, cùm adhuc in lectis suis vel somno sopiti, vel suis impuritatibus dediti voluta-rentur: nam manè sole oriente hæc clades illata, cùm eadem nocte tota ciuitas à minimo vsque ad maximum, vt ait Scriptura, ad ædes Lot congregata nefandum crimen in hospites ipsius patrare conata fuisset. Itaque valdè verisimile est, nullos vel paucissimos ex illis saluatos. Cùm enim omnes essent improbissimi, & timore diuini Numinis destituti, (nam in omnibus illis locis non reperiebantur vel decem iusti; & si qui fortè erant, eos ad familiam Lot per-

Subitò oppressi.

Gen. 19.

pertinuisse putandum est) difficillimum fuit in tanto terrore & tam repentina clade veram concipere contritionem qua Deo reconciliarentur. In diluuio concessa longa mora, & pœna non erat tam atrox, vnde facilius poterant pœnitentiam agere: hîc nullæ datæ inducię, sed repentè horrendo & acerrimo supplicio extincti. Quod etiam insinuat Ieremias cap. 4. Lamentationum, cùm ait, *Sodomam subuersam in momento, & non cepisse in ea manus*; hoc est, non fuisse captam & euersam ab hominibus, sed vi diuina subitò deletam.

Etiam parvuli deleti.

Tertiò, Fuisse hoc incendio inuolutos non solùm adultos, siue 32
virosue siue feminas, sed etiam pueros & infantes (nolente Domino sobolem inuisæ gentis superesse) animantia quoque & cetera terræ bona. Adeò displicet illi peccatum, vt non solùm in auctores, sed etiam in eorum proles & substantiam vniuersam desæuiat, omnibus è medio sublatis. Sicut enim Deus amat pios, & propter illos omnia quæ ad illos pertinent, fouet & protegit: ita odit impios, & illorum causa sæpè ea quæ ad illos pertinent, subuertit, vel sua protectione destituit.

Acrimonia incendij, & amplitudo.

Quartò, Hoc incendium adeò fuisse vehemens & vastum, vt per septuaginta duo milliaria in longum & nouemdecim in latum (quod ex Iosepho & aliis Auctoribus colligitur) se extenderit, & intra terrā penetrarit; eaque profundè exusta magnum sinum veluti maris alueum in ea effecerit; qui mox aquis confluentibus impletus, ingentem lacum constituit variis notis & nominibus celebrem. Est enim in eo bituminis è fundo ebullientis maxima copia (vnde & *lacus asphaltites* dictus est) quod ex mistione illa sulphuris & reliquæ materiæ de cælo lapsæ vi ignis concreuisse est credibile. Aquæ sunt spissæ, fœtidæ, sordidæ, & adeò malignæ excessu quodam salsi & amari, vt nihil in eis viuere possit, sed necesse sit breui emori quidquid viuens per Iordanem inuectum, vel fortè iniectum aliunde fuerit. vnde & *mare mortuum* appellatum est. Exhalat assiduè, tamquam os infernale, tetrum & pestilentem vaporem, quo vicina omnia tam montana quàm campestria afflata, per viginti circiter passuum millia in solitudinem redacta & veluti exusta cernuntur. hinc *mare solitudinis* dictum est. Itaque nihil ibi crescit præter arbores quasdam, quarum aliæ sunt planè steriles & squalidæ, aliæ ferunt fructus quosdam externa specie instar pomorum, qui vbi carpuntur, mox in fauillam cum ingenti fœtore facessunt.

Nota infernales illius loci.

Quintò,

33 Quintò, Considerandum est peccatum ob quod ira diuina tantopere in illos exarserit, & regionem anteà instar paradisi amœnam, vt Scriptura testatur, in lacum stygium, & squalorem infernalem conuerterit. Etsi enim multis peccatis fuerint obnoxij, præcipuum tamen ob quod ita puniti fuere, erat præpostera libido, vt ex cap. 19. Geneseos colligitur, vbi solùm illud refertur. Idem apertè indicatur in Epistola Canonica S. Iudæ, cùm ait: *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* vnde & nomen crimini ab illa vrbe inditum. Aptè huic peccato talis pœna constituta: nam ardor sulphuris congruebat ardori impuræ concupiscentiæ, & teterrimus illius odor infamæ fœditati, quæ in hoc peccato continetur. Vnde S. Gregorius lib. 14. Moralium cap. 10. in illa verba cap. 18. Iob, *Aspergatur in habitaculo eius sulphur*, dicit per *sulphur* peccatum carnis designari. *Quid est aliud sulphur nisi fomentum ignis? Verumtamen sic ignem nutrit, vt grauissimum fœtorem exhalet. Rectè igitur in sulphure peccatum carnis accipitur, quod dum peruersis cogitationibus quasi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat: & dum fœtoris sui nebulam in mente reproba dilatat, contra eam flammis subsequentibus quasi nutrimenta subministrat.* Hinc ostendit, conuenienter Sodomæ peccatum igne sulphureo punitum fuisse, vt pœna culpæ responderet. Legimus etiam in Historia Peruana, gentem quamdam giganteæ magnitudinis huic flagitio deditam simili modo igne cælesti fuisse absumptam: descendisse enim è cælo specie visibili iuuenem instar solis splendentem, qui fulminibus supernè in eos vibratis omnes deleuerit; ita ex traditione maiorum narrare incolas, & etiamnum reperiri vestigia adustionis tum in saxis, tum in ossibus eorum qui extincti. Et nostra memoria in Pegu Indiæ Orientalis cùm populus esset innumerabilis, & aliquot millionibus capitum censeretur, variis cladibus ad maximam paucitatem est redactus: cuius causa non videtur alia, quàm quòd huic iceleri præ ceteris populis fuerint addicti. Quòd si Deus istud peccatum adeò seuerè in infidelibus illis, eius iustitiam & præcepta ignorantibus, vindicauit, & in ipsa vindicta tot iræ suæ vestigia impressa reliquit; quid expectandum Christianis, qui post tot beneficia diuinitus accepta, post notitiam diuinæ voluntatis, post tot vltionis exempla, ab illo non abstinent? Tanta profectò eos manet tormentorum acerbitas, vt acrimonia supplicij Sodomorum illius

Propter quæ peccatum ita puniti. Gen. 13.

Eiusdem meminit Iosephus à Costa lib. 1. c. 19. De natura noui Orbis.

comparatione leuis meritò videri possit, si iusto examine pensitentur.

Alia exempla plurima diuinæ seueritatis per ignem in hac vita 34
scelera mortalium punientis adferri possent; vt quòd in seditione
Num. 16. Core ducentos quinquaginta viros immisso igne absumpserit, & postridie rursus ob murmur in Moysen & Aaron quatuordecim millia & septingentos similiter igne, tamquam fera quadam vel sa-
4. Reg. 1. tellite immisso, deleuerit: quòd ad iussionem Eliæ duo duces quinquagenarij, vterque cum sua turma, cælesti igne perempti sint: vt
Hiatu terræ. omittam innumera quæ apud profanos Scriptores habentur. Hiatu terræ iusque tremoribus maximæ clades sæpè propter peccata vrbibus & regionibus illatæ. Sed præ cæteris notabilis fuit punitio Dathan & Abiron, qui ob murmur contra Moysen & Aaron, repente disrupta & dehiscente terra, cum suis tabernaculis & omnibus ad ipsos pertinentibus absorpti descenderunt viui in infernum, vt Scriptura Numerorum 16. narrat. Fuere isti typus schismaticorum & hæreticorum nostrorum, qui se ab obedientia capi-
Qui designentur per istos murmuratores. tis, quod Deus in Ecclesia constituit, subducunt, eique detrahentes, & auctoritatem eius calumniantes, se illi opponunt, tamquam ipsi sint electi à Domino, qui populum Dei doceant & regant. Vnde non minor his vindicta à Domino expectanda. Si enim qui in cultu & regimine illo typico & vmbratili se populi Ducibus à Deo delectis opposuere, tam horrendè puniti fuere; quid fiet his qui in veritate & luce Euangelica erigunt se aduersus Vicarium Christi, & sibi auctoritatem regendi docendique in Ecclesia Christi arrogant? non est dubitandum, quin incomparabiliter maiora sint horum tormenta futura quàm illorum qui Moysi restiterunt, etsi non in hac vita, vt illi, dehiscente ima tellure absorbeantur.
Paruum videbatur plebi illorum peccatu, neque tantam meruisse 35
vindictam; vnde murmurabant contra Moysen & Aaron, quasi ipsi à Domino præter meritum talem pœnam impetrassent, eosque tamquam interfectores populi Domini accusabant. Sed hæc murmuratio adeò displicuit Domino, vt mox ignem in populum immiserit, qui repentè quatuordecim millia hominum & septingentos absumpsit: & nisi preces supplicationesque Moysis & Aaronis interuenissent, longè maior clades interfectorum fuisset. Optimum sanè documentum multis frigidis & insipientibus nostri æui Catholicis, qui peccatum hæreticos parui æstimant, neque vindicta graui aut infamia dignum censent: hæreticos si politicam quam-

dam

dam honestatem seruent, viros probos & honoratos iudicant, nec eos hæreticos, sed *viros religionis reformatæ*, & hæresim *religionem reformatam* vocari volunt. Hos nimirum manet ignis ille qui murmuratores illos causam Dathan & Abiron excusantes vel extenuantes corripuit.

CAPVT VIII.

De plagis Ægyptiacis.

Plagæ Aegyptiacæ.

36 SED mirè Deus suam potentiam ac seueritatem, clementia tamen temperatam, ostendit in tam multiplici & acerba Pharaonis & Ægyptiorum castigatione, qua eorum duritiam frangere, & ipsos ad obedientiam compellere statuit. Describit eam Moyses Exodi 7. 8. 9. 10. 12. Dignissima sanè est consideratione, vt homines intelligant, quàm varij & mirabiles Deo suppetant modi, quibus & peccata impiorum castiget, & iustos ab eorum oppressione vindicet.

Prima plaga. Conuersio aquæ in sanguinem.

Prima plaga fuit, aquarum in sanguinem conuersio. Cùm enim Aaron mandato diuino fluminis aquam virgâ percussisset, repentè omnia flumina & riui, omnes paludes & lacus Ægypti, & omnes aquæ quæ per totam illam regionem in cisternis, vasis ligneis aut saxeis continebantur, versæ sunt in sanguinem. Hinc omnes pisces mortui, & summa corruptio cum incredibili fœtore, putrefacta tanta sanguinis copia, secuta est: non enim potest sanguis diu extra venas, quæ illius conseruandi vim habent, consistere quin putrescat. At quanta ista res erat? quàm immensa in illa magna regione aquarum copia, quam Nilus fluuiorum facilè omnium maximus, tam longo tractu, in tot diuisus alueos interluit & rigat? Et hæc omnia momento temporis, ab eo loco vbi Ægyptum attingere incipit, vsque ad mare, in verum sanguinem versa; & assiduè omnis aqua Nili ex Æthiopia veniens eo ipso quo Ægyptum attingebat, aqua esse desinebat, & sanguis fiebat, ac permanebat donec in mare deuoluta pristinam naturæ reciperet. Durauit ea res per septem dies. quo factum est, teste Philone l. 1. De vita Moysis, vt Ægyptij omni aquarum dulcium solatio destituti, maxima siti fuerint afflicti, & plurimi siti enecti iacerent in triuijs, non sufficientibus domesticis ad sepulturæ officia. Quòd si quis tentaret tam horrendo potu solari malum, confestim acri dolore viscerum corripiebatur, vt refert Exodi 7.

Iosephus libro 2. Antiq. Israëlitæ verò etsi omnis aqua pariter apud illos in sanguinem versa esset (nam id per totam Ægyptum commune erat, vt Scriptura testatur) nihil tamen inde incommodi in vsu illius sentiebant: nam eo ipso quo ipsi bibere tentabant, repentè in aquam dulcem, qualis antè fuerat, conuertebatur. Ex his facile est considerare, quanta vel in hoc vno diuini flagelli ictu miracula extiterint, quantum diuinæ potentiæ & iustitiæ specimen, quàm multiplex impiorum afflictio.

Secunda, Ranarum.

Exod. 8.

Huic succesſit altera non minùs molesta, nimirum ranarum. 37 Cùm enim iussu Domini Aaron extendisset manus super aquas Ægypti, statim ex omnibus fluuiis, riuis & paludibus Ægypti emersit infinita ranarum copia, quæ totam operuit terram, omnes occupans campos, omnes vias, omnia oppida, vndique penetrans, in domos, in cubicula, in lectos, in penum, in furnos, in ollas & mensas, in esculenta & poculenta, omnia suo contagio inquinans & fœdans. Nemo nec domi consistere, nec foras egredi valebat, omnibus locis hac colluuie coopertis. Torquebat omnes sensus, oculos deformi & abominabili specie, aures ingratissima & assidua ceaxatione, nares ingenti fœtore, gustandi & tangendi sensum suo contagio inquinando omnia & fœdando. Erant enim homines obsiti hac lue omni ex parte, vt nullum esset effugium. Itaque fractus Pharao spondet abeundi copiam, vt hoc malo liberetur, & postridie ad preces Moysis, omnis illa ranarum multitudo, quam nulli exercitus, nulla hominum vis aut industria delere potuisset, repentè per totam Ægyptum extincta est, ita vt ne vna quidem superesset. quo viso, impius ille Rex redit ad priorem animi obstinationem, & promissa sua rescindit.

Tertia, Sciniphum.

Exodi 8.

Quare Dominus tertiam plagam immisit, quæ fuit sciniphum. 38 Cùm enim Aaron iussu Domini virga sua puluerem percussisset, omnis puluis terræ per totam Ægyptum versus est in scinipham infinita examina, quæ instar nebulæ totum impleuere aërem, ipsis etiam solis radiis sua multitudine constipata interceptis. Ecce nouum genus calamitatis prorsus intolerabile; quod si diu durasset, omnes Ægyptios vel perdidisset, vel solum vertere coëgisset. Erant sciniphes culicum genus minutissimum, spiculo viuo eoque acutissimo cutem terebrans, & proboscide sanguinem exugens. His aër plenus erat, & omnia loca insessa & operta. Inuolabant in faciem, in os, in oculos, in aures, in nares, nulla requie concessa; odiosissimo tinnitu ferientes auditum, & acri punctione vexantes cutim,

tim, tabo suo totum corpus quà poterant attingere in tumorem attollentes. Affligebat hoc malum non solùm homines, sed etiam iumenta, quæ abruptis vinculis tamquam œstro percita ferebantur per agros, obuia quæque sternentia. Remedium nonnullum erat abdere se in aquas. Ditiores quoque conopœis & flabellis molestiam solari conabantur.

39 Itaque perstante in obstinatione Rege, addidit Deus plagam quartam, immisso omni muscarum vel insectilium genere: quarum quædam horrendum in modum pungunt, vt etiam largum sanguinem ex iumentis eliciant. Harum infinita multitudo Ægyptum & vniuersas Ægyptiorum domos inuasit, omnia suis sordibus inquinans & corrumpens, animalia & homines acribus puncturis & alarum molestissimo strepitu infestans, nec vsquam quietem capere permittens. Grauissima cæteris fuit Ægyptiis. Vnde Pharao iterùm fractus missionem spondet, vt ista plaga depellatur. Quare dum postridie Moyses Domino supplicat, repentè omnes illæ muscarum nubes sublatæ sunt, ita vt ne vna quidem superfuerit. *Quarta, Muscarum omne genus.*

40 Verùm cùm ille flagello submoto rursus falleret promissa, Deus quintam plagam irrogat, pestem animalium, qua vno tempore omnes equi & asini & cameli, & boues & oues quæ in agris erant, per totam Ægyptum periere, exceptis ijs quæ erant filiorum Israël. hæc enim ab illa clade fuere immunia. Magna profectò ista castigatio fuit, quæ bonam partem opum Ægyptiacarum perdidit; & insuper terribilis, cùm Ægyptij meritò formidare deberent, ne similem Deus pestem in ipsos immitteret. Nam pestis animalium solet esse prænuntia mortalitatis hominibus impendentis. *Quinta, Pestis animalium.*

41 Sed neque hoc flagello meliores effecti sunt. Itaque sextam Deus plagam infert, hominum & quæ supererant iumentorum corpora scabie grauissima exulcerans. Nam iussu diuino cùm Moyses coram Rege vnum vel alterum cinerum manipulum in cælum sparsisset, ecce subitò per totam Ægyptum miro quodam puluere aër impletus est; qui in hominum & animalium decumbens corpora, sua acrimonia & vi caustica cutim attollebat in vesicas, subtilioribus carnis partibus in aquosam materiam colliquatis; quæ deinde humore putrescente & cute exesa in vlcera & sordidam feruentemque scabiem faciebant. Erat hoc malum molestissimum pariter & fœdissimum, adeò vt ne magi quidem eo afflicti possent coram Moyse consistere. Hinc Deuteronomij 28. inter cetera ma- *Sexta, Scabies.*

la quæ legis præuaricatoribus minatur Moyses, ponitur & istud, *Percutiat*, inquit, *te Dominus vlcere Aegypti, scabie quoque & prurigine, ita vt curari nequeas.*

Septima, Grando.

Post hæc, cùm nec sic quidem resipiscerent, infert septimam valdè terribilẽ, grandinem ingentis ponderis fulminibus permixtam, qua omnia viuentia & arbusta, quæ foris erant, protrita, confracta, vel consumpta fuere. Cùm enim mandato Domini Moyses virgam in cælum extendisset, subitò *Dominus dedit tonitrua & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluitq; Dominus grandinem super terram Aegypti. & grando & ignis mista pariter ferebantur: tantaq; fuit magnitudinis, quanta antè numquam apparuit in vniuersa terra Aegypti; ex quo gens illa condita est. Et percussit grando in omni terra Aegypti cuncta quæ fuerant in agris ab homine vsque ad iumentum, cunctamq; herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit.* Erat hæc plaga non solùm valdè detrimentosa, qua tot mortales extincti, & tantæ opes deletæ; sed etiam supra modum horrenda. Primò, Nam Ægyptus tonitruorum, fulminum, & grandinum est insolens: non enim ibi coguntur nubes nisi modicè, idque iuxta mare ad leuem quamdam irrorationem, vt Philo scribit. Deinde, Quia hæc tum fuere longè maiora, densiora & diuturniora, quàm alibi euenire solent; vt meritò omnes extremum exitium metuerent. Grandine enim, tamquam saxeo nimbo, non solùm omnia quæ in agris erant teneriora, sunt confracta; sed etiam tecta vehementer afflicta: fulmine verò solidiora quæque dissipata. Tertiò, Quia videbant fulmina grandini permixta ferri, nec tamen vi fulminis grandinem liquescere, aut grandinis copia & frigore fulminis vim restingui. quod miraculum tum Philo libro De vita Moysis, tum S. Scriptura cap. 16. Sapientiæ commemorat. *Nix*, inquit Scriptura, *& glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant; vt scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine & pluuia coruscans.* Hæc plaga ita perterruit Regem, vt vocato Moyse & Aarone hanc vocem illi expresserit: *Peccaui etiam nunc; Dominus iustus; ego & populus meus impij: orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei; & grando, vt dimittam vos, & nequaquam hic vltrà maneatis.* Deprecante Moyse, omnia repentè conquieuere, vt constaret hæc omnia diuino nutu regi.

Exodi 9. 42

Exodi 9.

Octaua, Locusta.

Quiete concessa, Rex pristinam induit contumaciam. quare octaua plaga inuecta est, locustarum immensum agmen. Cùm enim Moyses iussu Dei virgam in aërem extendisset, subitò ventus 43

Austra-

Australis incubuit vehementissimus, per totam diem noctemque inualescens, qui sub diluculum aduexit locustarum infinitam multitudinem instar nubis expansam, quæ vniuersam terram occupauit & contexit. Hæc quæ grando & fulmen reliqua fecerat, vastauit omnia, adeò vt nihil virens relictum sit in arboribus aut herbis terræ in cuncta Ægypto. Penetrabat quoque agminatim in domos, in cubicula, in lectos, in penum, omnia suo contactu adurens, & sanie commaculans. Assultim se vibrabant in faciem, in caput, in manus & crura, diros morsus inferentes, vt insinuatur Sapientiæ 17. Quare rursus Pharao, Moyse & Aarone accitis, confessus peccatum suum, *Rogate*, inquit, *Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam*. Egressusque Moyses rogauit Dominum, qui mox flare fecit ventum Occidentalem vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in mare rubrum, ita vt ne vna quidem in cunctis finibus Ægypti remanserit. Exod. 10.

44 Verùm sublato hoc malo, cùm Rex animum obstinasset, immissa est plaga nona. Extendente enim Moyse iussu Dei manum in cælum, factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus. *Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat*. In hac plaga multa sunt admiranda. Primò, Quòd tenebræ illæ tantæ fuerint, vt essent palpabiles, nimirum aëre crassis vaporibus & nubibus atris ita constipato, vt & lumen cæli penitus excluderet, & præ spissitudine tactu percipi posset. Deinde, quòd hæ tenebræ non affecerint Hebræos Ægyptiis permixtos, sed solos Ægyptios: nam, vt ait S. Scriptura, *vbicumque habitabant filij Israel lux erat*. Tertiò, Quòd hæ tenebræ tantum horrorem Ægyptiis attulerunt, vt toto triduo se loco mouere ausi non fuerint, sed tamquam vinculis constricti perstabant singuli eo loco vbi eos tenebræ oppresserant. Quod etiam apertè habetur Sapientiæ 17. *Vna catena tenebrarum omnes erant colligati, & longæ noctis vinculis tenebantur in carcere sine ferro recluso*. Quartò, Quòd ab igne nihil solatij percipere licuerit, vt eodem cap. 17. dicitur, cuius causam Philo refert in crassum vaporem, & turbinem ventorum, qui illum accendi non permitteret. Quintò, Quòd miris interim fuerint exagitati terroribus, spectris horrificis per tenebras se offerentibus, & variis sibilis ac sonis hinc inde emissis. Vide cap. 17. Sapientiæ. *Nona, Tenebræ.* Exod. 10.

45 Cùm hæc plaga tres dies & noctes continuata fuisset, diuina miseratione cessauit, ne miseri inedia & horrore contabescerent.

Verùm

Verùm Rege in sua impietate & contumacia persistente, tandem Dominus cladem decimam, eamque omnium acerbissimam irrogat. Media enim nocte, misso Angelo, vna hora occidit omnes primogenitos, à primogenito Regis qui iam cum patre regnabat, vsque ad primogenitum vilissimæ ancillæ pistrinariæ, & omnia primogenita animantium. Nulla domus erat sine funere, sine luctu & eiulatu, perempto eo quod in quaque erat præstantissimum & charissimum. Tantus hinc ortus est clamor, tanta comploratio per totam Ægyptum, quanta nec antè fuit vmquam, nec posteà futura est, vt S. Scriptura cap. 11. Exodi testatur.

Decima, Cædes primogenitorum.

Hæc calamitas eorum contumaciam fregit: metuebant enim, ne si diutiùs refragarentur, sicut vno ictu Deus omnes primogenitos peremerat; ita reliquos geminata plaga ad internecionem deleret. Permittunt ergo Israëlitis abitum & vrgent, commodatis vasis aureis, argenteis, & pretiosa supellectile ad sacrificij, quod facturi erant Domino, celebritatem. Verùm paulò pòst redeunt ad ingenium, pœnitetque concessæ facultatis. Ingens enim damnum videbatur, regnum tantis priuari seruitiis.

Igitur Rex contracto repentè exercitu persequitur abeuntes, & 46
tertio die assequitur montibus & mari intercluſos. Putabant Israëlitæ actum de sua salute, & pœnitebat egressum tentasse, quia nusquam sibi patere videbant effugium. Sed Dominus in vltima illa desperatione mox adfuit, cuius mandato cùm Moyses virga sua Mare rubrum percussisset, statim scissum est à littore Ægyptio ad littus oppositum in duas partes, aquis in dextrum & sinistrum ingenti spatio hiatuq; discedentibus, & certo limite instar murorum consistentibus, nudato latè alueo tamquã valle inter duos montes. Non enim putandum est, exiguum fuisse hoc diuortium, quo tantum spatij datum, quantum trecentis hominum myriadibus cum infinita pecorum & iumentorum copia turmatim incedendo satis erat ad transitum quatuor vel quinque horis expediendum. Latitudo itaque huius semitæ vt minimum tuerit mille passuum, longitudo duodecim millium. Facta hac maris diuisione, ad vesperam immisit Dominus ventum vrentem, qui humidum maris alueum siccaret, lutumque duraret ad commoditatem transeuntium. quod vbi paucis horis fuisset perfectum, post medium noctis ingressi sunt maris alueum, & ad alterum littus euasere sub auroram. Sequitur mox Pharao cum suo exercitu, pænè inhærens postremo Israëlis agmini, nisi Angelus in columna ignis præcedere solitus,

Diuisio maris.

solitus, se in posteriorem partem recipiens, medium interposuisset, tenebras offundens Ægyptiis ne præcedentes cernerent, & lucem præbens Israëlitis, vt inoffensè iter facerent. Cumque Israëlitici agminis postremi in littus oppositum cum rebus suis euasissent, & iam totus Ægyptiorum exercitus esset in mari; Moyses iussu diuino manum suam ad mare extendit; & ecce montes illi aquarum, qui anteà instar murorum vtrimque solidi steterant, cœpere liquescere, & quasi subductis repagulis deuolui, immenso cum fragore in consuetum alueum ruentes. quo audito, Ægyptij perterriti parant fugere, sed mox aquis validè confluentibus & collisis, vndique inuoluti obrutique sunt, adeò vt ne vnus quidem euadere potuerit, qui tantæ cladis in Ægyptum perferret nuncium. *Interitus Aegyptiorũ.*

47 Tot plagis, inquit Philo, Ægyptiorum obstinata peruicacia castigata & punita est, quarum tamen nulla Hebræos, quamuis in eisdem oppidis, vicis, domibus commorantes, attigit; terra, aqua, aëre, igne, præcipuis naturæ partibus consPirantibus, vt impossibile esset effugere. quod maximè mirum fuit, ab iisdem rebus vno eodemque loco ac tempore alios seruari, alios interimi. Fluuius versus erat in sanguinem, at non Hebræis: his enim haurientibus, fiebat potabilis. Ranæ ex aquis in terram subrepentes, fora, villas, domos impleuerant; solos Hebræos deuitabant, ac si scirent discernere qui puniendi essent, qui minimè. Non sciniphes, non cœnomyiæ, non locustæ, quæ arboribus, satis, animalibus, hominibus vastitatem intulerunt, ad hos aduolarunt: non imbrium, grandinum, fulminum continuata vis ad hos vsque peruenit. Exulcerationem molestissimam ne in somnis quidem senserunt; cùm densissimæ tenebræ offunderentur aliis, ipsi in diurna puraque luce degebant; cùm interirent Ægyptiorum primogeniti, nemo Hebræus periit: & meritò, quandò ne pecudum quidem pestis ad horum greges vlla venerunt contagia. Nec aliud videri poterant illo tempore quàm spectatores alienarum calamitatum, ex quibus vtilissimam pietatis doctrinam perciperent. Numquam enim tam manifestum bonorum & malorum iudicium extitit, alteris exitium, alteris salutem adferens. Ita Philo.

48 Hæc breuiter de plagis Ægyptiorum dicta sint; in quibus Deus mirificè suam potentiam & iustitiam multa tamen clementia temperatam, declarauit: sensim enim eos afflixit, concessis inter afflictiones induciis ad respirandum, & flagello subinde variato & adaucto, vt perspecta eius admirabili potestate, qua tot ei suppe- Sap. 12, 20.

tunt castigandi formæ & genera pœnarum, Numinis ipsius timorem conciperent. Ex illis enim liquet, quomodo omnia elementa, atque adeò omnis creatura eius nutibus ad vindictam impiorum, & ad iustorum solatium deseruiat; nihilque tam vile aut imbecillum in rebus existere, quo non possit humanam superbiam & potentiam domare. Denique Ægyptus typum gerit mundi, Ægyptij impiorum, Pharao Antichristi, Moyses Christi, Israëlitæ iustorum: plagæ illæ decem designant plagas futuras tempore nouissimo, quibus mundus affligetur: demersio Ægyptiorum in mari, demersionem impiorum in infernum: transitus Israëlitarum in terram promissionis, transitum iustorum in cælum.

Ad hoc genus extraordinariæ vindictæ referenda sunt infinita 49
alia exempla, tum publica tum priuata, quibus Deus modis inusitatis supra communem rerum cursum peccata mortalium omnibus sæculis castigauit: vt cùm exercitum Sennacherib centum
Isa. 37. 4. Reg. 19. octoginta quinque millium hominum vna nocte per Angelum in-
Iosue 12. terfecit; cùm tot gentes Chananæorum & tam innumerabilem populum cum vxoribus & paruulis internecione deleuit; cùm maxi-
1. Reg. 5. mas clades Asdotiis & quatuor aliis Philistinorum oppidis propter detentam Arcam intulit; cùm quinquaginta millia plebis vrbis
1. Reg. 6. Bethsames simul percussit, quòd ausi fuissent vel oculos in Arcam
2. Reg. 24. coniicere; cùm sub Dauide ob numeratum populum septuaginta millia hominum triduo peste sustulit. Denique, nullum est sæculum quo non aliqua in omnibus pænè regnis huiusmodi publica exempla cernantur diuinæ seueritatis. Priuata verò, quibus aliqui seorsim horrendis modis cum sempiterno animi interitu sunt diuinitus puniti, innumera extitere, & quotidie pænè variis locis noua succedunt.

CAPVT IX.

De quinto opere Iustitiæ diuinæ.

Quintum specimen diuinæ iustitiæ in castigationibus ordinariis.

QVINTVM diuinæ iustitiæ specimen elucet in ordinariis & quo- 50
tidianis castigationibus, quæ secundùm communem rerum cursum à diuina prouidentia directum inferuntur; nimirum peste, fame, bello, latrociniis, ferarum & noxiarum bestiolarum populationibus, ventorum procellis, aquarum eluuionibus, terræ motibus, imbribus, siccitatibus, incendiis, naufragiis, aliisque modis plu-

plurimis. Plenus est mundus calamitatibus per istas causas irrogatis, quas à manu diuinę iustitiæ prouenire putandum est. Isa. 45. *Ego Dominus, & non est alius, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* vbi *malum* vocat omnem calamitatem & afflictionem. Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* quasi dicat, Minimè, vnde scitote, omnem afflictionem quæ vobis obuenerit, esse à Deo, qui vestra peccata castigat. Et quidem quòd bellorum clades diuinæ sint imputandæ iustitię, docet passim Scriptura: hoc enim flagello Deus Iudæorum peccata plerumque vindicauit, vsus ad hoc opera Regum vel populorum vicinorum, vel Assyriorum, vel Chaldæorum, vel Ægyptiorum, vel Romanorum, per quos extremis cladibus sæpè affecti fuere. Sic decem tribus postquã à Regibus Syriæ multis calamitatibus attritæ fuissent, & nihilominùs in sua prauitate perstiterent, tandem iusto Dei iudicio ab Assyriis penitus sunt excisæ, omnibus vel interfectis, vel in perpetuam seruitutem abductis. Sic tribus Iuda & Beniamin, quæ solæ ex duodecim supererant, à Chaldæis posteà vastatæ sunt, & in Chaldæam translatæ, vbi septuaginta annis duram seruitutem pertulere. Qua pœna pro præteritis peccatis depensa, Dei beneficio liberi in patriam sunt remissi, & rursus in magnum populum & regnum creuere, opibus & deliciis affluentes. Verùm cùm rursus se peccatis dedidissent, nihil nisi terrena sapientes; & cælestem Messiæ doctrinam aspernati, ipsum discipulosque eius interemissent; tandem traditi sunt Romanis excidendi. Quantis autem calamitatibus per multos annos ab illis fuerint affecti, vix animo comprehendi potest. Cùm enim extra Iudæam plurimis locis habitarent, vbique expositi fuere furori populari, vbique cædebantur impunè, spoliabantur bonis, impetebantur sordibus & saxis, omnibus exosi, omnibus ludibrio; nec quemquam capiebat eorum miseratio. In ipsa verò Iudæa affligebantur à Præfectis & milite Romano, qui maximas illis clades inferebant. Cumque huiusmodi miserias longo tempore variis locis essent perpessi, tandem obsessa est Ierosolyma: quo tempore vastati agri, abacta pecora, exustæ villæ, inuecta fames grauissima dirâ peste comitata, adeò vt & domus & plateæ cadaueribus replerentur, deficientibus viuis ad officium sepulturæ. Flos iuuentutis variis dimicationibus concisus, virgines & matronæ militari licentiæ expositæ: denique ferro & flamma vastata omnia, tot palatiis & augustissimo templo solo æquatis, & ciuibus qui supererant cum vxoribus & liberis vel in-

Per bella castigantur à Deo.

Philo in Flaccum, & in legatione ad Caium.

terfectis vario mortis genere, vel in seruitutem morte acerbiorem abreptis, vel sub hasta venditis, vel ad triumphum & spectacula reseruatis. In sola vrbe Ierosolyma per tempus obsidionis mortui aut cæsi decies centena millia, capti nonaginta septem millia. Omitto numerum eorum qui anteà variis locis vel per tumultum popularem, vel per Romanorum Præfectos interempti. Porrò, sicut Iudæos propter sua peccata bellorum calamitatibus afflixit, ita etiã Ægyptios, Tyrios, Idumæos, Moabitas, Syros, Assyrios, Chaldæos, vt clarissimè Scriptura docet; vt hinc intelligamus, omnia bella, omnesque seditiones nihil esse aliud quàm iræ diuinæ flagella: opibus enim & deliciis, quas longa pax & prosperitas adducit, mens humana corrumpitur, & diuini Numinis oblita, in omnem vitiorum turpitudinem diffluit. Itaque Deus bellum immittit, cuius acerbitate & præterita peccata castigentur, & futuris fomenta subtrahantur, & Dei notitia ac timor mortalibus inseratur, vt ad ipsum confugere, vitamque emendare compellantur. Denique hac ratione quoque impeditur ne numerus impiorum inualescat: nam cùm longa prosperitate genus humanum excrescat vltra modum, & veluti arbor in opimo solo, inutilium & impiorum hominum multitudine tamquam frondibus & stolonibus luxuriet, Deus hac falce bellorum, vt peritus frondator, noxiam fruticum siluam resecat, frondemque inutilem distringit, luxurie castigata; vt quod superest, non opprimatur, sed iniquo liberatum onere idoneum fructum proferat. In hunc finem excitauit subinde magna quædam Imperia & Monarchias, quæ sine maximis bellis & gentium cladibus nec constitui poterant, nec conseruari; vt Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum. Quæ tamen ipsa rursus propter peccata tum Principum qui ea tenebant, tum populorum quibus ea constabant, deleta sunt. Assyriorum enim euersum est à Persis, Persarum à Græcis, Græcorum à Romanis, Romanorum (excepta portiuncula quæ superest) partim à Barbaris, partim à subditis sese in libertatem vindicantibus. Cùm enim aliqua Monarchia diu continuatur, qui præsunt, nimium attollunt animos, intoleranda superbia suum statum & potentiam non diuinæ prouidentiæ, sed suæ & maiorum suorum prudentiæ & virtuti assignantes. Vnde in omnem licentiam effusi, pro sua libidine, tamquam nemini rationem reddituri, gerunt omnia. Populi quoque subiecti, longa pace corrupti, peccata peccatis accumulant. Itaque Deus vult Monarchiã in vna natione non esse perpetuam, sed

Isaias à c. 13. vsque ad 25. item c. 45. & 46. Ierem. c. 46. & segq. Ezech. c. 25. & segq. Amos. Nahum.

Monarchiæ ad puniendа peccata. Dan. 7. Zachar. 6.

52

sed subinde mutari, & ex vna in aliam transferri. Quo fit vt quædam gentes olim bellicosissimæ, & quæ bonam orbis partem subegerunt, iam sint imbelles, & aliis prædæ expositæ; vt intelligant, non sua virtute, sed diuina ordinatione se aliquando magnum Imperium tenuisse.

53 Porrò, sicut bellorum cladibus Deus humanum genus castigat, & effusam eius luxuriem compescit; ita etiam, fame, incendiis, naufragiis, & aliis modis his similibus; sed maximè peste, qua breui tempore interdum oppida & Regna ita exhaurit, vt vix quarta pars hominum supersit. Salutaris omnino falx, ad superfluam & noxiam frondem ac fruticem resecandam. Manifestius autem istæ plagæ à diuina prouidentia inferuntur, quàm bellorum clades: Deus enim ista flagella directè potest velle, & per se immittere, quia per causas naturales absque culpa interuentu inferri possunt. Bella autem pleraque, nimirum quæ iniustè suscipiuntur, etsi absque peculiari diuinæ prouidentiæ permissu non gerantur, non tamen directè à Deo sunt volita aut decreta, sed permissa tantùm in vindictam peccatorum. Omnes enim dæmones & impij Reges sunt veluti feri quidam leones, parati genus humanum perdere, vel suæ tyrannidi subiicere. Verùm ita virtute diuina continentur, vt nihil nocumenti cuiquam inferri possint nisi Deo annuente, & veluti habenas quibus coërcentur remittente. Cùm ergo Deus aliquod Regnum propter peccata vult punire, vim illorum compressam relaxat quantum & quàm diu ipsi videtur, sinitque illos veluti turbines quosdam Regnum illud inuadere, eique bellum inferre; & simul illud Regnum pristina protectione destituit, vt se tueri non valeat. Cùm autem satis pœnarum dederit, rursus habenas sensim contrahit, & vim aduersariam magis magisque coërcet, & simul protectionis suæ dexteram ad illud Regnum extendit, res omnes ita disponens, vt calamitas finem capiat, & pax desiderata subsequatur. Huius rei apertissima exempla habemus in Scripturis, præsertim in libris Iudicum, Regum, & Paralipomenon: denique pleni sunt libri Prophetarum, hunc esse diuinæ iustitiæ morem.

Per alias calamitates.

Aliter bella, aliter aliæ clades à Deo.

Quo modo Deus vtatur impijs ad punitionem aliorum permissiuè.

CAPVT X.

Res humanas ministerio spirituum regi.

VERVM vt meliùs hæc percipiantur, considerandum est, vt res humanæ à diuina prouidentia ministerio Angelico regantur? Rectus enim ordo habet, vt inferiora à superioribus administrentur, vt hoc modo nexu quodam inter se gradus rerum sint deuincti, & inferiora quamdam superiorum participationem consequantur. Sic elementa & rerum ortus cælestium corporum motu, & mentes humanæ à mentibus Angelicis gubernantur. Hæ regnis & populis præsunt, eosque conseruant, & à multis tuentur incommodis. Hæ diaboli vires comprimunt, insidias & machinationes quibus homines perdere nititur, auertunt, sana consilia suggerunt, animos adspirant, timores excutiunt. Denique omnia ita temperant, vt inter tot insidias, inter tot hostium visibilium & inuisibilium pericula, inter tot calamitatum causas quibus natura humana vndique cincta est, & interiùs exteriùsque obsessa, possint homines, si velint, rectè viuere, & ad salutem æternam adspirare. Verùm, cùm ipsi diuinis beneficiis, quibus omnes fruuntur, ingrati, à lege diuina rectæque rationis norma recedunt, Numinisque obliti, ad omnem vitiorum turpitudinem se prostituunt, merentur hoc beneficio Angelicæ protectionis destitui. Itaque diuinæ iustitiæ decreto confestim hæc protectio subtrahitur, & diabolo, qui antè veluti ligatus erat, vires relaxantur ad vindictam, nimirum vt per sua membra, hoc est per impios Principes vel hæreticos, bella aduersus illud regnum moueat, aut seditiones concitet, & præsidia quibus illud se tueri potuisset euertat, magnamque in eo confusionem rerum inducat: quo fit vt illud regnum fiat imbecillum, sine animo, sine consilio, sine viribus, sine idoneis Ducibus, sine successu, & ita implicetur difficultatibus, tum externis tum domesticis, vt non possit se euoluere. Si quid boni consilij ab aliquo suggeritur, ab alio captiosis ratiunculis euertitur, neque qui præsunt tantum luminis habent vt inter noxia & salutaria possint discernere. Si qua occasio rei benè gerendæ se offert, ea vel non aduertitur, vel exigui sumptus causa negligitur, vel nescitur quomodo ea sit vtendum. Pericula impendentia non præuidentur, vel vana spe aliqua, aut fallaci persuasione parui penduntur. Irrepunt proditores, qui statum rerum & secreta pandant hostibus.

54

4. Reg. 6, 17. Dan. 10. Gen. 48. Tob. 12. Psalm. 90. Hebr. 1. Matth. 18.

Propter peccata subtrahitur hæc protectio.

Dæmoni laxantur habena.

Effectus qui Angelica protectione subtracta sequuntur in Regno.

Inter

Inter Proceres odia suscitantur & inimicitiæ priuatæ, quibus vt indulgeant, alter alterius conatus & successus etiam cum damno publico studet impedire. Ærarium impensis parum necessariis absumitur; nascuntur seditiones militares, quibus posteaquam prouincia est vastata, & vires hostiles adauctæ, infinita vis pecuniæ, qua bellum geri poterat, est profundenda, vt damna inferre desinant. Denique, dum omnes suis student commodis, nec cuiquam bonum publicum est cordi, omnia ad extremam vergunt perniciem. Exempla huius rei habemus plurima. Legatur Iosephus De bello Iudaico, & Historiæ Imperij Orientalis.

55 Econtrariò hostibus etsi longè magis impiis & sceleratis, per quos Regnum istud est puniendum, omnia feliciter succedunt; crescit animus, augentur vires, opportuna capiunt consilia, occasionibus vti norunt, euentus habent felices; magna inter Primores concordia, nemo alterum nititur euertere, nemo publicam causam priuatis miscet odiis; denique ita succedunt omnia, ac si Deum suæ causæ fautorem ac directorem haberent, cùm tamen eorum causa sit iniusta, & intentio impia, & nihil minùs quàm Deum cordi habeant. Vnde, quæso, tantum discrimen, nisi quia Regnum quod propter sua peccata est castigandum, Angelico patrocinio, quo anteà protegebatur & regebatur, nunc destituitur, & suis dumtaxat viribus consiliisque relinquitur? Hostes verò iuuantur à dæmonibus, quibus propter illius Regni peccata vires laxatæ. Ab his tamquam ducibus diriguntur & animantur; & res prouinciæ quæ castiganda est, turbantur, ac variis difficultatibus implicantur. Maximam vim habet in bellis Ducum peritia & industria, adeò vt totus ferè successus & victoria vniuersa hinc pendeat. Vulgò dicimus, meliorem esse exercitum ceruorum duce leone, quàm leonum duce ceruo. Si tantum potest vnius Ducis industria, quantum poterunt tot dæmones, qui rerum bellicarum sunt peritissimi, quibus facile est suis copiis consilia suggerere, timorem adimere, animos excitare, occasiones ostendere, obstacula remouere, & econtrariò in copiis aduersis consilia perturbare, metum iniicere, occasiones præcindere, discordias excitare, proditores inserere. Miris enim modis possunt vim phantasticam mouere, à qua omnes humani affectus, omnesque perturbationes, timores, animositates, insuper consilia & actiones dependent. Itaque populus puniendus, est instar ouium sine pastore, militum sine Duce, & veluti corpus sine sanguine, sine spiritu, sine vigore, sine anima: desti-

Cur hostibus omnia succedant ex voto.

Dæmonibus permittitur vt sint duces impiorum.

destituti enim sunt spirituum superiorum assistentia & gubernatione. Qui verò puniturì sunt, pleni sunt vigoris & animorum, instructi auxilio spiritalis nequitiæ, cuius præsentia animantur, reguntur, & aguntur. Hinc facilè aduersarios vincunt, & omnia in suam potestatem redigunt, non tam sua virtute, quàm Ducum suorum inuisibilium ope, quibus id Deus permisit ad illius Regni castigationem. Hoc pacto maximæ Monarchiæ exortæ; hoc modo Assyrij, & Persæ, & Alexander Magnus, & Iulius Cæsar, & VVandali, & Gothi, & Longobardi, & Turcæ, & Tamerlanes, in tantam creuere potentiam; alij celeriùs, alij lentiùs, Deo id permittente ad mortalium castigationem. Neque enim credibile est, illos impios aliter fuisse à Deo adiutos quàm permissione, qua diabolo vires laxatæ; & protectionis Angelicæ subtractione. Hæ enim duæ causæ abundè sufficiunt. Nam illa permissio sufficit ad illos reddendos fortes, & hæc subtractio ad alios reddendos infirmos, vt ex dictis constat.

Potentia piorum Cade crescat.

Porrò sicut Imperium & potentia impiorum crescit malorum spirituum ope, ita cultorum Dei potentia bonorum spirituum auxilio sæpè creuit, & maximos successus habuit. Sic enim filij Israel tot gentes deleuerunt, & earum Regna obtinuere. Sic Dauid & Machabæi tot & tam mirabiles victorias cæsis hostibus reportarunt: sic Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus, Carolus Martellus, multique alij Christiani Principes mirabiliter hostes superarunt, & maximos exercitus conciderunt, paucis è suis desideratis. Hæc enim non sine Numinis ope contigisse res ipsa per se fidem facit, & Historiæ testantur. Comprimebatur diaboli potentia, vt minùs posset aduersarios iuuare, & res Christianorum perturbare; & ex altera parte augebatur Angelica protectio & opitulatio, qua Christianis & bona consilia, & audaces animi inspirabantur, & cetera ad rem benè gerendam opportuna disponebantur: hostibus verò iniiciebatur metus, eripiebantur sana consilia, intercipiebantur occasiones & alia præsidia boni successus. Quòd autem hæc rariùs nostro sæculo contingant, in causa sunt Christianorum peccata: ex his enim quasi lege naturali iustitiæ sequitur, vt protectio & gubernatio diuina, quæ ministerio Angelorum ipsis impendi cõsueuerat, minuatur; & sensim magis magisque crescente peccatorum cumulo, subtrahatur. cui subtractioni simul coniunctum est, vt vires ad nocendum relaxentur diabolo, quem suæ passionis merito Dominus ligauerat ne Ecclesiam iret perditum.

Peccata Christianorum sunt causa imbecillitatis.

56

Ex

Ex quibus iam necessariò sequitur, vt impiorum potentia diabolico fulta præsidio crescat, & Christianos sensim subiiciat, Religionemque labefactet, & multis locis extinguat.

57 Verendum omnino ne pauca illa quæ Ecclesiæ supersunt, etiam ab impiis occupentur. Sæculo currente quintodecimo, amisimus Imperium Orientis, in quo tot insulæ & insignes prouinciæ, omnibus in potestatem Turcarum redactis. Sæculo sextodecimo maxima pars Septemtrionis, in qua multa Regna & vrbes nobilissimę, nobis periit, hæresi occupante omnia; cuius contagio non parum ceteræ quoque Christiani orbis prouinciæ, paucis exceptis, inquinatæ sunt. Adeò hæc pestis inualuit & crescit indies, vt nisi diuina bonitas suâ prouidentiâ illam stiterit, velut flamma hoc sæculo decimoseptimo videatur peruasura omnia. Crescente enim indies peccatorum mensura, crescit quoque diaboli & impiorum potentia, & minuitur Christiano orbi protectio diuina: & per ipsa peccata animi hominum ad hæresim & atheismum disponuntur. Itaque facile est diabolo, partim potentia & successibus suorum, partim artificio & fraudibus exteriùs per suos ministros adulterando verbum Dei, interiùs per seipsum perturtendo phantasiam, mentes mortalium licentiæ carnali deditas ad illud barathrum pertrahere. Sicut enim arida stipula facilè concipit admotum ignem, ita mens humana carni addicta, & cælesti protectione destituta, facilè corripit propositam hæreseos doctrinam. 56

Ex his perspicuum est, quomodo Deus peccata hominum per bella vindicet, & quomodo per impios castiget suos cultores, olim Iudæos, modò Christianos. Item, cur impiorum plerumque potentia sit maior quàm eorum qui Deum colunt, & hi ab illis opprimantur: hæc enim omnia ad inuisibilium potestatum gubernationem, opitulationem, vel desertionem referenda esse, innumeris Scripturis & exemplis ostendi potest (de quibus alibi opportunior erit locus dicendi) diuina iustitia, mediantibus decretis & permissionibus, propter hominum peccata sic statuente.

CAPVT XI.

De mensura peccatorum quæ vindictam antecedit.

58 NVNC considerandum est, quando Deus vindictam inferre soleat: non enim commisso peccato statim punire consueuit; alioquin iam pridem exhaustum esset genus humanum, & paucis-

simi salutem consequerentur. Differt itaque sæpè in longum tempus, vt pœnitentiam agant, & supplicium impendens auertant. Imò multis in hac vita grauem aliquam afflictionem non immittit, etsi sceleribus infinitis ipsum offenderint, sed totum reseruat in futurum, finens illos interea thesaurizare sibi iram in diem iræ. Breuis enim admodum est vita humana, ac proinde vltio non potest multùm differri. Verùm Regna, prouinciæ, vrbes, & magni hominum conuentus (ob assiduam eorum qui gignuntur & morientibus substituuntur accessionem) non intercidunt, sed plurimis sæculis perseuerant. Itaque consentaneum est diuinæ iustitiæ, vt subinde peccatis eorum valdè excrescentibus, in hac vita communi aliquo calamitatum flagello castigentur; tum ne nimis diuturna impunitate, peccandi licentia in immensum augeatur, & ad alias quoque nationes horum exemplo serpat; tum vt omnibus timor diuini Numinis, ac cura vitæ emendandæ iniiciatur.

Cur Deus non statim inferat vindictam.

Rom. 1.

Certa mensura peccatorum Regnis puniendis constituta.

Constituit itaque diuina iustitia singulis Regnis & Prouinciis 59
certam quamdam mensuram certo peccatorum numero & grauitate definitam, quam vbi peccando impleuerint, grauem aliquam vindictam generatim infert, siue bello, siue peste, siue fame, siue aliis modis, vno vel pluribus, prout ipsi placuerit, & peccatorum magnitudo postulauerit. Colligimus hoc ex Scripturis. Genesis 15. *Generatione quarta reuertentur huc, nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum:* nimirum vt exscindatur, & semen tuum eorum regionem obtineat. Hoc enim factum est post quadringentos annos, tunc enim & illorum & ceterarum gentium Chanaan completa est mensura iniquitatis, & Israëlitis traditi sunt vastandi. Matth. 23. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* quasi dicat, Illi occiderunt Prophetas quos Deus ad eos mittebat, & sic magnum impietatis cumulum sibi struxerunt: vos occidite (per concessionem dictum intellige) Dominum Prophetarum, vt mensuram eorum impleatis, qua impleta sequetur vindicta, per quam & illorum & vestra impietas puniatur. Hoc insinuant illa verba sequentia, *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Sanguis iustus*, hoc est, pœna & supplicium pro effusione sanguinis iustorum, nempe Prophetarum quos ipsi vel patres eorum occiderant. Sic cùm esset impleta mensura quæ decreto diuinæ iustitiæ primæuo mundo erat constituta, inductum est diluuium; quod significat Scriptura Genesis

nesis 6. cùm ait: *Cumq; vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram;) dixit ad Noë: Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Ideò nimirum venit *finis* & excidium primi orbis, quia mensura eius impleta erat; quæ mensura sita erat in vniuersali omnium (exceptis pauciſſimis) corruptione per omnia vitiorum genera, maximè per libidines, crudelitatem, superbiam, & (vt valdè credibile est) per idololatriam. Similiter finis & excidium generale secundi orbis erit, quando mensura impietatis eius erit impleta; quæ consistet in vniuersali corruptione (si pusillum fidelium gregem, qui tunc reperietur, excipias) per eadem vitia, sed maximè per hæreses, atheismum & Numinis contemptum. Sic impletâ mensurâ Sodomorum & Gomorrhæorum, Dominus eos deleuit; quod significatur illis verbis Geneſis 18. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam & videbo vtrùm clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam.* Grauia peccata vindictam clamant, quæ dum multiplicantur, crescit clamor, tandemque fit intolerabilis auribus diuinæ iustitiæ, nempe quando ad eam mensuram peruenerunt, vltra quam Deus noluit amplius sibi tolerandum ab æterno statuit. Sæpè tamen etiam completâ mensurâ non statim ad vindictam prorumpit, sed lentè procedit, tamquam inuitus pœnam irroget, præsertim quando de extremo exitio agitur. Quod insinuant ea verba, *Descendam, & videbo*, &c. quibus etiam instruit Iudices, grauia crimina quæ fama defert, non esse statim credenda, nec vindicanda, nisi rei veritate benè explorata; vt pulchrè docet S. Gregorius lib. 19. Moralium cap. 23. Denique hæc mensura indicatur omnibus illis Scripturæ locis, quibus prædicitur instare excidium alicuius nationis: vt cùm dicitur onus Babylonis, onus Moab, onus Damasci, onus Ægypti, onus Tyri, & similia, quibus pleni sunt Prophetarum libri.

60 Quæ autem cuique Regno vel Prouinciæ mensura constituta sit, latet in inscrutabili diuinorum iudiciorum abyssо, neque alicui creaturæ nisi per reuelationem innotescere potest: nulla enim est certa lex aut regula, vnde id possit coniici. Supremus ille orbis moderator pro suo arbitrio statuit, vsque ad quem gradum & quamdiu peccata cuiusque nationis sint toleranda; quando & quomodo vindicanda. Et quidem plerumque minùs tolerat pec- *Variis Regnis & populis varia mensura.*

Fidelium peccata minùs tolerat, quàm infidelium.

cata fidelium quàm infidelium. Primò, Quia fidelium peccata plerumque sunt grauiora, partim ob maiorem diuinæ voluntatis, futuræque mercedis & vindictæ cognitionem; partim ob maiorem in Deum ingratitudinem. Secundò, Quia castigatio fidelium non est ad perditionem, sed ad emendationem & salutem. Plurimi enim per huiusmodi communes afflictiones à peccatis & æterno exitio in quod ruebant auocantur, & salutem assequuntur, qui alioquin in prosperitate erant perituri. Vnde potiùs est paterna correptio, quàm iudicialis punitio, & κόλασις potiùs quàm τιμωρία, iuxta Aristotelis doctrinam. At infidelium castigatio magis tendit ad perditionem. etsi enim Deus illam irroget vt vitam emendent; tamen, cùm vera fide sint destituti, non norunt ea vti ad salutem: itaque parum illis adfert commodi. Tertiò, Quia cùm ipsi post hanc vitam æternæ pœnæ sint plectendi, Deus sinit illos diutiùs frui huius vitæ commodis, & magis cum illis, quàm cum fidelibus dissimulat; præsertim si omnem honestatem & pudorem penitus non abiecerint. Denique infideles & hæretici sunt plerumque instrumenta quibus Deus fideles castigat: vnde tolerat illos etiam in hunc finem, & permittit crescere in magnam potentiam. Habent tamen hi quoque suam mensuram & terminum, cùm satis diu fideles afflixerint, & peccata peccatis sine fine, sine metu Numinis, cumulauerint; tunc & ipsis flagellum imminet, quo vel omnes, vel bona pars eorum dispereat. Sic cùm Assyrij & Chaldæi populum Dei & alias nationes sæpiùs afflixissent, tandem & ipsorum Regna cum maxima mortalium strage euersa sunt. Idem VVandalis, Hunnis, Arrianis, & aliis huiusmodi Ecclesiæ flagellis ac pestibus accidit. Idem nostris quoque hæreticis eueniet, qui modò ad castigandam superbiam, iactantiam, luxuriam, acediam, aliaque Catholicorum peccata, adtantam assurgere potentiam permissi sunt. Cùm enim Deus eorum malitia & viribus satis vsus fuerit ad fidelium castigationem, & mensura peccatorum fuerit impleta, etiam exscindentur, & in ignem æternum tamquam palmites præcisi & omnino inutiles proiicientur.

Vide Isaiam à cap. 13. vsque ad 25. Ieremiam cap. 50. & 51 Ezech. c. 38. & 39. & alios.

Ambulat itaque diuinæ iustitiæ flagellum in orbem, & transit 61
de Regno ad Regnum, prout cuiusque mensura completur, nec vmquam ferè à peccatorum vltione conquiescit. Nullum enim est tempus, quo non in aliquo populo aut prouincia grassetur & sæuiat. Vnde Psalm. 74. *Dixi iniquis: Nolite iniquè agere; & delinquentibus: Nolite exaltare cornu: nolite extollere in altum cornu vestrum;*

ſtrum; nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem: quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſertis montibus (tibi expectandum auxilium) *quoniam Deus iudex eſt. hunc humiliat, & hunc exaltat; quia calix in manu Domini, vini meri plenus mixto: & inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Calix iſte* eſt flagellum diuinæ iuſtitiæ, quod cuique infligitur cùm menſura peccatorum eius impleta fuerit. Sicut enim calix plenus fortiſſimo vino, non diluto, ſed multis rebus calidiſſimis & venenis mixto, grauiſſimos viſceribus & capiti dolores adfert: ita calix iræ Dei omne genus calamitatis continens, acerrimos cruciatus excitabit. Hunc *calicem* nunc huic genti, nunc illi inclinat, & volentes nolentes bibere cogit ad ſatietatem & vomitum. Verùm fæx & ſedimentum reſeruatur in finem, quia calix æternæ damnationis, quem omnes peccatores vltimò haurient, erit omnium acerbiſſimus.

Vide pulcherrimum locũ Ieremiæ 25. à verſu 15. vſque ad 30.

62 Ad menſuram peccatorum cuiuſque Regni, primò & maximè pertinent peccata communitatis, in quæ nimirum ipſa Reſpublica, vt corpus quoddam politicum, conſentit: hæc enim propriè ſunt peccata ipſius corporis; vt cùm Reſpublica conſentit in admiſſionem hæreſeos, in expulſionem Sacerdotum, in bella iniuſta. Eódem referenda, quæ Principes vel magiſtratus auctoritate publica fulti committunt: hæc enim ipſa Reſpublica, cuius iſti ſunt veluti Commiſſarij aut Officiales auctoritatem à Repub. habentes, committere cenſetur. Deinde quæ paſſim ab omnibus, vel ſaltem à maiore populi parte impunè committuntur. Quod enim à maiore parte Reipub. agitur, ab ipſa Repub. fieri cenſetur, etiamſi à ſingulis ſeorſim, & non vt conſtituunt vnum corpus, fiat, vt cùm populus maiori ex parte deditus eſt ebrietati, libidini, lucris iniuſtis, cùm parum curat res ſacras, & quæ ad ſalutem animæ pertinent, terrenis totus immerſus. Denique etiam, peccata cuiuſque in particulari aliquo modo ad hanc menſuram referuntur. Sicut enim quiſque eſt membrum Reipublicæ, & coniunctus cum aliis conſtituit ipſum corpus Reipublicæ; ita peccata cuiuſque priuati pertinent ad communem cumulum, eumque, aliorum peccatis

Quæ peccata ad mẽſuram hanc pertineant.

63 coniuncta, conſtituunt & augent. Hinc fit vt interdum propter vnius peccatum totus populus puniatur, nimirum cùm alicuius peccatum menſuram communitatis explet. Sicut enim in numeris quælibet ſpecies accedente vnitate vltima conſtituitur, ita quælibet peccatorum menſura à Deo definita vltimo aliquo pec-

Vnius peccatum interdũ menſuram implet communitatis.

cato veluti termino intrinseco completur. Sic propter peccatum Dauidis populum numerari iubenti, punitus fuit vniuersus Israël
2. Reg. 24. à Dan vsque Bersabee, occisis peste intra triduum septuaginta millibus hominum. Et propter peccatum Achan, qui contra præ-
Iosue 7. ceptum diuinum aliquid de anathemate vsurparat, punitus fuit exercitus, & in fugam actus, cæsis triginta sex viris: nec potuisset exercitus iste quidquam in posterum efficere, aut hostibus suis resistere, nisi auctor facinoris sublatus fuisset, vt ibidem habetur. In huiusmodi tamen euentis, non solùm illud peccatum vltimum illius hominis; sed etiam præcedentia tum eiusdem, tum aliorum illius populi punita fuere. Non enim ob solum peccatum Dauidis Deus tot millia hominum sustulit; sed per hanc cladem, etiam populi peccata vindicata fuere, quæ iam ita accumulata erant, vt vindictam celerem mererentur. Permisit itaque Deus Dauidem incidere in istud peccatum superbiæ, quo mensura Israëlis erat implenda,
2. Reg. 24. & vindicta irroganda. Significat id Scriptura cùm ait: *Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commouitq;* (commoueri permisit à diabolo) *Dauid in eis dicentem: Vade, numera Israel & Iudam.* Sæpè enim Dominus propter peccata populi permittit flagitia Principum, quibus vel tyrannicè populus ipse gubernatur, vel in bella & seditiones coniicitur, vel mensura peccatorum eius impletur, vt
Iob 34. vltio diuina subsequatur. Pari modo *propter peccata populi facit*
Isaiæ 4. *regnare hominem hypocritam*; & dat Principes insipientes, imbelles, effeminatos, qui nec sciant, nec possint populum regere, vel aduersus hostes tueri. Exempla plurima habemus in Scripturis, & Historiis humanis.

Ex his perspicuum est, qua ratione non sit iniquum, totam mul- 64
titudinem propter vnius peccatum puniri. Non enim hæc ita ob vnius peccatum plectitur, quasi ipsa per se (saltem pro maiori parte) tali pœna ratione suorum peccatorum digna non sit, (id enim nosti esset diuinæ iustitiæ consentaneum;) sed quia vnius peccatum (nimirum quo communis mensura impletur) est causa cur hoc tempore potiùs quàm alio, pœna communitati debita irrogetur, & non in aliud tempus differatur. Sæpè tamen fit vt aliqui in ea communitate tali supplicio per se non sint digni, qui tamen communi malo propter coniunctionem vitæ & habitationis inuoluuntur. Sicut enim in corpore naturali membrum quodlibet est particeps commodorum & incommodorum ipsius corporis; ita in corpore politico quodlibet membrum, etiamsi causam cum aliis

non

non dederit, communis prosperitatis & calamitatis est consors. Neque aliter iuxta ordinatissimam rerum legem fieri potest, ob commorationem iustorum cum iniquis, quibus sunt permixti, & in quorum medio degunt. Itaque respectu talium, illa afflictio non tam est pœna, qua eorum peccata vindicentur, quàm exercitatio virtutis & patientiæ ad maiorem gloriam. Nemo tamen facilè in animum inducat, se talem afflictionem non esse commeritum: hoc enim est quod Dominus grauiter in S. Iob reprehendit, qui tantam se calamitatem non commeruisse contendebat. Nemo enim animi sui statum, vtrùm amore an odio dignus sit, plenè nouit: nemo peccatorum pondera & mensuras, quantumque pœnarum respondeat singulis, cognoscit. *Delicta*, inquit Propheta, *quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Quamuis enim Deus hanc calamitatem non immittat tibi ad peccatorum vindictam, sed ad patientiæ probationem; non tamen hinc efficitur, te illam non esse promeritum, aut Deum non potuisse illam iustè pro peccatis tuis irrogare. nam etiam quædam venialia ad hoc sufficiunt. Si enim post hanc vitam nonnulla venialia grauissimis & diuturnis purgatorij ignis suppliciis iustè puniuntur, cur non in hac vita quibusuis calamitatibus, quæ pœnis purgatorij longè sunt mitiores, vindicari ppssint? Psal. 18.

65 Hoc quoque dignissimum est consideratione, quòd quò plures sunt impij homines in aliqua Repub. Christiana qui impunè peccant, eò celeriùs impletur mensura, & grauior velociorque illi expectanda vindicta: hi enim maledictionem sibi debitam secum ad Rempub. cuius sunt membra, deferunt, eiusque illam faciunt participem. Deinde, sicut Princeps aliquis non potest benè affici erga ciuitatem quæ propter aliquod lucellum recipit & iuuat eius hostes, qui ipsum contumelia afficiunt: ita Deus omnium Princeps & Dominus non potest amare Rempub. quę solius commodi temporalis causa, nulla habita ratione iniuriarum quæ ipsi inferuntur, aut periculi contagionis quod ciuibus impendet, hostes ipsius admittit & fouet. Itaque multas & graues calamitates non solùm spiritales, sed etiam temporales illi imminere non est dubitandum. *Cur celeriùs vel tardiùs impleatur mensura.* *Multitudo iniquorum accelerat vindictam.*

66 Econtrariò, quò plures sunt iusti & sancti in Republica, eò tardiùs mensura impletur, & longiùs punitio differtur. Benedictio enim & fauor cælestis qui ipsis debetur, in Rempub. quæ eos fouet redundat; parcitque Deus toti corpori intuitu aliquot nobilium membrorum quæ ipsi chara sunt; & propter aliquot bonos benè *Multitudo iustorum differt vindictam.*

facit

Tres causæ ob quas Deus differt punitionem impiorum intuitu iustorum.

facit plurimis malis. Etsi enim maior pars Reipub. sit praua, & iram celerem mereatur; tamen Deus manum sustinet, & vltionem suspendit: partim ne simul cum impiis iustos, quorum ipsa vita est accepta, tollat è medio: partim iustorum flexus humilitate & deprecatione: denique quia iustorum labore & studio sperandus est fructus, & multorum ex illa iniquorum colluuie conuersio. Confirmari hæc possunt exemplis. Si enim in Sodomis vel decem iusti reperti fuissent, ipsorum gratia Deus toti illi multitudini pepercisset. Si Moyses sæpè Dominum non exorasset, & iram eius in populum accensam auertisset, longè plures & grauiores clades populus in deserto accepisset. Sic in parabola Euangelica precibus & sponsione agricolæ arbor infructuosa & iam succidenda, seruata est in alterum annum. Omitto alia innumera huc pertinentia, quibus declaratur, maxima commoda, etiam temporalia, iustorum causa indignis collata, & maximas calamitates his impendentes auersas. Itaque viri iusti & sancti, veluti columnæ quædam, sua præsentia sustentant Respublicas & Regna, quæ iam olim pondere peccatorum suorũ concidissent, nisi huiusmodi fulcra intra se habuissent. Imò iam pridem mundus periisset, nisi iustorum meritis, orationibus, & expectatione fructus, qui ipsorum opera ex impiis colligendus est, conseruaretur. *Melior est*, & pluris à Deo æstimatur *vnus iustus quàm mille impij*, qui nihil sunt nisi stipula, paleã, zizania, ignis æterni pabulum: nam vt Ecclesiasticus inquit: *Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis.*

Gen. 18, 32. Num. 16. v. 46, 47. Psal. 105. Luc. 13.

Eccli. 16.

Eccli. 21.

Hæc de quinto opere diuinæ iustitiæ sufficiant. Hactenus potissimùm egimus de suppliciis corporalibus, quæ propter peccata Deus in hac vita infligere solet: sequitur vt dicamus aliquid de pœnis spiritalibus.

CAPVT XII.

De sexto Iustitiæ opere, quod est punitio spiritalis, & in primis de subtractione auxilij interioris.

SEXTO cernitur diuina seueritas in punitione spiritali: quæ etsi vulgò non ita æstimetur, quia sensibus non percipitur; tamen longè magis est metuenda quàm omnis afflictio corporalis. Sicut enim bona spiritalia incomparabiliter sunt præstantiora bonis omnibus quæ sub sensum cadunt: ita illorum damna longè pluris sunt æsti- 67

æstimanda, quàm omnia bonorum corporalium detrimenta. Accedit, quòd hæc pœna ad pœnam æternam sit proxima dispositio. Sicut enim salus æterna pendet ex bonis spiritalibus, quæ in hac vita obtinentur; ita miseria æterna sequitur ex horum bonorum inopia & amissione.

Punitio spiritalis sita in quatuor rebus.

Consistit autem hæc pœna spiritalis potissimùm in quatuor malis: Primò, In subtractione gratiæ iustificantis, & totius boni quod hanc gratiam consequitur. Secundò, In subtractione auxilij interni. Tertiò, In subtractione auxilij externi. Quartò, In excæcatione & obduratione. De Primo dicemus infrà cap. 28. & 29. de ceteris dicendum hoc loco. Secundum ergo malum erat, Subtractio auxilij interni ad salutem opportuni. in subtractione etiam imminutionem intelligo: non enim confertim & tota simul fit hæc subtractio, sed sensim, peccatis sensim crescentibus. Cùm homo est iustus, debitum est ei hoc auxilium, & Deus large illi tamquam amico & filio suppeditat, vt commodè possit diuinam hereditatem consequi. Amissa autem iustitia per peccatum, non debetur ei hoc auxilium ampliùs, cùm ius omne ad vitam æternam, ad quam hoc auxilium perducit, amiserit, sitque reus æternæ mortis, & possit statim in barathrum præcipitari. Vnde Deus ordinariè incipit consuetam curam & opem quam anteà ei impendebat, subtrahere: nam iustitiæ ordo postulat, vt non tanta sit ei cura de salute hominis, cùm ipsi post tot beneficia factus est ingratus; inobediens, & inimicus; quanta fuit cùm erat amicus, & obediens filius. Hinc fit vt qui semèl mortifere peccat, sæpè in eo peccato diu maneat, & in idem sæpiùs vel in alia labatur, priusquam resurgat: quia nimirum diuina opitulatio per peccatum est imminuta. Quod etiam magis constabit, si explicuerimus quidnam nomine auxilij interni intelligatur.

Auxilium internum triplex.

68 Tria hoc nomine continentur: *Excitatio*, *Directio*, *Protectio*. *Excitatio* sita est in tribus; in illuminatione mentis; in applicatione phantasiæ ad cogitanda salutaria, vt assiduè animo obuersentur; & in affectione pia voluntatis. Animus humanus etiam in fidelibus & iustis magnas in rebus spiritalibus patitur tenebras, & obscuro confusoque modo eas apprehendit. Itaque vt possit eas sic concipere & informare animo vt affectus moueatur, sæpè opus est inspiratione diuina qua mens illustretur, ad eas congruenti & illustri modo concipiendas. Verùm, non satis est hanc illustrationem semel atque iterùm esse factam; quia mens statim suo pondere ad terrena

Ad Excitationem tria pertinent, illuminatio mentis, applicatio phantasiæ, & affectio voluntatis.

cogitanda deuoluitur. Cùm enim à sensibus functio eius pendeat, solùm ea quæ sub sensum cadunt (quibus natura consueuit) sponte sua cogitat, & intus secum familiariter versat. Hinc fit vt nisi ferè
10 assiduè iuuetur, difficultates in spiritalibus cogitandis & tædia sentiat, nec diu in illis versari possit: sunt enim illa supra eius naturalem captum & consuetudinem. Vnde opus est auxilio quo eius phantasia corroboretur, eleuetur, & applicetur ad ea quæ diuina illustratione rectè cognouit, facilè & congruenter ad affectum imaginanda; vt quasi assiduè menti obuersentur, vel saltem exiguo conatu illa in promptu habeat. Nam affectus noster rebus spiritalibus non mouetur, nisi illæ congruo modo sint apprehensæ: non possunt autem facilè sic apprehendi, nisi diuina illustratione accedente: nec ea apprehensio diu potest durare, nec esse nobis facilis & expedita, nisi adsit diuina operatio, qua phantasia ad hoc applicetur & iuuetur. Hoc auxilio suppeditante, facile est terrena contemnere, & cælestia sectari, & heroïca virtutum opera capessere, vt in Apostolis est videre. Sicut enim qui assiduè terrena animo voluunt, vt honores, opes, voluptates, tamquam res eximias & amabiles ea concipientes & imaginantes, non possunt ea non amare & persequi: ita etiam qui bona spiritalia cognoscunt, & crebrò eorum excellentiam considerant, phantasia ad hoc promptè & facilè obsecundante, non possunt ea non amare, & contemptis terrenis omni studio ambire. Sanè apprehensio & consideratio vilitatis rerum temporalium, & præstantiæ spiritalium, est fons omnis perfectionis; & cui ea est vehemens & quotidiana, is nullam vel exiguam in via spiritali difficultatem sentiet. Amor enim vehemens qui ex tali apprehensione nascitur, facilè omnes difficultates superat, earumque acerbitatem sua dulcedine temperat, vel etiam obruit. Sic econtrario apprehensio illa, qua mens cæca mortalium, res temporales concipit tamquam dulces, magnas, splendidas, amabiles, est causa omnis mali & perditionis. Ex quibus patet quanti hæc excitatio sit momenti, cùm tota ferè perfectio, & omnis profectus spiritalis hinc pendeat. Sicut enim Protectio tuetur nos à peccatis, ita Excitatio promouet in bono, & adducit ad perfectionem.

Directio. Alterũ est *Directio*. Hoc nomen accipitur dupliciter. Primò, Respectu salutis æternæ; & sic omne Dei auxiliũ est directio: nam per omne auxilium dirigimur ad salutẽ. Secundò, Respectu executionis alicuius boni propositi, quomodo hîc accipimus: estque solùm illud auxilium quod ad executionem dirigit & iuuat. Cùm enim 69

ex-

executio à multis rebus externis sæpè pendeat, quæ non sunt in hominis potestate; maximè ad eam opus est diuino auxilio, quod directionem propriè vocamus. Ratione huius auxilij dicitur Ieremiæ 10. *Scio Domine, quia non est hominis via eius; nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos.* & Prouerb. 16. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.* Hæc directio potissimùm in tribus sita est: in amotione impedimentorum, in oblatione occasionum exequendi, & in consilij salubris inspiratione. Verbi gratia, in proposito Religionis ingrediendæ, vel alterius rei arduæ ad Dei gloriam conficiendæ, varia impedimenta obiici solent, quę humano consilio sæpè non possunt amoueri vel perùinci. Deus itaque res ita disponit, vt ista impedimenta tollantur, & vt occasiones se offerant, facilè & suauiter rem conficiendi; & in rebus perplexis, vtile consilium per se, vel per homines aut Angelos suggerit, viasque suauiter exequendi ostendit.

In tribus præcipuè cõtinetur.

70 *Protectio* ad multa se extendit. Primò, Vt præseruemur à peccatis, præsertim mortiferis. Secundò, Vt custodiatur in nobis semen sanctæ inspirationis. Tertiò, Vt bonum propositum non euertatur. Quartò, Vt executio non impediatur. Denique, Vt multa huius vitæ pericula euitentur. Itaque hæc reliquas gratias, totamque animæ salutem, & ipsam quoque vitam corporalem tuetur. Consistit autem potissimùm in tribus. Primò, In compressione potentiæ diabolicæ, ne ipse nos tentet supra vires, vt ex Apostolo 1. Corinth. 10. vers. 13. colligitur. Facile enim illi esset, totum mundum omnesque iustos peruertere, si totam vim suam artesque omnes expromere concederetur: *Non est potestas super terram quæ comparetur ei.* Vnde nouissimis temporibus cùm solutior erit, ita grassabitur, vt nisi tempus persecutionis accideretur, etiam electi sint peruertendi, & pauci vel nulli saluandi: vt ex verbis Domini Matth. 24. constat. Secundò, In auersione variarum occasionum & tentationum, quæ nobis à diabolo, mundo vel carne obuenirent, quibus Deus videt nos negligentia nostra succubituros, si permitteret nos illis inuolui. Itaque eas benignè submouet, res ita disponens vt non eueniant; vel si euenerint, aliquid aliud intercurrat, quod earum progressum impediat, vel cogitationes nostras aliò transferat. Tertiò, In auxilio opportunè exhibito, ad eas cùm inciderint vincendas. Ita enim iuuat Protectio, vt nihil damni ab insidiis hostium aliisque causis ad malum allicientibus patiamur, sed in omni conflictu perstemus illæsi.

Protectio in tribus sita. In compressione dæmonis:

Iob 41.

In auersione tentationum:

In auxilio quo vincantur cùm inciderint.

Necessitas diuinæ protectionis.

Quanta verò sit diuinæ protectionis necessitas, perspicuum est, 71
considerata tum nostra tum hostium nostrorum conditione. Magna enim est nostra ad bonum imbecillitas, ad malum procliuitas, magna ignorantia, magna negligentia: infinitis ad vitam rebus est opus, quibus conquirendis assiduè sumus intenti, non adeò interim de salute solliciti. Econtrariò, maxima est diaboli potentia, maxima astutia & industria, maxima vigilantia; & his omnibus ad nihil aliud incumbit, nisi ad nostrum exitium. Infinitæ quoque sunt carnis & mundi ad malum illecebræ. Quanta igitur nobis opus est protectione, vt illius vim & insidias, horum laqueos & decipulas euadamus? hinc Ecclesia passim suis in precibus diuinam protectionem tam sedulò implorat, orans cum Propheta: *Custodi nos Domine vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege nos.* &: *Familiam tuam, quæsumus Domine, continua pietate custodi, vt quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniatur:* aliisque modis plurimis. Denique nihil æquè ac ista protectio est nobis necessarium, nam debet hoc protectionis auxilium esse assiduum. Sicut enim paruulus vel infirmus per loca salebrosa incedens, semper est in periculo cadendi, nisi assiduè aliquis ei adsit qui eum custodiat & sustentet: ita homo etiam iustificatus, ob infirmitatem & multas peccatorum occasiones, ac insidias diaboli, semper est in periculo peccandi, nisi diuinitus custodiatur. Itaque hoc auxilium etiam singula bona opera nostra antecedere, comitari & subsequi debet, vt & illa facere, & facta conseruare possimus. Ex quibus constat, quanti hæc protectio sit momenti, & quantum periculi nobis eius immunitio adferat.

Preces Ecclesiæ quibus diuina protectio implo-ratur.

Hoc triplex auxilium enituit in Sanctis.

Hoc triplex auxilium in omnibus Sanctis & maximè in Apo- 72
stolis enituit, eosque ad culmen perfectionis euexit, & vt res maximas feliciter conficerent, effecit. Protectio enim, à peccatis aliisque multis periculis seruauit, & reliquas gratias ac dona diuina in ipsis est tutata. Excitatio animos ad diuina extulit, & in iis ita corroborauit, vt multis non minus facile fuerit viuere supra se in spiritu iuxta celsitudinem gratiæ, & habere conuersationem suam in cælis, quàm nobis facile est viuere politicè iuxta rationem humanam inter homines. Assistebat enim illis virtus diuina, mentem ad cælestia efferuans, & phantasiam corroborans, vt illustri & viuido modo diuina conciperent, & magna facilitate absque tædio in illorum consideratione versarentur. Ex illa autem valida mentis ex phantasiæ impressione, sponte sequebatur in voluntate & appe-

titu

titu inferiore vehemens commotio ad opera heroica præstanda, difficultatesque omnes superandas. Directio effecit, vt res maximas Dei gloriam & salutem animorum spectantes ad felicem exitum perducerent.

Voco hæc auxilia interna, non quòd omnia homini inhæreant, (nam compressio diaboli, impedimentorum sublatio, occasionum ingestio sæpè extra hominem fiunt;) sed quia occulta sunt, & inuisibili modo exhibentur, & sæpè interiùs intra hominem administrantur: vnde meritò dicuntur interna, maximè comparatione facta ad alia quæ exteriùs & visibiliter exhibentur, de quibus statim dicemus.

73 His explicatis, dico triplex auxilium internum, quod tanti est momenti, per peccatum iusto Dei iudicio sensim subtrahi & imminui. Crescentibus enim peccatis minuitur diuina protectio, neque Deo ita curæ est, vt eum à peccatis in posterum custodiat. vnde non ita dæmonem coërcet, sed sinit variis modis hominem tentari, & ab aliis quoque rebus varias peccatorum occasiones ingeri, neque tantas in pugna vires suggerit. hinc fit vt maiores difficultates homo in resistendo indies sentiat, & in alia ac alia peccata miser corruat, nouis accessionibus quotidie suum onus cumulans. Imminuitur etiam excitatio: rariores enim sunt diuinæ inspirationes, rariores & languidiores bonæ cogitationes, & piæ commotiones. Euanescit omne bonum spiritale, & mens tota rebus terrenis immersa volutatur in cœno carnalium voluptatum; & nisi singularis Dei miseratio præueniat, necesse est illum semper in peius ruere. Denique minuitur directio, vel potiùs tota tollitur. Vbi enim nullum est bonum propositum, non habet locum auxilium quo dirigatur ad executionem. His tamen addiderim, numquam ita subtrahi omne auxilium internum diuinæ protectionis vel excitationis, quin homo, si faciat quod in se est, per præsentem dispositionem quam habet, vel quam Deus ei in necessitate confert, possit tentationi occurrenti resistere, ita vt non necessariò ei consentiat. Si enim non posset vllo modo resistere, neque auxilium ad resistendum petere & obtinere, non peccaret illo consensu, vt modò suppono: de quo alibi satis à nobis dictum est. Verùm multis peccatoribus hæc resistentia est adeò difficilis, vt reipsa numquam eam sint præstituri, nisi copiosior gratia eos præuenerit; quia nolunt sibi vim inferre, nec extremum virium suarum impendere vt tentationibus resistant.

Totum hoc auxilium minuitur peccatis.

Numquam ita subtrahitur omne auxilium, quin possint petere auxilium necessarium ad resistendum.

Tract. de Gratia efficaci & de Prædestinatione.

Ex his satis constat, quomodo auxilium internum propter peccata iusto Dei iudicio subtrahatur, & quanti hæc pœna in negotio salutis sit momenti.

CAPVT XIII.

De subtractione auxilij externi.

Subtractio auxilij externi.

TERTIA pœna spiritalis est, Subtractio auxilij externi. Hoc 74
auxilium potissimùm in sex rebus situm est: in *prædicatione verbi diuini sanctæ doctrinæ*, in *Sacramentorũ vsu*, in *Sacrificio Missæ*, in *precibus sanctorum ac piorum*, in *bonis monitoribus & consiliariis*, denique in *tribulationibus & flagellis*. His ferè modis & adminiculis externis Deus vtitur ad homines à peccatis abstrahendos, & ad salutem perducendos. Sed inter hæc, tria priora maximam vim habent, adeò vt tota pænè salus ex illis pendeat. *Fides* enim (quæ est totius boni spiritalis & salutis fundamentum) nascitur ex auditu verbi Dei: *Iustificatio* perficitur, augetur & conseruatur Sacramentorum vsu: *Sacrificio* ira diuina mundo placatur, flagella impendentia auertuntur, pœnæ peccatorũ relaxantur, interna gratiæ auxilia obtinentur, & dæmonum impetus coërcentur. Ex quibus patet, quanti hæc bona sunt momenti. Deus tamen propter peccata Christianorum sæpè ista subtrahit, & oppida, prouincias ac Regna præsidiis istis destituit, dum iusto iudicio permittit vt in hæreticorum redigantur potestatem, qui ministros Ecclesiæ, & vnà cum ipsis sanam doctrinam, vsum Sacramentorum, Sacrificium sacrosanctum, omnemque Religionem ac veram pietatẽ exterminant, inæstimabili profectò damno. Millies prœoptanda erat fortunarum iactura, liberorum orbitas, perpetua seruitus, & patriæ totius euersio. Et tamen ea est mortalium vecordia, vt hæc detrimenta parui faciant, modò temporali pace & vilibus huius vitæ bonis frui sinantur. Meretur sanè huiusmodi punitionem Catholicorum tepor & oscitantia, qui ita terrenis sunt addicti, vt de cælestibus istis donis parum sint solliciti. Hanc pœnam minatur Dominus Matthæi 21. cùm ait: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* & Amos 8. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Hæc fames est apud hæreticos, quia est summa veritatis inopia, cùm tamen omnes dicant se eam sitire & quærere. 75

Præter

Præter hæc, interdum Deus subtrahit Sanctorum preces, vel eas statuit non exaudire. Ieremiæ 7. *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* similia habentur Ieremiæ 15. & Ezech. 14. Deinde bonos consiliarios & monitores: Ieremiæ 51. *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus ergo eam, quia peruenit vsque ad cælum iudicium eius.* & Isaiæ 3. *Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, prophetam, & ariolum, consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici.* Denique aufert tribulationes & flagella, quibus homines resipiscerent, & permittit eos frui prosperitate præsenti ad breue tempus, tamquam a cura sua repulsos, & quasi desperatos. Osee 4. *Non visitabo super filias vestras cùm fornicatæ fuerint, neque super nurus vestras cùm adulterauerint.* Psal. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua,* &c. innumerabiles enim prosperitate pereunt, qui flagellis saluarentur.

CAPVT XIV.

De Excæcatione & Obduratione.

76 QVARTA pœna spiritalis est *excæcatio & obduratio.* Hæc est extrema & maxima pœnarum huius vitæ, & maximè formidabilis, vt quæ ordinariè post se trahat æternum exitium, & illud grauissimum. Sita est *Excæcatio* non solùm in *subtractione diuinæ illustrationis*, sed etiã in *positiua iudicij peruersione.* vnde hæc duo ad illam requiruntur. Ratione prioris fit vt salutaria non intelligant, vel non apprehendant, saltem eo modo quo apta sunt affectum mouere. Itaque neque ex concionibus, neque ex colloquiis piorum, neque ex lectione sacra fructum referunt. Ratione posterioris fit vt peruersè de rebus ad salutem spectantibus iudicent, approbantes falsa pro veris, pestifera pro salutaribus, tenebras pro luce, mala pro bonis: & econtrariò, vera ac salutaria detestantes vt falsa & noxiissima, & lucem serenam vt tenebras cimmerias. De talibus dicitur Isaiæ 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Hanc cæcitatem cordis manifestè videmus in Iudæis,

Excæcatio. Obduratio.

Excæcatio in duobus sita est, in subtractione diuini luminis, & iudicij peruersione.

In quibus clarè appareat cæcitas mentis.

dæis,& in noſtris hæreticis. Cùm enim tota Scriptura clariſſimè oſtendat Chriſtum ea ſpecie & forma, quia Euangeliſtæ eum deſcripſerunt, & eius regnum, vt modò floret; Iudæi tamen non agnoſcunt, ſed illum apprehendunt vt impoſtorem, eius miracula vt opera ſatanæ, eius doctrinam vt blaſphemiam, eius religionem vt ſuperſtitionem. Simili modo hæretici, etſi certiſſimis notis vera Chriſti Eccleſia, tamquam ciuitas ſupra montem poſita, omnibus conſiderare volentibus ſit conſpicua; ipſi tamen eam pro tali non agnoſcunt, ſed ſatanæ ſynagogam reputant; & Chriſti Vicarium concipiunt vt Antichriſtum, Sacrificium Miſſæ & cultum Sanctorum, vt execrabilem idololatriam, Sacramenta vt vacuas cærimonias vel inuentiones humanas, purgatorium & indulgentias vt figmenta Sacerdotum ad quæſtum comparata, vota monaſtica vt ſuperſtitiones, bonorum operum merita vt iuſtitiam Phariſaicam, & alia huiuſmodi plena delirij & inſanæ mentis. Sicut enim ob peruerſam organorum aut medij diſpoſitionem fit, vt quis amicum concipiat vt inimicum, & candidum vt rubrum vel fuſcum, & dulcia tamquam amara, & pulchra tamquam diſtorta; ſic ex praua diſpoſitione animi & phantaſiæ accidit, vt quis peſſimè de rebus ad ſalutem pertinentibus iudicet.

Cauſa efficiens excæcationis eſt partim Deus, partim diabolus, partim homo ipſe.

Cauſa efficiens excæcationis, qua parte ſita eſt in diuini luminis priuatione, eſt *Deus*, qui iuſto iudicio, peccatis hominum id exigentibus, ſubducit lumen, quo menti humanæ ad rerum ſalutarium cognitionem ſolet affulgere, parciùs ac rariùs illud impertiens, & radios ſuos, ne in illam animam incurrant, veluti cohibens, propter illius indignitatem. Qui enim ab illo ſole aſſiduè ſe auertunt, & in tenebras peccatorum abdunt, tenebras luci præferentes; indigni planè ſunt, in quos ſol ille rationalis radios ſuos immittat; præſertim cùm mens per peccata fiat terrena, tenebricoſa, ac inepta ad illud purum lumen excipiendum. Qua parte verò ſita eſt in iudicij peruerſione cauſa excæcationis, eſt partim *diabolus*, partim *ipſe homo* per ſuam malitiam. 77

Diabolus quidem, quia Deus propter peccata remittit ei habenas, & permittit vt animos hominum decipiat & ſeducat. Colligimus id manifeſtè ex Scripturis 3. Regum 22. & 2. Paralip. 18. Cùm puniendus eſſet Achab ob plurima ſcelera ſua, permiſit Dominus diabolo, qui eſt ſpiritus mendacij, vt deciperet prophetas ipſius, & prophetarent illi proſpera, quibus ille fidem habens periit, occiſus à Syris. *Dedit* (inquit Michæas) *Dominus ſpiritum mendacij in ore om-*

3. Reg. 22. 2. Paral. 18.

omnium prophetarum tuorum: nimirũ vt ipsi decepti te decipiant,& inducant ad bellum in quo cadas & succumbas. 2.ad Cor. 4. *Quòd si etiam opertum est Euangelium nostrum, in ijs qui pereunt est opertum; in quibus deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Insinuat causam cur doctrina Euangelij, quæ tam manifestis argumentis & signis probatur, quibusdam qui hæc omnia vident & audiunt, adhuc sit operta, sic vt eam tamquam fabulas reiiciant; nimirum quia diabolus, qui tamquam Deus toto pænè orbe colebatur, eorum mentes excæcauit. 2.ad Thess. 2. *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent; ideò mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio. Operationem erroris* vocat operationem diabolicam tum internam tum externam, qua fit vt error illis pro veritate placeat: quam pœnam merentur, quia veritatem perspicuè sibi propositam odio habuerunt & repudiarunt.

Quomodo diabolus iudicium hominum peruertat.

78 Sed quibus tandem modis diabolus iudicia hominum peruertit, & quidnam in illis efficit? Sex ferè modos reperio quibus id facit. Primus est, Interius concitando humores & spiritus, vnde fiat vt imaginatio longè aliter res apprehendat quàm reverà sint, vt patet in phreneticis, & melancholiæ morbo affectis: maximè enim imaginatricis apprehensio ab humorum & spirituum qualitate & commotione pendet. Sic effecit vt cultum Eucharistiæ & Sanctorum firmiter apprehendant & iudicent esse abominandam idololatriam. Secundus est, Auertendo mentem à consideratione eorum per quæ possit instrui, & veritatem assequi. Sic diabolus semen verbi diuini in terram humani cordis seminatum aufert, iuxta parabolam Euangelicam Lucæ 8. mentem ad alia diuertendo. Simili modo facit vt libros Catholicorum non legant, vel si legant, non expendant. Tertius est, Excitando in homine varias passiones, præsertim cupiditatis & odij, quæ maximè rationis iudicium perturbant, vt experientia docet. Sic odio Christi, Scribæ & Pharisæi ipsius doctrinam repudiarunt, nec innumeris miraculis, quæ & ante Christi mortem, & in morte, & post mortem viderunt, neque Scripturis euidentissimis conuerti potuerunt. His tribus modis vtitur diabolus passim cum hæreticis, & facit vt leuissimæ coniecturæ, & aperta sophismata, quæ sunt contra doctrinam Catholicam, videantur illis clarissimæ demonstrationes: & econtrariò, perspicuæ demonstrationes, quas Catholici contra eorum errores adferunt, appareant nullius momenti, & sophismata mera.

Rursus vt sanctorum Patrum in sacram Scripturam interpretationes, reputent inuentiones humanas; suas verò imaginationes apertum Scripturæ sensum, & ipsam veritatis reuelationem. Denique, tanta in plerisque in Religionis negotio est iudicij perturbatio, vt dum aliquid ex fidei principiis aperte concluditur, vim & consecutionem formæ syllogisticæ, quæ tamen lumine naturali est perspicua, non capiant, vt sæpè non sine admiratione & animi dolore aduerti. Quartus est, Per varia visa aut verba interiùs phantasiæ obiecta, siue in somnis, siue in aliqua mentis à sensu alienatione, quæ videantur esse reuelationes. Quintus est, Per exteriores apparitiones, vel signa sensibilia à dæmone ad aliquid homini persuadendum obiecta. His duobus modis non vtitur passim cum omnibus, sed potissimùm cum primariis quibusdam suis amicis, & electis organis, quales sunt hæresiarchæ, & hæreseon ministri, pseudoprophetæ & pseudoapostoli noui Euangelij; Anabaptistæ quoque & Svvenckfeldiani huic deceptionis modo valdè obnoxij. Sextus est, Per præstigias & falsa miracula, quibus homines potissimùm extremis temporibus seducentur.

Cur hæreticorum difficilis conuersio.

79 Ex his facile est cognoscere, cur adeò difficulter hæretici conuertantur. Nam præterquam quòd interno lumine sunt destituti, diabolus detinet mentes eorum per falsas imaginationes & prauas affectiones, vt non capiant ea quæ dicuntur, prout reverà sunt, sed prout illis per prauas illas dispositiones apparent: vnde non possunt de illis rectè iudicare, nisi priùs impedimenta illa semota fuerint; hæc enim reddunt illos omnis boni iudicij in rebus fidei quodam modo incapaces. Itaque conandum primò vt pertinaciam & affectus deponat, anticipatas imaginationes ac opinationes aliquantisper semouendo: deinde, vt auxilium diuinum ad inuestigandam veritatem sedulò implorent, & se paratos ad eam amplectendam offerant. quibus obtentis, tum demum cum bona spe fructus ad conferendum de singulis articulis venietur.

Malitia hominis.

80 Altera causa excæcationis ex parte peruersionis iudicij, est ipsa *malitia hominis*, qua seipsum voluntariè excæcat, non solùm meritoriè per peccata præuia (propter quæ priuatur illustratione diuina, & permittitur illusioni diabolicæ) sed effectiuè & proximè. quod fit dupliciter. Primò, Quatenus consentit in noxias passiones odiorum & cupiditatum, quibus excæcatur, easque in se fouet. Secundò, Quatenus ob leuem aliquam ratiunculam vult pertinaciter inhærere anticipatæ apprehensioni; & ea quæ illi aduersantur, recu-

recusat considerare & excutere: nimirum sic se sponte auertens à luce veritatis, & eligens tenebras. Etsi enim diabolus magnam in phantasiam eorum qui excæcantur, potestatem habeat; non tamen eam ita perturbat (Deo id minimè permittente) vt vsus rationis penitùs impediatur, siue vt non possint aduertere se parum solidè procedere: alioquin nec in ipsa excæcatione, neque in ijs quæ per mentis cæcitatem faciunt, peccarent; quod Scripturis manifestè repugnat: sed eatenus dumtaxat, vt non sine magna difficultate recte & prudenter in eo negotio, in quo excæcati dicuntur, rationis lumine vti possint. Itaque consensus in errorem & pertinax adhæsio est adhuc libera: similiter auersio animi à consideratione & examine veritatis omnino libera permanet.

Differimen inter causas excæcationis.

Ex his perspicuum est, aliter Deum, aliter diabolum, aliter ipsum hominem excæcationis dici causam. *Deus* enim solùm est causa *negatiuè, permissiuè, & per occasionem. Negatiuè*, quatenus propter peccata subtrahit, seu non impertit interna vel externa auxilia, quibus homo illuminaretur, vt suprà explicatum est. *Permissiuè*, quatenus permittit diabolo vt per se suaque membra homines decipiat, eorumque mentes peruertat. *Per occasionem*, quatenus positiuè vel permissiuè est causa aliquarum rerum, ex quibus homines occasionem accipiunt errandi, vel in concepto errore se firmandi. Sic aliqui excæcantur prosperitate; vt hæretici, cùm ex successu suarum machinationum putant Deum sibi fauere, & redduntur pertinaciores. Item Scripturis, dum ex quibusdam sententiis in speciem ipsorum errori fauentibus, putant à se stare verbum Dei.

Deus excæcat negatiuè, permissiuè, & occasionaliter.

Diabolus est causa directa & positiua, nimirum directè intendens & operans per se & sua organa ad hominum excæcationem. Non tamen efficaciter potest eam efficere absque hominis consensu, sed solùm ad eam disponit: ipse verò homo suo consensu perficit, dum veritatis dilectione & consideratione reiecta, eligit errorem suis passionibus, prauis affectibus, & imaginationibus congruentem.

Diabolus quomodo sit causa excæcationis.

Homo suo consensu perficit excæcationem.

Excæcationem sequitur *obduratio*: quod enim excæcatio est in intellectu & iudicio, hoc obduratio est in voluntate & affectu. Nam quemadmodum ex illuminatione diuina sequitur in voluntate promptitudo quædam ad obsequendum Deo, & amplectendum quod ille inspirauerit: ita ex mentis cæcitate sequitur durities quædam & obstinatio in malo, per quam salutaribus monitis & diuinis inspirationibus resistitur, quamuis & in ipsa excæcatione obdu-

Obduratio.

In excæcatione includitur quædam obduratio.

ratio quædam intrinsecè contineatur, quatenus quis affectum aduersus veritatem obdurat, nullis rationibus aut declarationibus locum relinquens. Consistit obduratio in firma & obstinata affectus ad aliquod malum, propter speciem quamdam boni, adhæsione; qua fit vt neque externis monitis, neque internis inspirationibus, neque flagellis, neque promissis dimoueri possit, sed velut saxum sit ad omnia obduret & impenetrabilem præstet, nisi maiore quadam vi diuinitus impellatur. De his dicitur Ecclesiastæ 7. iuxta multorum interpretationem, *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* & Iob 12. *Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.* Quibus verbis summa difficultas indicatur, qua tales conuertuntur; & raram quamdam singularemque Dei opitulationem esse ad hoc necessariam.

Causa obdurationis.

Causa obdurationis, eadem quæ excæcationis, & eodem modo. 82
Deus itaque obdurare dicitur negatiuè, permissiuè, & per occasionem. Vnde non tantùm dicitur obdurare, quia non impertit gratiam qua cor emolliretur, vt quidam DD. subinde dicere videntur; sed etiam quia permittit diabolo vt variis modis homines seducat, & in malo obstinatos reddat, vt suprà explicatum est. Deinde, quia quædam facit vel permittit, etsi ob alium finem, vnde homines obstinandi se in malo occasionem accipiunt.

Diabolus autem directè est causa obdurationis, variis modis hominem ad eam disponendo, de quibus satis dictum est. Ipse verò homo sua malitia propriè est causa illius effectrix, quatenus sponte malum eligit, & firmiter ei vult inhærere, omnibus monitis & inspirationibus contrarijs repudiatis.

Ex his intelligi potest, quomodo quædam peccata dicantur pœna præcedentium peccatorum: ad Rom. 1. *Propterea Deus tradidit illos in reprobum sensum.* vbi Philosophi in pœnam idololatriæ dicuntur traditi in passiones ignominiæ. Et Iudæi in pœnam repudiati Christi, sunt excæcati, ad Rom. 11. Hoc enim non ita intelligendum, quasi Deus in vindictam præcedentium peccatorum velit hominem incidere in alia peccata, aut in hunc finem non det auxilia efficacia, aut præcipitet hominem in illa, vt Caluinus docuit lib. 1. Instit. cap. 18. sed quia non confert illam gratiam quam aliàs contulisset qua peccatum fuisset impeditum, & simul permittit diabolo vt grauius tentet, phantasiam perturbet, &c. Ex qua denegatione gratiæ & permissione sequitur per accidens vt in aliud

pec-

peccatum incidat, in quod alioquin non incidisset. Itaque dicitur peccatum pœna peccati, quia sequitur ex eo quod verè & propriè est pœna, nempe ex denegatione auxilij efficacis & permissione.

CAPVT XV.

Pœnam spiritalem sæpè non condonari cum aliis pœnis, & etiam in peccatis venialibus locum habere.

83 PRÆTER ea quæ de pœna spiritali dicta sunt, tria valdè sunt notanda. Primum est, Deum, etsi pœnitentibus semper remittat culpam & pœnam æternam, & sæpè etiam temporalem, in quam æterna fuit commutata, præsertim interueniente debita satisfactione, vel Indulgentiarum beneficio; non tamen semper condonare pœnam spiritalem constitutam in aliqua particularium auxiliorum denegatione, vel afflictionum internarum permissione: sed sæpè intuitu præcedentium peccatorum, nimirum vt ea vindicet, huiusmodi pœna vti. Idem dico de permissione pœnæ corporalis & afflictionis externæ. Etsi enim directè hanc pœnam non infligat, sæpè tamen ob præcedentia peccata (quamuis aliàs condonata) permittit afflictiones corporales, quas alioquin auertisset, si talia peccata olim à nobis patrata non fuissent. Exemplum habemus in Dauide, cui etsi adulterium cum Bethsabee, & cædes Vriæ, quoad culpam & pœnam directè debitam, fuisset condonata (præsertim post insignem illam pœnitentiam) ita vt ne Purgatorij quidem vlla pœna deberetur; tamen diu posteà ipse ob illud peccatum à Deo punitus fuit rebellione Absalom, & nefando incestu, quo ille vxores patris sui coram omni populo incestauit. Hæc enim Deus permisit in illius peccati vindictam, vt apertè ei Nathan prædixerat. Sicut ergo Deus illud peccatum postquam omnino remissum erat, (si culpam & pœnam directè infligendam spectes) adhuc tam grauiter punuit, pœna vt ita dicam permissiua; ita sæpè post similem condonationem & satisfactionem, qua non solùm culpa, sed etiam debitum pœnæ exhaustum est, punit peccata indirectè aliqua pœna spiritali, nimirum subtrahendo, seu non impertiendo tantũ protectionis, vel excitationis, vel directionis auxilium, quantum alioquin præbere constituerat, si hoc peccatum non commisisses: permittendo etiam aliquas tentationes & afflictiones interiores, vel scrupulos, quos alioquin non permisisset.

Non semper condonari pœnam spiritalem cum temporali.

2. Reg. 12.

Aliud enim est condonare culpam & pœnam directè debitam; aliud impertiri omnes pristinos fauores, omnia beneficia quæ antè animo conceperat, omnemque familiaritatem. Itaque illud sine hoc facilè potest consistere, estque id etiam moribus hominum sapientissimorum conforme. Etsi enim Princeps subdito qui grauiter offendit, omnem pœnam condonet, eumq; ad suam amicitiam admittat; tamen sæpè fit, vt non tanta benuolentiæ signa ei exhibeat, nec tantis beneficiis eum afficiat quantis statuerat illum ornare, si non offendisset. Idem sæpè accidit inter amicos. Manet enim alta mente reposta offensionis indignitas, etsi non ad odium, & ad malum aliquod rependendum (quo sensu intellige illud Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor*; nimirum ad damnationem, vt verba sequentia indicant:) at certè ad minuendam curam commodorum illius, & beneficentiæ fontes nonnihil cohibendos. Vnde vel ob hanc causam sapientissimè dictum est à Sapiente: *De propitiato peccato (μὴ ἐπὶ ἱλασμῷ) noli esse sine metu.* Etsi enim constaret esse ita condonatum, vt nihil amplius tibi pœnæ restet luendum; tamen non constat, te propter illud non puniendum pœna permissiua vel negatiua, ex qua grande malum potest prouenire: hæc enim pœna sæpè est occasio damnationis. Innumeri enim cum maioribus auxiliis peruenissent ad salutem, qui cum minoribus excidêre: quibus fortè maiora illa præparata erant & conferenda fuissent, nisi peccata aliqua grauia interuenissent, per quæ prima illa dispositio fuisset mutata & inuersa. Idem dico de tentationibus. Plurimi enim saluati fuissent, nisi certis quibusdam tentationibus Deus eos pulsari permisisset, per quas fuere ad interitum pellecti; quas ille tentationes non permisisset, nisi id prioribus peccatis meruissent.

Eccli. 7.

NOTA. *Peccatum mortale etiã condonatum sæpè postea est occasio damnationis.*

2. Cor. 7. Nemo itaque securum se putet, sed *cum timore ac tremore*, vt Apostolus monet, *salutem suam operetur*, pristinas negligentias nouo feruore redimens, & priora peccata quibus Deum offendit, magnis pro gloria Dei & salute proximi officiis compensans, & assiduis precibus veniam & misericordiam flagitans. Sicut enim peccatis meruit vt Deus ei peculiaria quædam auxilia subtraheret, & tentationes aliquas, spiritalesque afflictiones obuenire sineret: ita studia bonorum operum, & orationis assiduitate obtinere potest, vt noxiæ tentationes auertantur, & maiora auxilia, quibus ad salutem dirigatur aptissimè, conferantur.

Hæc

84 Hæc pœna nõ est ordinaria, nec certa aliqua lege statuta, sed arbitraria. Non enim Deus cum omnibus ea vtitur, sed adhibet illã vbi & quãdo vult, & prout ipsi placuerit. Quibusdã enim post maxima peccata statim confert maiora auxilia, vt vbi abundauit iniquitas, ibi abundet gratia; nec sinit illos magnis tentationibus concuti. Aliis confert auxilia minora, & multis tentationibus premi sinit. Aliis verò non minuit auxilia, sed permittit graues tentationes, vel scrupulos molestissimos, vel alias afflictiones, varioſque dolores & angores. Et hęc omnia propter peccata præcedentia iam cõdonata.

Propter peccata parentum interdũ filiis minuũtur auxilia gratiæ.

Imò, quod magis mirum est, propter peccata parentum sæpè huiusmodi pœnis afficit posteros, vel minora illis gratiæ auxilia largiendo, vel variis afflictionibus & tentationibus exponi sinendo. Exempla habemus in filiis Iudæorum ad fidem conuersis, etsi in perfidia paterna non fuerint instituti; & in filiis pessimorum hæreticorum, præsertim Ministrorum. Sæpè enim Deus ob immania scelera parentum ita est offensus, vt ergo eorum posteros minùs videatur esse liberalis & beneficus, non tanta illis impertiens gratiæ munera, quanta aliàs impertiret; vel in varias tentationes & calamitates incidere permittens; vt hîc quoque verum sit, Deum *visitare peccata patrum in filios, vsque in tertiam & quartam generationem:* & meritò orauerit Tobias: *Ne reminiscaris delicta mea vel parẽtum meorum.* Sic propter peccata patrum *cæcitas est in Israel, vsque dum plenitudo gentium intrauerit.* Nec obstat quod apud Ezechielem Dominus vetet illud Prouerbium: *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* & expresse dicat: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Agitur enim ibi de morte spiritali & pœna æterna, vt patet ex toto illo capite, & ex illis verbis: *Ecce omnes animæ, meæ sunt, vt anima patris, ita anima filij mea est: anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* qua de re vide Gabrielem Vasquez 1.2. disput. 135. cap. 2. Iudæi enim per illud prouerbium non tantùm significabant, Deum propter peccata parentum punire filios priuatione vitæ & felicitatis temporalis, quod verum est; sed etiam priuatione vitæ spiritalis, & felicitatis futuræ: quod hîc falsum esse ostenditur. pœnam enim quæ peccato propriè debita (qualis est mors spiritalis, & damnatio) solùm infligi ipsi peccatori, non filiis aut parentibus.

Exod. 20. Num. 14. Tobiæ 3. Isaiæ 6. Ioan. 12. Rom. 11. Ezech. 18.

Peccata venialia puniri pœna spirituali.

85 Aliud considerationè dignum est, non solùm mortifera, sed etiam venialia peccata sæpè à Deo puniri peculiarium auxiliorum subtractione, & variarum tentationum afflictionumque internarum

rum & externarum permissione. Qui enim negligenter Deo seruit, nec est sollicitus vt omnes eius offensiunculas, quantum per fragilitatem humanam licet, caueat; meretur vt Deus vicissim non tantam eius curam gerat, non tantis eum beneficiis foueat. Æquum enim est, vt ita se Deus gerat erga nos postquam illius notitiam adepti sumus, sicut nos gerimus erga illum, iuxta illud Psalm. 17. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum peruerso peruertêris.* Idem cernitur inter homines. Multæ enim paruæ offensiunculæ amici in Principem, animum eius ab amico alieniorem reddunt, & efficiunt vt minora beneficia & rariùs conferat. Hinc peccatis venialibus duo tribuuntur effectus; nimirum quòd charitatis feruorem minuant, & ad mortifera disponant, sicut passim Theologi docent. Nam feruorem minuunt, tum quia abundantiora auxilia, quibus ad feruidos actus virtutum opus est, subtrahunt; tum quia difficultatem, quam mens patitur cùm se ad diuina erigere conatur, augent. Crescit enim hæc difficultas partim auxiliorum imminutione, partim inordinata affectus nostri ad terrena adhæsione. Disponunt ad mortifera triplici ratione. Primò, Quia auxilio per illa minuuntur. Secundò, Quia tentationes increscere sinuntur. Tertiò, Quia consuetudo in paruis ad maiora disponit. Qui sæpè committit furta parua, incitatur vt oblata occasione tandem furtum committat magnum: qui voluptates illicitas sectatur paruas, proniorem se reddit ad magnas. Actuum enim repetitio auget prauam inclinationem, & tollit sensim metum offensionis; vnde oblato obiecto graui, in quo maior species vtilitatis aut voluptatis appareat, facillimè trahitur. Magna itaque est habenda venialium cura, à quibus tantum mali impendet. Pulchrè S. Augustinus lib. De decem chordis cap. 11. *Non est* (peccatum veniale) *bestia sicut leo, vt vno morsu guttur frangat, sed bestiæ plerumque minutæ, si multæ sunt, necant. Si proiiciatur quispiam in locum pulicibus plenum, numquid non moritur ibi? Quàm minuta sunt grana arenæ? si arenæ amplius in naui mittatur, mergit illam vt pereat. Quàm minutæ sunt guttæ pluuiæ? nónne flumina implent, & domos deiiciunt? Ergo ista nolite contemnere.* Hæc intellige ratione dispositionis modo iam explicato.

Venialia minuunt feruorem dupliciter, subtrahendo maiora auxilia, & ponendo impedimẽta.

Disponũt ad mortifera triplici ratione.

S. Thomas 1.2.q.88.a.3

Augustinus.

Tertium consideratione dignum est, Non solùm ob peccata, sed etiam ob teporem & neglectum quemdam diuinarum inspirationum, qui tamen per se non sit peccatum, diuina auxilia 86

Ob teporem diuini auxilij.

ple-

plerumque minui. Cui enim Deus magna auxilia offert, & res magnas inspirat; si ille vel anguſtia animi, vel affectu commodioris vitæ negligat, & eo nomine quòd non sint præcepta, nolit consentire diuinæ vocationi, meretur in posterum huiusmodi destitui, & minoribus dumtaxat iuuari: meretur vt Deus non tanta illum cura tueatur, non tantis præueniat excitamentis, non tantis dirigat succeſſibus. hinc multæ tentationes, multæ afflictiones corporales & spiritales, multaque salutis pericula. Vnde magni rerum spiritalium magistri periculosum censent neglectum diuinarum inspirationum, & teporem in progressu spiritus, eoque referunt minas illas Spiritus sancti Apocal. 3. *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus: incipiam te euomere ex ore meo.* & illud Psalm. 94. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* & illud Prouerb. 1. *Quia vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui respiceret,* &c. *Ego quoque in interitu vestro ridebo.*

CAPVT XVI.

De septimo Iustitiæ opere, nempe Christi Passione & morte.

87 SEPTIMO cernitur iustitiæ diuinæ seueritas in magnitudine pretij & satisfactionis quam pro peccato exegit. Nullæ hominum lacrymæ, nulli gemitus, nulla pœnitentia, quantumuis grauis & diuturna, illi satis fuere: nullæ cælestis Curiæ preces ac supplicationes, etiamsi ipsa multorum millium annorum luctus ac pœnitentias (si id fieri potuisset) pro homine subeundas detulisset, aut etiam se totam in sacrificium expiando illius peccato obtulisset. Nihil horum satis illi fuit, nihili hæc omnia æstimauit ad peccatum condonandum: sed miram & omnibus sæculis inauditam, omnibus sapientibus incognitam, omnibus mentibus obstupendam satisfactionem exegit, nimirum vt Filius naturam nostram assumeret, & in ea mortem pro nobis pateretur, suoque Sanguine crimen nostrum diluerat. Nulla alia lege nobis condonare statuit, certus æternum irrogare supplicium mortalibus omnibus, ni talis pro eis victima caderet, & tale lytrum illis redimendis repræsentaretur. Violauit decretum Regium infimum aulæ mancipium, & reum mortis peragitur: supplicat pro illo Regi tota Curia, & omnes regni Ordines; tot Episcopi & venerabiles Prælati; tot Principes,

Vide Anselmum lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 21. & S. Leonem Ser. 1. & 5. de Passione Domini.

Duces, Comites, Nobiles, & illustres viri: nec tamen Rex mouetur, sed perstat in sententia mortis, nisi filius vnicus, Regni heres, deliciæ & gaudium totius Curiæ, mancipij statum assumat, & mortem pro reo mancipio subeat. Quis ad hanc tam inauditam seueritatem non obstupesceret? quis in manus istius Regis incidere non formidaret? Talem & longè maiorem seueritatem præstitit Deus. Infinitè enim amplius est, exigere mortem Filij Dei pro condonando peccato humani generis, quàm exigere mortem filij Regis pro remittendo peccato mancipij. Similiter infinitè amplius est, Filium Dei assumere formam serui, quàm filium Regis demittere se ad statum mancipij.

88 Ostendit itaque Deus in hoc opere infinitam iustitiæ suæ seueritatem, dum tantum & talè lytrum exegit, nec vllo alio quantumuis magno contentus esse voluit. Ostendit simul infinitam charitatis & misericordiæ suæ dulcedinem; quatenus ipsemet, vt nos ab æterno exitio liberaret, hoc ipsum lytrum gratis nobis donauit. *Sic enim* (ipso Filio testante) *Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Itaque opus nostræ redemptionis simul est infinitæ seueritatis & infinitæ dulcedinis, infinitæ iustitiæ & infinitæ misericordiæ, diuersa nimirum consideratione: in eoque *misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt*. Verùm de hoc opere satis multa diximus Lib. De misericordia.

Ioan. 3.

Opus redemptionis est opus infinitæ seueritatis, & infinitæ misericordiæ.

Psalm. 84.

89 Ad iustitiam quoque pertinet, quòd non satis esse voluit ad salutem, Christum pro nobis dependisse pretium, & repræsentasse lytrum: sed insuper oporteat illud nobis certo modo applicari, non tantùm per fidem, (vt hæretici volunt) sed etiam per Sacramenta, quæ sunt veluti vascula pretium Sanguinis Christi inclusum continentia. Itaq; dum hæc suscipimus, efficimur illius pretij participes, & propter illud iustificamur. Deinde per bona opera, & mandatorum obseruationem, iuxta illud Saluatoris nostri: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Si post Baptismum in peccatum incidérimus, vult nos aggre pœnitentiam, & neri illius in nos ipsos vindices & vltores: aut certè post hanc vitam gratia sustinere tormenta, vt peccati amaritudinem, saltem ex parte, deguste mus. Si omnis pœna pariter cum culpa statim ad primum cordis gemitum remitteretur, nescirem us quantum fellis & veneni mellita peccati superficies intus tegat. Ob eandem causam voluit nos multis miseriis corporis, & afflictionibus animi esse subiectos, vt ex modi-

Matth. 19.

Agenda pœnitentia vt gustemus peccati amaritudinem.

cis

cis peccati condonati reliquiis discamus, quàm immane supplicium illi debeatur, & post hanc vitam propter illud sit homini irrogandum, si antè remissum non fuerit.

CAPVT XVII.

De octauo opere diuinæ Iustitiæ, quod consistit in pœnis Purgatorij.

90 OCTAVO cernitur diuinæ iustitiæ seueritas in *pœnis purgatoriis*, quibus post hanc vitam pro suis peccatis, etiam quoad culpam & pœnam æternam condonatis, animæ iustorum castigantur, nisi fortè antea per lacrymas & operæ pœnitentiæ Deo plenè satisfecerint. Verum paucorum est ea puritas. Itaque mox vt à corpore sunt egressæ, rapiuntur sub terram, longissimo tractu viarum, per loca tetra & tenebrosa ad pœnalem specum igne sulphureo æstuantem, animarum reorum carcerem & ergastulum. Hic miris exercentur pœnis, & luunt præteritæ vitæ delicias, millecuplo ampliùs dolorum & amaritudinis sustinentes, quàm ex rebus huius sæculi voluptatis ac dulcedinis vnquam perceperunt. Sunt enim illius ignis tormenta omnibus illis quæ homo mortalis in hac vita sustinere potest grauiora, & sæpè ad multos annos producuntur.

Purgatorium sub terra.

Pœnæ Purgatorij grauiores omnibus pœnis huius vitæ.

De grauitate testatur S. Augustinus in Psal. 37. v. 1. *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non sit opus.* & infrà: *Dicitur enim, Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur, Saluus erit, contemnitur ille ignis: ita planè quamuis saluus per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.* Idem pænè iisdem verbis docet Ruffinus in eumdem Psalmum. S. Gregorius versiculum illum primum Psal. 37. (qui est tertius inter Pœnitentiales) explicans, sic ait: *Quasi dicat: Scio futurum esse, vt post huius vitæ exitum alij flammis expientur purgatoriis, alij sententiam subeant æternæ damnationis. Sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem, non solùm in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari.* Beda in eumdem versiculum: *Nec immeritò tantum timet hanc correptionem* (purgatorij ignis) *quia attendit eam esse grauiorem, quàm quidquid vnquã passi sunt latrones, vel sancti Martyres.* Eucherius Lugdunensis Hom. 3. de Epiphania, & passim Patres Latini, qui veros & acerrimos ignes ibi ponunt.

Diuturnitas pœnarum Purgatorij.

In Vita S. Mariæ Oigniacēsis, per Iacobum à Vitriaco Cardinalem.

De diuturnitate dubitandum non est, plurimos ibi ad multos annos detineri, cùm anniuersaria defunctorum in Ecclesia instituti perpetua videamus, & Sacrificia quotidie offerri pro ijs qui ante aliquot sęcula defuncti. Legimus etiam in probatis reuelationibus, quosdam vsque ad diem iudicij ibidem detinendos: quod sanè admodum horrendum est. Omnium pœnarum, quas humana natura experiri hactenus potuit, grauissima est pœna ignis. Verùm non potest in hac vita esse diuturna: statim enim dissoluit corporis temperamentum, & harmoniam qualitatum, vitæ conseruandæ necessariam; quo facto, anima tamquam vinculis soluta euolat, & corpus manet absque dolore & omni sensu. Post hanc vitam poterit esse diuturna, & etiam sempiterna, tam in anima separata, quàm in corpori iuncta. Cùm enim ipsa anima non possit mori, vtpote simplex spiritus per se subsistens, nec amittere sensus sui vigorem & viuacitatem; potest quantumuis magnam pœnam, & quantumuis longo tempore sustinere. 91

Tormentum ignis in hac vita tantos adfert dolores, vt etiamsi ad breuissimum tempus, ad horæ quadrantem duret, summam apud omnes excitet commiserationem, quamuis qui illud patiuntur, suis sceleribus sint commeriti; vt videmus, cùm tales publicè in foro tota ciuitate spectante comburuntur. Quid si ergo duraret hoc supplicium aliquot horas, vel diem integrum? quid si mensem vel annum? quid si decem vel centum annos, Deo animam in corpore retinente, nec permittente corpus dissolui? Non est dubium, quin tale spectaculum toti orbi incredibilem incuteret horrorem, & omnes ad commiserationem commoueret: nec quisquam facilè reperiretur, qui auderet aliquid committere, propter quod vidisset & sciret tanto tempore pœnam ignis sustinendam. At post hanc vitam non solùm erit diuturnior, sed etiam in plurimis longè acrior & vehementior, quàm possit esse in corpore mortali. Potest enim diuinâ potentiâ augeri in duplũ, in quadruplum, in decuplum, in centuplum, & sic deinceps sine termino, pro grauitate vel multitudine delictorum, quorum pœnæ restant luendæ. Quæ consideratio ingentem omnibus terrorem incuteret, si altè in mentem demitteretur. Si enim simplex ignis dolor intolerabilis est, quantò intolerabilior erit, si in decuplum vel centuplum auctus fuerit? Denique tempus breue in grauissimis doloribus videtur esse longissimum. Testis ille miles, qui cùm horam tantùm vnicam fuisset in Purgatorio, putauit se ibi fuisse annos plurimos: de

quo

quo S. Antoninus 4. parte titul. 14. cap. 10. §. 4.

92 His accedit, quòd tormenta in hac vita si continuentur, paulatim mitescant, & minùs sentiantur. Primo aggressu sentiuntur maximè, & dolor est vehementissimus; sed paulò pòst incipiunt dissipari spiritus animales, (qui necessarij sunt vt anima in corpore sentiat) & temperamentum corporis dissolui: atque ita dolor minùs sentitur. In altera vita non mitescunt continuatione, nec doloris sensus vlla ex parte minuitur, quia anima nuda non eget spirituum ope vt sentiat dolores, sed ipsa per se immediatè omnem vim tormentorum excipit, Deo singulari modo cum ipsis causis concurrente.

Itaque triplici ex capite ibi dolores sunt longè maiores quàm in hac vita, nimirum ratione durationis, ratione acrimoniæ seu intensionis, & ratione perseverantiæ in eodem statu, seu æqualis perceptionis ipsius animæ. Quare meritò dicunt sancti Patres, tormenta illa esse grauiora quàm ea quæ vel latrones vel Martyres passi sunt, vel quisquam mortalium in hac vita pati queat.

Ex triplici capite dolores post hanc vitam sunt maiores quã in hoc sæculo.

93 Quanta ergo est illa Dei seueritas, qua in suos amicos, in suos filios, & Regni sui heredes ita sæuit, in loca teterrima illos procùl suo conspectu ablegans, & tanto tempore tantis cruciatibus subiiciens? Quis vmquam ita suos tractauit hostes? quis inimici sui etiam iuratissimi non moueatur misericordia, si eum vel ad quadrantem horæ in medio ignis colligatum tenuerit, flammis vndique corpus eius vsque ad viscera depascentibus? Sed alia sunt iudicia Dei, alia hominum. Sicut eius misericordia est infinita, ita etiam iustitia est infinita: sed in hoc sæculo est locus misericordiæ, in futuro soli iustitiæ. Hîc facilè Deus nostris afflictionibus vel spontè susceptis, vel patienter toleratis, commouetur ad ignoscendum, & millesima parte soluti debiti acquiescit, reliquam summam liberaliter expungens: ibi verò durus exactor nouissimum extorquet quadrantem; nec magis suppliciis miserorum commouetur, quàm si viscera sint ei ferrea. Et meritò: nam qui oblatam misericordiam, & facilem redimendæ pœnæ rationem hîc neglexerunt, digni sunt vt sentiant rigorẽ iustitiæ. Suæ fatuitati assignent, quòd in hanc calamitatem deuenerunt. Accedit, quòd hac ratione intelligant quantum interest inter id quod debetur peccato secundùm legem iustitiæ, & id per quod Deo hîc possumus satisfacere interuentu misericordiæ.

Misa Dei seueritas in amicos & filios, tamen iustissima.

94 Porrò duplici affliguntur pœna, sensus & damni. Pœna sensus est

Duplici pœna affliguntur, damni & sensus.

est ab igne, qui vt diuinæ iustitiæ est instrumentum, potest affligere animas corpore exutas, non minùs quàm corpori inclusas. Anima enim est quæ sentit, dolet, affligitur, non corpus, etsi ipsa sit in corpore. Si ergo corpore vestita, igne affligi potest, cur non etiam nuda, præsertim cùm sic immediatiùs ab igne tangatur? verùm de hoc infrà pluribus.

Pœna damni consistit in eo, quòd ob culpam earum Regni possessio differatur, quodque magnos æternæ gloriæ thesauros, quos facilè consequi potuissent, neglexerint. Si aliquis adoptatus à Rege, in ipso puncto quo aditurus est Regni possessionem, eiiceretur ob aliquam culpam in exilium, donec illam variis suppliciis plenè luisset; quantum inde conciperet dolorem? quantum ingemisceret se culpam illam admisisse, & pro ea tempestiuè non satisfeciisse? Ita animæ iustorum cùm se à gloria parata eo momento quo conferenda erat, vident repelli, & in teterrimum exilium ablegari, donec pro antiquis culpis integrè satisfaciant, incredibili fauciantur dolore. Quantus enim ille sit dolor, ex eo conijci potest, quòd ex quadruplici consideratione nascatur. Primò, Quòd videant se tanto priuari bono, idque eo tempore quo illo fruendum erat. Apprehendunt acerrimè illius boni immensitatem, & simul illud ardentissimè desiderant. Secundò, Quòd videant id fieri ob suam culpam. Tertiò, Quòd neglexerint pro illa culpa suo tempore satisfacere, cùm facillimo negotio redimi poterat, & tantas nunc cogantur sustinere calamitates: id enim non parum incendit doloris acerbitatem. Quartò, Quòd ingentes æternorum bonorum thesauros, & cælestis gloriæ gradus, quos facilè consequi potuissent, sua culpa & tepore neglexerint. Hæc omnia viuacissimo modo apprehensa ingentem dolorem excitant, vt etiam in damnis humanis experimur, cùm ista quatuor concurrunt. Itaque credibile est, illum animi dolorem longè esse maiorem, quàm homines in hac vita ex damnis temporalibus concipere possint: quia bonum illud longè est excellentius, & apprehensio acrior, & desiderium ardentius; & hæc omnia assidua, numquam interpellata, noctes, dieisque vrgentia. In doloribus huius vitæ crebra interruptio, per somnum, per colloquia amicorum, per varias mentis distractiones. Accedit, quòd diuina iustitia de industria faciat, vt damna sua etiam acrius apprehendant, quàm per se facerent, vt maiori dolore vrantur. Ideò enim fit hæc dilatio, & hoc tempore exilium, vt eius dolore purgentur, & pœnas pristinarum culparum luant. Secus

Dolor ex pœna damni, quadruplici consideratione.

95

erat

erat in Patribus antiquis Limbo detentis: non enim ob culpam aliquam personalem ibi detinebantur gloriæ exortes, sed ob conditionem naturæ, pro cuius debito pretium nondum erat exhibitum. vnde nondum venerat tempus, quo gloria illis esset debita.

CAPVT XVIII.

De plagis nouissimis, nono Iustitiæ opere.

96 NONO cernetur iustitiæ diuinæ seueritas in multiplici plaga, quæ antecedet vniuersale iudicium. Sicut Ægyptij multis & asperrimis plagis afflicti fuerunt ob impietatem, vt resipiscerent, priusquam demergerentur in profundum maris, & delerentur omnes: ita mundus anteà grauissimis afficietur flagellis, quàm extrema seueritas (qua omnes impij demergentur in barathrum inferni) in illum stringatur. Pari modo ante excidium Iudaicum, multa per septennium præcessere prodigia & signa horrifica, & cælestes terrores, iram Dei Iudaico populo impendentem denuntiantes: multæ bellorum clades, pestilentiæ, fames, incendia, direptiones, quibus grauissimè fuerunt exagitati. Vtriusque nationis calamitas & excidium typus est excidij mundi: nam Ægyptus mundum mysticè designat: & Ierusalem impia, spiritaliter est Sodoma & Ægyptus: vt in Apocal. cap. 11. habetur. Vnde & ipse Dominus de excidio Iudaico tractans, simul miscet ea quæ pertinent ad excidium mundi, ita de vtroque differens, vt aperte insinuet illum huius esse typum, & hunc in illo adumbrari & præfigurari. Quo autem ordine ista euentura sint, non est ita certum. Quædam longiore tempore extendentur, & simul cum aliis extabunt, vt bellum & fames; alia aliis succedent, alia semel fient, alia subinde reperentur. Nobis satis erit præcipua recensere.

Plagæ Aegypti typus plagarũ nouissimarum.

Iosephus l. 7. de bello Iudaico c. 12.

Baronius ad annum Christi 68.

Matth. 24. Marci 13. Lucæ 21.

97 Primum ergo, appetente Antichristi aduentu, orbis agitabitur maximis bellis & seditionibus. Nam exciso Imperio Romano, omnia redigentur ad decem Reges, qui vt omnia ditioni suæ subiiciant, Prouincias omnes & Regna grauiter affligent, maximisque bellis atterent. De bellis insinuat Dominus Matth. 24. & Lucæ 21. cùm ait: *Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri: oportet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. Surget enim gens contra gentem, & regnum aduersus regnum.*

Bella.

Quòd autem Imperium Romanum penitus sit excidendum, & omnia

Romanum Imperium in decem Reges diuidendum.

omnia Regna in decem Reges diuidenda, colligitur ex Scripturis & Patribus. Ac primùm signatur id per decem digitos pedum statuæ, quæ in somnis ostensa Nabuchodonosor, Daniel. 2. Huius enim statuæ pedes erant ferrei, & desinebant in decem digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles. Tibiæ ferreæ denotant Monarchiam Romanam; quæ sicut ferrum omnia comminuit & domat, ita omnia alia Regna domuit & subiecit. & sicut duæ sunt tibiæ, ita duplici Imperio constitit, Occidentali & Orientali. denique, sicut tibiæ desinunt in decem digitos pedum, tamquam in extremum & terminum tibiarum, & totius statuæ: ita Imperium Romanum desinet in decem Reges, in quos omnes Monarchiæ & Imperia huius mundi terminabuntur. Illis enim deletis, nulla amplius Monarchia expectanda, præter Regnum Sanctorum & Monarchiam Christi, quæ omnia obtinebit.

Nec obstat, quòd post illos decem Reges Antichristus orbis Monarchiam obtinebit: tum quia ipsius Monarchia erit admodum breuis; tum quia septem ex illis simul cum Antichristo, & sub ipso regnabunt, & cum ipso interficientur, ac proinde cum ipsis Monarchia huius mundi cessabit. Iidem Reges designantur decem cornibus quartæ bestiæ, quæ in visione ostensa Danieli cap. 7. Quarta enim bestia, quæ erat terribilis, & omnia comminuebat, designat quartam Monarchiam, vt ibidem habetur; quam constat esse Romanorum: & decem cornua illius, decem Reges sunt, vt ibidem Angelus Danieli exposuit, nempe in quos Monarchia illa desinet. Idem apertiùs habemus Apocal. 17. in quem locum vide Riberam.

Eadem est communis SS. Patrum sententia, vt testatur S. Hieronymus in cap. 7. Danielis; vbi refutata Porphyrij expositione, sic scribit: *Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando Regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuidant, & vndecimum surrecturum Regem paruulum, qui tres Reges de decem Regibus superaturus sit, id est Aegyptiorum Regem, & Africæ, & Aethiopiæ, sicut in consequentibus manifestiùs docemus: quibus interfectis, etiam septem alij victori colla submittent.* hæc ille. Ex quibus patet, sub finem mundi toto pænè orbe maxima fore bella.

Terræmotus.

Plinius l. 2. c. 84.

Secundò, *Erunt magni terræ motus per loca.* Hi motus tanti erunt, quanti numquam anteà. Itaque non solùm multæ ciuitates his subuertentur (quod sæpè aliàs factum legimus in Historiis) sed etiam 98

iam montes & insulæ suis locis mouebuntur, & innumerabilis hominum & animalium multitudo opprimetur vel absorbebitur. De hoc terræmotu sic scribit Ioannes in Apoc. c. 6. *Et vidi cùm aperuisset sigillum sextum, & ecce terræmotus magnus factus est, & sol factus est niger tamquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis: & stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno mouetur: & cælum recessit sicut liber inuolutus, & omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt.* Ingens hic terræmotus erit ante aduentum Antichristi, vel saltem ante eius Regnum, & simul habebit coniuncta signa cælestia ad maiorem terrorem mortalibus incutiendum. Neque incredibile videri debet, quod hic de montibus & insulis dicitur: narrat enim Plinius, L. Martio & Sext. Iulio Coss. *in agro Mutinensi duos montes vi terræmotus inter se concurrisse crepitu maximo assultantes & recedentes, inter eos flamma fumoq; in cælum exeunte interdiu spectante è via Aemilia magna equitum Romanorum, familiarumq;, & viatorum copia.* Addit Plinius: *Non minùs mirum ostentum & nostra cognouit ætas, anno Neronis Principis supremo, pratis diei sq; intercedente via publica in contrarias sedes transgressis in agro Marucino.* Lib. 2. c. 83.

Similia nouissimis temporibus euentura indicat apertè Psalmista cùm ait: *Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum,* (id est aquæ maris,) *conturbati sunt montes in fortitudine eius* (Dei.) Quòd enim loquatur de temporibus nouissimis, quando omnes gentes ad spectu prodigiorum maximè turbabuntur, & Regna concident, & Antichristi exercitus delebitur, manifestum est. Neque semel tantùm, sed sæpiùs magni terræmotus fient illis temporibus, vt ex Apocal. patet. Maximum omnium describit S. Ioan. c. 16. qui fiet tempore Antichristi, cùm septimus Angelus phialam suam effuderit. *Facta sunt,* inquit, *fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qualis numquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terræmotus sic magnus.* Græcè πηλικοῦτος οὕτω μέγας. congeminat verba, vt exprimat ejus insolitam magnitudinem. Hoc terræmotu, vt ibidem ait, ciuitas magna, nempe Ierusalem, vbi erit sedes Antichristi, scindetur in tres partes ingenti hiatu, & multæ ciuitates impiorum corruent. Insulæ suis locis mouebuntur, vel mari tegentur, & montes plurimi concident ac soluentur. Sic sensim orbis terrarum vastabitur, & ad extremam vastitatem disponetur. Pſal. 45.

Obscuratio solis, &c.

Tertia plaga erit, Horrenda species & *obscuratio solis & lunæ*, & 99
lapsus stellarum de cælo. qua de re Ioan. cap. 6. & 8. & Dominus Matth. 24. Marci 13. & Lucæ 21. Maximum ea res incutiet horrorem videntibus, ita vt arescant & contabescant præ timore, & expectatione malorum quæ superuenient vniuerso orbi, vt Dominus apud Lucam ait: *Nam*, inquit, *virtutes cælorum commouebuntur*, id est, sol, luna, & stellæ de statu suo decurbabuntur. Stellæ cadent de cælo, nempe quoad apparentiam, & hominum existimationem, quia de summa aëris regione cadent multæ ignitæ faces instar stellarum. Loquitur enim Scriptura vulgari modo, non Philosophico.

Conturbatio maris.

Quarta plaga erit, *Ingens conturbatio maris*, partim per tempestates & procellas, quibus ita agitabitur, vt sonitus fluctuum procul in mediterraneis cum ingenti horrore audiatur: partim ex terræmotu, quo etiam mare ipsum ab imo fundo vnà cum insulis concutietur, & aqua in sublime attolletur. Hinc plurima naufragia, & multarum insularum & regionum maritimarum submersiones: quibus fiet, vt ad tempus, donec mare se recipiat, aquis tegantur. Si enim vnus Tiberis, qui exiguus est fluuius, aliquando ita exundauit, vt aquæ mœnia vrbis Romæ transcenderent, & se per illa in vrbem infunderet: quæ clades non expectanda ex vastissimis fluminibus, & ex ipso mari in illa summa totius naturæ turbatione, quando orbis terrarum pugnabit pro Deo contra insensatos? Indicatur hæc plaga à Domino, quando ait: *Et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum*: vel vt Græcè habetur: Καὶ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ, ἠχέοντος θαλάσσης καὶ σάλου· id est, *Et in terra pressura* seu *angustia Gentium præ consilij inopia, sonante mari & fluctibus*. vbi indicatur, istam animi perplexitatem magna ex parte prouenturam ex maris agitatione, quæ terris cataclysmum minabitur.

Circa annũ Domini 590 sub Pelagio II. testẽ Platina.

Lucæ 21.

Pestilentia & fames.

Quintò, Erunt *pestilentiæ & fames*. Quantum vtrumque sit malum, patet in excidio Ierosolymitano, vbi paucis mensibus peste & fame consumpti supra nongenta millia. Pestis oriri solet tum ex terræmotu, halitu venenato, qui ex visceribus erumpit, aërem inficiente; tum ex bellorum miseriis, tum ex eluuionibus, postquam aquæ defluxerint: denique non deerunt tunc temporis multæ causæ quibus aër inficiatur. Fames sæpè pestem comitatur, vel eam sequitur, deserta per pestem agricultura. Eamdem facilè multis modis inducere potest Deus, quando ipsi visum. Malum hoc peste acerbius: nam longo tempore cruciat antequam occidat, adeò

adeò vt vix vllum sit illi comparandum. Hæ plagæ bona ex parte præuenient Regnum Antichristi: nam Dominus insinuat, *hæc esse initia dolorum* & malorum, quæ nimirum erunt sub illius Regno. Itaque sequentur multæ aliæ, quas Dominus breuiter complexus est cùm ait: *Terroréſq; de cælo, & signa magna erunt.* Hæ in particulari recensentur in Apocalypsi. Matth. 24. Marci 13. Luc. 21.

100 Sexta ergo plaga sit, *Plaga grandinis & ignis.* Cadet enim grando variis locis mixta sanguine & fulminibus, quibus in terram delatis tertia pars terræ, & tertia pars arborum, & omne fœnum viride comburetur. Quod non ita intelligendum, quasi in singulis regionibus tertia comburenda sit, sed quòd in variis locis orbis erit aliqua exustio, ita vt omnibus simul collatis possit videri tertia pars exusta. Similis ferè fuit plaga Ægyptiaca septima, in qua etiam fulmina grandine mixta ferebantur, & vastabant omnia quæ foris erant, de quo suprà Cap. 8. *Plaga grandinis & ignis* Apoc. 8. Exod. 9. Sap 16.

Septima erit, *Mons ardens*, nempe ingens massa pinguis materiæ in aëre concreta & accensa, quæ instar montis ardentis ruet in mare: quo fiet vt tertia pars maris vertatur in sanguinem, & tertia pars piscium moriatur, & tertia pars nauium intereat. Credibile est hanc massam primò in sublimi, & in initio lapsus, instar montis ardentis coniunctim apparituram oculis hominum: deinde in progressu spargendam in varias partes, vt variis locis mare inficiat. Non minus mirabilis fuit pluuia ignis sulphurei, qua regio Pentapolis deleta, de qua suprà Cap. 7. Non est putandum, vi huius montis ardentis tertiam partem maris vertendam in sanguinem, vel colorem sanguineum: sufficit vt sit signum quo mortalibus incutiatur timor, & vt ad eius præsentiam illa mutatio in mari diuina virtute subitò peragatur, sicut in plagis Ægyptiacis: cùm enim aqua fluminis virga Moysis esset percussa, statim omnis aqua Ægypti versa est in sanguinem: cùm puluis eadem virga percussus esset, omnis puluis Ægypti versus est in cinises, &c. cùm Moyses manipulum cinerum sparsisset in aërem, per totam Ægyptum ortæ sunt in hominibus pustulæ. Apoc. 8. Exodi 7. & 8.

Octaua erit, *Ingens Cometes ardens*, qui delapsus in terram inficiet tertiam partem fluminum, & fontes aquarum, reddetq; aquas instar absynthij amaras, ita vt non sint potabiles. Apoc. 8.

Nona erit, *Obscuratio solis, lunæ, & stellarum*, secundùm tertiam partem, perinde ac si pro tertia parte paterentur eclipsim. quæ res erit horrenda visu, & maximum terrorem mortalibus inferet. *Obscuratio solis secundùm tertiam partem.* Apoc. 8.

Apoc. 9. Decima erit, *Plaga locustarum*, à quibus vexabuntur impij per quinque menses. Istæ locustæ egredientur de fumo putei abyssi. Hic Interpretes multùm laborant, & ferè ad Metaphoras vel Allegorias confugiunt. Quidam enim per *locustas* intelligunt hæreticos, alij exercitum Barbarorum. Verùm, vt reliqua quæ de istis locustis dicuntur, accommodentur, non parum laborandum, multaque violenter torquenda. Non video, cur non possit de peregrino genere locustarum accipi. Itaque totus hic locus sic videtur posse intelligi: Virtute diuina profundissimum hiatum alicubi in terra vel montibus aperiendum, vnde immensa vis fumi exeat; sicut sæpè ex montibus ardentibus (& nominatim ex Vesuuio monte Campaniæ) tanta fumi & cinerum copia per multos dies eiecta est, vt ad ducenta vel trecenta passuum millia, & amplius, omnia obscuraret. Qua de re scribit Dio in Tito. Primùm in monte Vesuuio & regione finitima interdiu & noctu magnum numerum hominum inusitatæ magnitudinis in aëre visum vagari, qui sine dubio dæmones erant gigantum specie, portendentium cladem impendentem: mox consecutam maximam siccitatem, & graues terræmotus: auditos quoque sonitus subterraneos tamquam tonitrua: deinde mare fremere cœpisse, & omne cælum resonare, & repentè ingentem fragorem exauditum, quasi montes simul conciderent. Tum verò exiliisse primùm immensos lapides, deinde magnam copiam ignis fumique, ita vt omnem aërem obscuraret, & solem occultaret. Vnde plerisque persuasum fuisse, mundum in chaos redigi, atque igne consumi: tantam enim fuisse copiam cineris, vt terram, mare, atque ipsum aërem compleret, maximo illato damno hominibus, prædiis, & pecoribus: omnibus piscibus & volucribus peremptis, & duabus vrbibus Herculano & Pompeiis, populo sedente in theatro, penitus obrutis. Postremò, tantam fuisse cinerem, vt inde peruenerit in Africam, Syriam, & Ægyptum; introierit etiam Romam, eiusque aërem compleuerit, & solem obscurauerit, ac demum grauem pestilentiam excitauerit. hæc ille. Accidit hoc circa annum Domini 81. sub tempus Autumni. Similia accidêre ante paucos annos in India Occidentali, & non ita pridem in Insula S. Georgij, quæ est vna ex illis quas *Terceras* vocant. 101

Ex quibus constat, in terræ visceribus multa & immania latere incendia, quæ iam compressa tenentur, vt tunc, cùm orbis vastandus erit, erumpant, & primò omnia fumo & cinere infestent, deinde

inde simul cum igne conflagrationis terram exurant. Vnde patet, non esse incredibile, quod de fumo putei abyssi diximus. Nec obstat quòd infernus à Ioanne vocetur aliquando *puteus abyssi*; quia non solus Infernus, sed omnis hiatus profundissimus, cuius non est reperire fundum, dicitur abyssus, & puteus, vel fouea abyssi, id est, puteus abyssalis, Græcè φρέαρ ἄβυσσον. Adde, non esse incredibile, hiatum illum vsque ad inferos extendendum, cùm paulò pòst ingens hiatus, quo omnes impij absorbebuntur, vsque ad inferos sit aperiendus. Verùm de his plura infrà, cùm de Inferno agetur. Iam quod ad locustas attinet, facile erit durante isto fumo diuina virtute procreari peregrinum genus locustarum, quod è fumo exeat, & omnia longè lateque occupet, sicuti olim immensa agmina, primò ranarum, deinde locustarum, posteà sciniphum, postremò muscarum, totam Ægyptum occuparũt, idq; repentè, diuina virtute ea animalia formante. Simili modo agri Philisthinorũ subitò effuderũt infinitam vim muriũm. Quod ad formam earum attinet, non opus est vt facies earũ planè sint similes faciei humanę, aut eiusdem magnitudinis: sufficit esse rudem similitudinem qualis reperitur in simiis, & quibusdam aliis. Idem censendum est de capillis seu cirris earum, & dentibus. Nullum ferè est genus animaliũ, in quo tanta formarum peregrinarum varietas, quanta in locustis. 1. Reg. 5.

102 Vndecimã erit, *Solutio quatuor dæmonum*, qui mox vbique terrarum bella concitabunt, quibus orbis ita atteretur, vt facilè tertia pars hominum sit interitura. Repræsentatus est Ioanni in visione exercitus equestris, in quo ducenti milliones equitum. Vbi per equos intelligit milites, per sessores seu equites, dæmones qui regent & incitabunt ipsos milites in prælia. Equorum caudæ sunt similes serpentibus, & habent capita. Vbi puto indicari gladios militares, qui instar caudarum retrò extant, & capulos instar capitis habent: vel pedisequos & ministros militum, qui plerumque sunt pessimi, & instar serpentum occultè nocent, incendiis, furtis, venenis, aliisque modis. De ore equorum procedit ignis, fumus, & sulphur. Non facile est explicare, quomodo hæc tria ex ore militum seu equorum procedent, & quo modo igne, fumo, & sulphure occidetur tertia pars hominum. Existimo planè hîc indicari bombardas militum, & ignem pulueris sulphurei. Dum enim milites iaculantur, ita admouent ori instrumentum, vt ore ignem & fumum sulphureum emittere videantur. Et hoc modo obiecta sunt animo S. Ioannis in visione. Hinc facilè intelligitur, quomo- *Solutio quatuor dæmonum, & bella grauissima.* Apoc. 9.

do his tribus tanta clades sit illata. His bellis creditur exscinenda Roma, de qua suprà diximus: & Antichristus, deletis tribus Regibus ex decem, nempe Rege Æthiopiæ, Libyæ, & Ægypti, peruenturus ad Regnum, reliquis septem sponte se illi dedentibus. Durabunt enim hæc bella longo tempore, nempe vsque ad Monarchiam Antichristi. Vnde non est mirum, tantum numerum missum Ioanni repræsentatum. Nam si toto orbe multis annis bella gerantur, non est incredibile ducentos milliones hominum armari.

Vulnus sauũ ac pessimum. Apoc. 16.

Duodecima plaga erit *Vulnus sæuum & pessimum* in homines qui adhærebunt Antichristo. Hæc videtur prima, quæ constante Monarchia Antichristi inferetur. Similis plaga fuit illata Ægyptiis, de qua suprà Cap. 8.

Conuersio maris in sanguinem. Apoc. 16.

Decimatertia erit, *Conuersio maris in speciem sanguinis atri,* qualis est hominis mortui, per quam etiam pisces omnes maris morientur. 103

Conuersio fluminum in sanguinem. Apoc. 16.

Quartadecima est, *Cõuersio fluminum & fontiũ in sanguinem.* Sicut enim in Ægypto omnis aqua versa est in sanguinẽ, & omnes pisces mortui sunt: ita per totum orbem, totum mare & omnia flumina vertentur in sanguinem, & omnes pisces morientur. Quod enim tunc in Ægypto accidit, est typus eius quod fiet in orbe illo tempore. Sicut tamen in Ægypto conuersio illa non duraũit nisi ad octo dies, ne homines perirent siti; ita etiam credibile est, istam conuersionem non valdè diu duraturam, ne omnes pereant; sed post aliquod tempus ista elementa restituentur suæ naturæ, sicut factum in Ægypto. Credibile etiam est, fidelibus hanc plagam aquarum non nocituram, sicut non nocuit Israëlitis in Ægypto, vt suprà Cap. 8. ostensum est: fiet enim hæc plaga in vltionem sanguinis sanctorum, quem impij illis temporibus effundent. Quod ad pisces attinet, non est necesse reuiuiscere, cùm mundus breui sit interiturus: & fortè non deerunt pisces in stagnis, lacubus, & viuariis. nam de his aquis non dicitur, quòd in sanguinem conuertentur.

Æstus sol. Apoc. 16.

Decimaquinta est *Plaga æstus.* Dabitur enim soli vis affligendi homines æstu & igne: quo fiet vt homines grauissimè æstuent, & præ impatientia blasphement Deum.

Vlcera & dolores. Apoc. 16.

Decimasexta est, *Ingentes dolores & vlcera,* quæ immittet Deus in primarios Antichristi assecłas, eiusque curiam, ratione quorum erit magnus mœror in Regno eius.

Decima

104 Decimaseptima, Siccatio fluminis Euphratis, & *Congregatio Regum Antichristo adhærentium in prælium*, ad delendos omnes qui Antichristo nolent adhærere. Hoc certè fine illi conuenient; sed Deus sua prouidentia id permittet, vt illa multitudo impiorum simul pereat, & tranquillitas detur Ecclesiæ, ad multorum, qui vel illa persecutione cediderunt, vel adhuc infideles sunt, conuersionem. *Congregatio exercitus Antichristi.* Apoc. 16.

Dices: Quid opus erit tanto exercitu ad debellandos Christianos, cùm hi pauciſſimi ſint futuri illis temporibus? Respondeo, Paucos futuros respectu impiorum, absolutè tamen fore valdè multos. Si enim in sola Ægypto ex Hebræis erant sexcenta millia virorum à vigesimo anno & supra, præter pueros & mulieres; quantum numerum putamus fore Christianorum (quorum typus erant illi Hebræi) toto orbe? Vnde, sicut ad Hebræos istos in seruitutem retrahendos congregauit Pharao omnes vires totius Ægypti, ita Antichristus ad subiiciendos sibi Christianos congregabit vires totius Orbis, quæ ipsi parebunt: & sicut Pharao cum omnibus suis periit obrutus mari, ita Antichristi exercitus peribit obrutus igne cæleſti, vt ostensum Ioanni.

Decimaoctaua erit, *Ingens terræ motus cum grandine, tonitru, fulmine, & vocibus articulatis in aëre*, quibus terror magnus incutiatur impiis. Hac terræ violentissima concussione non solùm plurimæ ciuitates impiorum corruent, sed etiam multi montes concident, & insulæ aquis operientur, vt non appareant. De hoc dictum supra. *Maximus terræmotus* Apoc. 16.

Decimanona erit, *Clades illa*, in qua Antichristus & eius pseudopropheta viui descendent in infernum, & eius exercitus cum Regibus ipsi adhærentibus igne cæleſti & grandine consumentur; vt colligitur ex Ioan. cap. 19. & 20. & Ezechielis cap. 39. Non obstat quòd Ioannes cap. 19. dicat, hunc exercitum interficiendum *gladio qui procedit ex ore sedentis super equum*, id est, Christi: quia iste gladius non erit alius, quàm ignis & grando quæ ex ore Christi procedent: quia imperio Christi de cælo descendent, & exercitum illum impiorum delebunt. *Deletio exercitus Antichristi.* Apoc. 19.

105 Hæ ferè sunt plagæ quas Ioannes describit, & affirmat nouissimis temporibus irrogandas. In quibus non solùm elucet iustitia, sed etiam misericordia: quia paulatim, & cum ea moderatione adhibentur, vt peccatores possint resipiscere, & agere pœnitentiam. Nec semper durant, sed aliæ aliis succedunt, vt aduertant esse manum

manum diuinam, non causas naturales, aut fatum aliquod stellarum.

Plagas istas ad litteram accipiendas.

Quòd autem istæ plagæ non solùm Allegoricè seu mysticè, sed etiam historicè & secundùm litteram sint intelligendæ, optimè ostendit Ribera. Nihil enim ferè est in omnium illarum descriptione, quod non commodè secundùm litteram possit accipi. Neque quidquam illarum fidem superare, esseque incredibile, iudicabit quilibet qui diligenter expenderit plagas Ægyptiacas, & subuersionem Pentapolis, & mare mortuum ex incendio illo sulphureo relictum; denique Arcam Noë, & diluuium vniuersale. Sanè plagæ Ægyptiacæ & subuersio Pentapolis solùm fuit figura & adumbratio quædam plagarum temporis nouissimi, quando subuertetur mundus. Si talia contigere in typo, quid poterit videri incredibile & nimis magnum in exemplari & veritate? Quare, cùm regula communis Theologorum sit, à proprietate verborum non esse recedendum, nisi aliquid absurdi vel repugnans rationi contineant; dubitandum non videtur, quin ista ferè omnia secundùm litteram & historicè sint intelligenda. Accedit, quòd nisi ita dicamus, fatendum erit, Ioannem nihil ferè de externis plagis illorum temporum prædixisse, sed lusisse ænigmatibus, idque vel in rebus iam peractis & orbi notissimis, nimirum in describenda Iudæorum euersione; vel in futuris, vt in Romanorum & Gentium conuersione. Vnde probare non possum nuperam quamdam expositionem, iuxta quam maximæ plagæ non sunt plagæ in homines, sed destructio peccatorum, & conuersio hominum. verbi gratia, Cùm dicitur cecidisse Babylon, indicatur, ciues Babylonis desiisse esse idololatras, & conuersos ad fidem. Cùm dicitur *Babylon incensa igne*, significatur accepisse Spiritum sanctum. Quando de exercitu Gog & Magog dicitur: *Descendit ignis de cælo, & deuorauit eos*, indicatur eos operatione Spiritus sancti conuersos ad fidem: & alia innumera huius generis satis frigida, dura, & violenta. Non video quid vtilitatis habere queat ad ædificationem Ecclesiæ rerum notissimarum descriptio adeò ænigmatica, vt nemo illam possit intelligere.

Mirabitur fortè aliquis, quî fieri possit, vt homines impij qui 106
adhærebunt Antichristo, visis tot portentis & plagis, persistent in sua malitia & in persequendis fidelibus, & non timeant Deum, nec resipiscant. Verùm consideret ille similia contigisse in Ægypto, & quidem magis continuè magisque apertè à manu Dei per Moysen,

sen, & tamen Pharaonem cum populo suo permansisse in obstinatione contra populum Dei. Non minor, sed maior potiùs erit obduratio impiorum illius temporis: non enim credent hæc à Deo irrogari, sed fatali necessitate, & mundi quodam morbo euenire, qualia etiam sensere Stoici: vel si credant à Deo inferri, non tamen idcircò conuertentur, sed irascentur in illum, eumque blasphemabunt, quòd tantas calamitates inferat, vt aperte pluribus locis testatur Ioannes. Maximam vim in eorum animis habebit diabolus, qui tunc solutus erit.

CAPVT XIX.

De tempore quod supererit vsque ad excidium mundi.

107 DECIMO & vltimò cernetur iustitiæ diuinæ seueritas in extremo Iudicio, cuius nobis forma breuiter describenda cum ijs quæ ipsum antecedent & sequentur. Qua in re nobis sex consideranda sunt. Primum, Tempus quod vsque ad excidium mundi à cæde Antichristi supererit. Secundum, Ignis quo mundus vastabitur. Tertium, Mortuorum resurrectio & congregatio. Quartum, Aduentus Iudicis, eiusque sententia. Quintum, Executio sententiæ. Sextum, Pœnarum grauitas & æternitas.

Tranquillitas Ecclesiæ post eadem Antichristi.

Quod ad Primum attinet; Interfecto Antichristo, & eius exercitu cum præcipuis persecutoribus deleto, dabitur Ecclesiæ magna tranquillitas; & qui per loca deserta erant dispersi vel abditi, redibunt ad sedes suas; & qui ceciderant vi persecutionis, resurgent: & Religio Catholica rursum incipiet efferre caput, & publicè florere. Vtrum autem non ita diu post illam cladem impiorum sit futurum Iudicium, an adhuc ad aliquot annos extrahendum, dubium est inter Doctores. Quidam putant solùm ad quadraginta quinque dies differendum: propter verba Danielis cap. 12. vbi cùm Angelus indicasset Regnum Antichristi duraturum mille duecentos nonaginta dies, id est tres annos cum medio, & insuper diebus tredecim, addit: *Beatus qui expectat & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque.* qui numerus dierum superat priorem (qui est Regni Antichristi) diebus quadraginta quinque. Hinc colligunt multi Interpretes, inter quos S. Hieronymus in illum locum Danielis, hoc numero dierum indicari tempus, quod occiso Antichristo supererit mundo; quo expleto, quia Sanctis reddenda præ-

Sententia multorum, mundum solùm duraturum 45. dies post eadem Antichristi.

mia, idcircò *beatum* dici eum, qui ad terminum illius temporis peruenerit.

Refutatur hæc sententia.

Verùm multis non placet hæc interpretatio. Primò, Quia nihil 108
est quod cogit illum locum sic accipi: sicut enim minus accipient præmium qui antè mortui fuerunt, quàm qui vsque ad terminum illorum dierum vixerint. Vnde non videtur Angelus loqui de Iudicio & præmij collatione; sed potiùs de tranquillitate & felici statu Ecclesiæ, quo potietur, hostibus eius vbique interemptis, & infidelibus vndique ad eam accedentibus. Itaque *beatus erit qui tunc vixerit*: quia absque timore poterit Deum publicè colere: & si lapsus fuerit, poterit resurgere: si infidelis, facilè poterit conuerti, doctrina fidei vbique disseminata per illius temporis Concionatores. Secundò, Quia valdè credibile est, Deum concessurum plus temporis, vt Iudæi & alij infideles, quos ipse iam tot plagis, prodigiis ac terroribus ad fidem disposuit, possint instrui & conuerti; & vbi conuersi fuerint, Deum colere, eique gratias agere. Hoc enim pietati & misericordiæ diuinæ valdè consentaneum. Idcircò enim tot prodigia præmisit, & Antichristum cum suis deleuit, vt qui prostrati fuerant, possint resurgere, & omnes infideles conuerti. Hinc Liranus & Dionysius Carthusianus in cap. 5. Epist. prioris ad Thessalon. docent, occiso Antichristo, eiusque falsitate detecta, totum mundum ad Christum conuertendum; ita vt longè plures sint fideles quàm infideles. Tertiò, Quia si deleto Antichristo solùm quadraginta quinque dies supererent, certò posset præsciri dies Iudicij futuri, idque statim ab initio Regis Antichristi, quod sapientibus Ecclesiæ viris non erit ignotum. Hoc autem videtur repugnare sententiæ Domini Matth. 24. *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.* Hinc Dominus eodem capite indicat, aduentum suum ad Iudicium fore prorsus inopinatum, sicut diluuium; & se venturũ quando homines minimè putabunt, sicut fur venit noctu. Idem dicit Apostolus 1. ad Thessal. 5. *Cùm dixerint pax & securitas, tum repentinus eis superueniet interitus, & non effugient.* Denique Ezechielis 39. dicitur, cæso exercitu Gog & Magog (quem passim Doctores volunt esse exercitum Antichristi) tantam fore multitudinem cadauerum, vt Israëlitæ, id est, fideles, per septem menses sint occupandi in illis sepeliendis: & tantam copiam armorum & lignorum, vt septem annis sint ea combusturi ad focum domesticum, nec opus sit alia lignatione. Ex quibus verbis valdè probabiliter colligi potest, saltem ad septem annos

annos posteà mundum duraturum. Vix enim aliter verba Ezechielis accipi possunt, vt Barradius Tomo 3. lib. 9. cap. 7. & Ribera in cap. 20. Apocal. num. 7. contendunt.

Post Antichristi mortē verisimile est mundum adhuc 7. annis duraturum.

109 Nec obstat illud quod ait Dominus: *Cùm venerit filius hominis, putásne inueniet fidem in terra?* loquitur enim non de extremo Iudicio, sed de eo tempore quo veniet ad faciendam vindictam in maxima illa fidelium oppressione tempore Antichristi, quando clamabunt ad illum die ac nocte, vt colligitur ex adiunctis: tunc enim non diu *patientiam habebit, sed citò veniet*; quia non sinet illam persecutionem durare nisi tres annos & dimidium: quibus expletis, faciet vindictam delendo persecutores. Et hoc est quòd dicitur Matth. 24. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Eo tempore ita dominabitur impietas, vt rari sint futuri veri fideles comparatione multitudinis impiorum. Et sanè nisi hunc locum sic exponamus, vix apparet quomodo cum ijs quæ ibi de clamore electorum & vindicta dicuntur cohæreat. Accedit, quòd hic aduentus erit inchoatio quædam & veluti præparatio vltimi aduentus. Eamdem insinuat Barradius, addens, post illam vindictam fideles fore plurimos, & ferè totum mundum ad fidem conuertendum.

Luc. 18.

CAPVT XX.

De igne quo conflagrabit orbis.

110 EXPLETO tempore quod Deus post illam cladem ad conuersionem peccatorum definiuit, sequetur ignis conflagrationis. Dubium tamen est, Vtrùm ignis iste quo mundus conflagrabit, antecedet Iudicis aduentum, an secuturus sit. S. Augustinus lib. 20. De ciuit. cap. 16. & 30. apertè indicat, hunc ignem secuturum Iudicis aduentum & sententiam. Sed communis ferè sententia Doctorum est, hunc ignem anteceſſurum ipsum personalem aduentum & comparitionem Iudicis. Probatur primò Psal. 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. Annuntiauerunt cæli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius.* Hìc primò ponit ignem omnia exurentem, deinde Iudicis apparitionem. Quòd autem iste Psalmus sit de secundo Domini aduentu, quo iudicabit orbem, patet ex Apostolo ad Hebræos 1. Rursus

Ignis præcedet iudicium.

sus Psal. 49. *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Aduocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum.* Hìc rursùm ignis præcedit, & Iudicium sequitur. Isa. 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere increpationem suam in flamma ignis; quia in igne Dominus diiudicabit.* Dicitur Dominus *venturus in igne*, id est, cum igne, quia ignem præmittet, & per ignem tamquam per suum satellitem delere incipiet hanc mundanam ciuitatem, sicut olim deleuit per aquam: & hoc sensu dicitur *iudicaturus sæculum per ignem.* Idem ex eo confirmari potest, quòd plurimi iustorum non omnino puri ab omni labe vel reatu peccati, egebunt expiatione, ac proinde per ignem erunt expiandi, vt indicat Apostolus 1. Cor. 3. Hæc autem expiatio fieri debet ante sententiam Iudicis, vt planè purgati possint cum aliis rapi obuiàm Christo in aëra, & statim post sententiam cælum conscendere: non enim conuenit vt post sententiam purgentur. Idem communiter sentire videntur Patres, & ipsemet Augustinus libro 50. Homiliarum Homil. 16. quando ex Apostolo docent, *opus cuiusque igne probandum.* Debet ergo hic ignis præcedere Iudicium.

Triplex effectus huius ignis.

Primus est. Omnia corpora mixta dissoluere.

Porrò effectus huius ignis erit triplex. Primò, Dissoluere omnia corpora mixta in elementa. Cùm enim omnia illa ad vsum temporalis vitæ hominum condita sint, cessante illa vita nulli erunt vsui, ac proinde resoluenda sint in sua principia ex quibus compacta, & suis elementis restituenda. Itaque exuretur terra profundissimè, & omnia opera quæ in ea sunt: exurentur montes, & montium fundamenta: dissoluentur omnia saxa & metalla, & rupes instar ceræ liquescent: exuretur mare, ita vt consumatur quidquid in eo est terrenum vel concretum: denique exuretur quidquid in aëre est materiæ inflammabilis. Hæc omnia manifestè colliguntur ex Scripturis. 2. Petri 3. *Adueniet autem dies Domini tamquam fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.* Per *cælos* intelligit superiorem aëris partem, vapore & halitu inflammabili plenam. Hi cæli *magno impetu*, vel vt Græcus habet, *cum stridore* (ῥοιζηδὸν) instar procellæ ardentis transibunt. De iisdem cælis paulò pòst ait, *Per quem cæli ardentes soluentur.* Per *elementa* significat mare & inferiorem aëris partem, de quibus ibidem: *Elementa ignis ardore tabescent.* quibus verbis indicat, quidquid in illis est concretionis, soluendum. Quòd autem per *cælos* non intelligantur illi cæli, in quibus sol, luna, & stellæ; sed superior aëris portio pingui halitu

Qui cæli ardebunt.

111

ple-

plena, docet S. Auguſt. lib. 20. De Ciuit. cap. 18. & probatur ex verbis S. Petri. *Latet*, inquit, *eos hoc volentes, quòd cæli erant priùs, & terra, de aqua, & per aquam consiſtens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit.* Senſus eſt, Nolunt aduertere, olim (cùm Deus conderet mundum) *cælos fuiſſe conſtitutos ex aquis*, nimirum quando fecit firmamentum in medio aquarum, & diuiſit aquas quæ ſunt ſuper firmamentum, ab aquis quæ ſub firmamento, extenuando infinitam vim aquarum, & diffundendo per ſuperiores aëris regiones, quod factum die ſecundo: & *terram fuiſſe conſtitutam per aquam*, quando aquas quæ ſub firmamento congregauit in locum vnum, & per medium aquarum apparuit arida. Vtrumque factũ Dei verbo ſeu imperio. Vbi aduertendum, illud *de aqua*, ſeu vt Græcus textus habet, *ex aqua*, videri referendum ad cælos, & *per aquam* ad terram, idiotiſmo Hebræo, qualem habemus Pſalm. 67. verſ. 9. & Pſalm. 112. verſ. 5. & alibi. Sequitur: *Per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit. Per quæ*, Græcè δι' ὧν, id eſt per quos cælos, nimirum *quando cataractæ cæli apertæ ſunt, & pluit quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Ex quibus patet, cælos illos, quorum aquis mundus periit, eſſe ſuperiorem aëris regionem, infinitis aquis in auram extenuatis grauidam. Ac proinde eadem regio, ſeu idem cælum aëreum & aqueum debet intelligi, quando dicit, *cælos qui nunc ſunt, eiuſdem verbi imperio repoſitos reſeruari igni in diem Iudicij. Repoſiti* ſunt imperio diuino, quia cùm in terram eſſent quoad partem aquoſam effuſi, rurſum ſunt reſtituti in ſuum locum, vbi inſtar theſauri repoſiti, (τεθησαυρισμένοι) reſeruantur igni. Simili modo Pſalm. 32. dicitur: *Ponens in theſauris abyſſos.* Nec obſtat quòd dicat *cælos*, non *cælum*, quaſi loqueretur de multis; id enim prouenit ex Hebraiſmo, in quo cælum caret numero ſingulari.

Explicatur locus S. Petri.

Gen. 1.

Gen. 7.

112 His adde alia Scripturæ loca. Deuter. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima, deuorabitq; terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.* Vnde patet, ignem profundiſſimè penetraturum intra terram, & etiam ipſos montes, eorumque imas partes conſumpturum. Loquitur de igne qui ſuccendetur die nouiſſimo, qui erit dies iræ & furoris Domini, ardebitq; vſque ad inferni nouiſſima; quia continuabitur in corporibus damnatorum. Pſalm. 96. *Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.* De eodem ita ſcribit S. Ephræm Sermone de iis quæ poſt crucem reuelanda ſunt: *Quomodo tunc*

Ephræm.

fratres mei charissimi sustinebimus, quando igneum viderimus fluuium ab ortu solis vsque ad occasum cum furore manantem, & instar ferocis asperig. maris, montes & valles deuorantem, terram omnem, & quæcumque in ea sunt, exurentem? De *mari exurendo* non habemus locum expressum; colligitur tamen ex verbis S. Petri, cùm dicit, *elementa ignis calore soluenda*. est enim quid valdè mixtum & impurum, vnde debet dissolui & purgari. facile erit Deo per ignem accendere & dissoluere quidquid in mari est inflammabile. Hinc Apocal. 21. facta renouatione mundi, dicit Ioannes: *Et mare iam non est*. non quòd elementum aquæ sit abolendum (cùm ad constitutionem mundi pertineat tamquam vna ex principalibus eius partibus:) sed quia hoc mixtum quod propriè *mare* dicitur, non amplius erit, nec aqua, quæ est portio istius mixti, alueo eodem continebitur, ita vt speciem maris præbeat: sed erit limpida instar crystalli, terramque vndique operiet, sicut tempore diluuij, vt multi volunt: vel si non totam operiat, alia eius erit dispositio & forma quàm modò sit, cùm nauigationi & aliis vsibus nostræ mortalitatis inseruit. Hippolytus Oratione De consummatione sæculi: *Fluuius igneus egrediens cum furore instar maris sæui, exuret montes & colles, & mare delebit, & æthera inflammatione dissoluet. Delebit mare*, non consumendo aquarum naturam, sed purgando, sicut dictum est. Aget enim hic ignis non solùm vi naturæ, sed vt instrumentum diuinæ potentiæ; sicut ventus quo siccatæ aquæ diluuij, Genes. 8. Itaque non mirum, si possit breui tempore terram profundissimè exurere, montes, saxa & metalla dissoluere, & in ipsis aquis quidquid admistum est, absumere. Fient hæc omnia incredibili fragore & strepitu, saxis ignitis & cinere in aërem altissimè iectis, flamma fumo permixta in cælum exeunte, torrentibus sulphuris, & liquatorum vi ardoris saxorum passim decurrentibus. Si enim hæc omnia interdum in vno monte ardentes fiunt, idque cum tanta elementorum perturbatione, vt mundus periturus videatur: quid fiet, cùm tot montes & tota terra ab imo ardebit?

Mare exuretur.

Ignis iste aget vt instrumentum Dei.

Secundus effectus ignis erit iustorum purgatio.

Secundus effectus erit, purgare iustos, qui aliquid labis culpæ vel reatus pœnæ habuerint. Indicatur hoc apertè 1. Corinth. 3. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam; vnicuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit* 113

quod

quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Loquitur hic Apostolus de igne extremi Iudicij, non metaphorico, sed vero. Nam *dies Domini* in vero igne, id est cum vero igne, & per verum ignem reuelabitur, & adesse cognoscetur. Hic ignis probabit cuiusque opus. Si enim *opus tuum* fuerit sicut *aurum, argentum, lapides pretiosi*, nihil habens materiæ inflammabilis, id est, nihil quod dignum castigatione; nihil incommodi ex illo igne senties, sed mercedem statim accipies. Si verò tuum opus fuerit vt *lignum, fœnum, stipula*, quæ apta sunt vt igne conflagrent, detrimentum patieris: quia ardebit opus tuum, hoc est, ipse operans propter illud igne mulctabitur. Ipse tamen tandem saluus eris, sed quasi qui per ignem transiuit. Est similitudo accepta ab iis, qui super idem seu simile fundamentum construunt sibi domum ex diuersa materia, quam posteà ignis inuadit. *Exponitur locus Apostoli.*

Nec obstat, quòd quidam exponant hunc locum de igne Purgatorij: quia etsi Apostolus primariò & expressè tantùm loquatur de igne extremi Iudicij; tamen tacitè & secundariò etiam agit de igne Purgatorij, & hunc in illo vult intelligi. Sicut enim in extremo Iudicio ignis ille publicus probabit opera singulorum qui tunc viuent; aliorum dum eos non attinget nec lædet, aliorum dum eos affliget: ita in Iudicio particulari ignis Purgatorij, qui iam occultus, singulorum opera probabit. Nam eos qui omnino puri, non attinget; qui verò aliquid labis habuerint, affliget. Vide P. Cornelium, qui fusè & eruditè hunc locum Apostoli explicat.

Multi Patres existimant, omnes, quantumuis sanctos & puros, per hunc ignem transituros, & probandos. Origenes in Psalm. 36. Ambros. in eiusdem Psalm. Lactantius lib. 7. cap. 21. Basilius in cap. 4. Isaiæ. Sed hoc propriè non est verum, nisi de sanctis qui tunc viuent, quos ignis ille vel non attinget; vel si attinget, non affliget. Nisi fortè quis dicat, tempore resurrectionis hunc ignem omnia occupaturum, vt sancti nec resurgere, nec Christo occurrere nisi per ignem possint, qui tamen ab igne non lædentur.

114 Eamdem sententiam de purgandis iustis docet S. August. Homil. 16. De resurrectione lib. 50. Homiliarum. *Hi qui temporalibus pœnis digna gesserunt (de quibus Apostolus dicit, Si cuius opus arserit, detrimẽtum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.) per fluuium igneum, de quo Propheticus sermo memorat (& fluuius igneus currebat ante eum) per fluuium inquam igneum, & vada ferentibus* Daniel. 7.

uentibus globis horrenda transibunt: quanta fuerit peccati materia, tanta erit & transeundi mora: quantum egegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationalis disciplina: & quantum stulta iniquitas suggesserit, tantum sapiens pœna deseuiet. Vbi notandum, hunc ignem quasi ratione præditum, singulos cruciaturum plùs vel minùs, pro culpæ vel reatus quantitate: quia aget vt instrumentum diuinæ iustitiæ, manu potentiæ illius applicitum, vt etiam docet S. Thomas in 4. d. 47. versus finem. vbi dicit, omnes quidem tam bonos quàm malos hoc igne perimendos, & in cinerem vertendos, sed bonos, in quibus nihil purgandum, nullum dolorem sensuros: malos grauiter cruciandos, bonos verò in quibus aliquid purgandum, sensuros cruciatum ex illo igne plùs vel minùs, pro meritorum diuersitate. Idem modò seruatur in igne Purgatorij. sæuit enim ignis ille in eos qui purgantur pro delictorum grauitate, & reatus magnitudine.

Tertius effectus, Mundi lustratio & expiatio.

Tertius effectus erit, Mundi expiatio. Est enim hic mundus veluti templum Diuinitatis, quod Deus ad suum cultum & honorem condidit & sanctificauit. Hoc templum per infinita hominum & dæmonum peccata, per spurcitias carnales & spiritales multis sæculis fuit inquinatum: vnde priusquam renouetur ad statum gloriæ, expiandum erit. quæ expiatio sicut olim facta est per aquam, ita nunc fiet per ignem, qui aptissimus est ad hunc effectum. 115

Vtrùm ignis conflagrationis omnes perimet.

Sed dubium est, Vtrùm hoc igne omnes homines, qui tunc viui reperientur, sint perimendi, & in cineres vertendi. Plerique recentiores affirmant. Primò, Quia sine grandi miraculo non possent viui conseruari. Secundò, Quia Scriptura multis locis docet, omnes debere mori, ac proinde nulla videtur ratio cur tunc non moriantur. Tertiò, Quia sic omnes poterunt simul resurgere. Hæc sententia est facilis intellectu, & rationi humanæ valde consentanea. Negantem tamen partem sequuntur multi Patres & graues Auctores, qui docent, multos fore viuos quando mortui resurgent, & Dominus comparebit in Iudicio. vnde sequitur, eos non esse igne illo perimendos. Ita Hieronymus Epist. 148. ad Marcellam, vbi dicit id esse perspicuum ex verbis Apostoli 1. ad Thessal. 4. Epiphanius hæresi 64. pag. 288. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, in illum locum Apostoli: S. Augustinus libro 2. De peccatorum meritis c. 31. & ad Dulcitium q. 3. Ambrosius in 1. ad Corinth. cap. 15. & in cap. 4. prioris ad Thessalon. Anselmus ibidem, & multi recentiores, inter quos Iosephus à Costa, qui 116

qui hanc quæstionem exactè tractauit lib. 4. de Antichristo per multa capita.

Duo sunt loca Scripturæ quibus hæc sententia videtur euinci. Prior est 1. ad Corinth. 15. v. 51. vbi in textu Græco & Syro sic habetur: *Ecce mysterium dico vobis: non omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur: in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Dixerat antè Apostolus, carnem & sanguinem regnum Dei possidere non posse, nempe secundùm qualitatem terrenam & corruptibilem, in qua illam accepimus à primo homine terreno; sed debere illam mutari, & reddi incorruptibilem. Deinde explicat quomodo hoc futurum sit: Etsi enim, inquit, non omnes simus dormituri, id est, morituri; tamen omnes debemus immutari corpore, & fieri immortales, non egentes ampliùs cibo, potu, somno, &c. nam in ictu oculi, in nouissima tuba fient hæc duo, & mortui resurgent incorrupti, & qui tunc reperientur viui, immutabuntur corpore, & induent incorruptionem. Loquitur enim Apostolus iuxta hanc lectionem, non de omnibus hominibus, sed de iustis, qui regnum cælorum possidere debent. Hoc modo hunc locum legunt & intelligunt ferè omnes Patres iam citati, estque hoc sanè magnum arcanum anteà ignotum. Neque huic sententiæ obstat nostra lectio, quæ sic habet: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Quæ etsi in Græcis exemplaribus non reperiatur, teste Hieronymo Epist. 152. in fine: tamen est antiquissima, & à plurimis Patribus probata, & nobis amplectenda. Hæc enim intelligenda est de omnibus tam iniquis, quàm iustis, qui tunc mortui erunt. Agitur enim de mortuis seu dormientibus, vt de illis non contristemur, nec desperemus, vt patet ex Apostoli scopo. Vtrùm autem qui tunc viuent, debeant mori, ita vt egeant etiam resurrectione, ibi non quæritur. Vnde nostra lectio non repugnat superiori sententiæ.

Locus Apostoli 1. Cor. 15 expenditur.

147 Alter locus est 1. ad Thess. 4. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non præueniemus eos qui dormierunt: quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo; & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiàm Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* Hunc locum S. Hieronymus pro hac sententia putauit esse perspicuum: nam Epist. 148. ad Marcellam

Locus Apostoli 1. ad Thessal. 4. expenditur.

ita scribit: *Ex ipsius loci continentia sciri potest, quòd qui in aduentu Saluatoris fuerint deprehensi in corpore, in ijsdem corporibus occurrent ei: vt qualia corpora mortuorum surrecturà sint, in talem substantiam etiam viuorum corpora transformentur. Vide dicit in alio loco Apostolus: Propter quod nolumus exspoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur mortale hoc à vita, ne scilicet corpus ab anima deseratur, sed anima habitante in corpore fiat inclytum, quod ante fuit inglorium.* hæc ille. Et in Epist. 152. citat pro hac sententia Diodorum Tarsensem Episcopum, Theodorum Heracleotem, & Apollinarium: qui etiam apertè docent ex hoc loco, in aduentu Domini multos fore qui non moriantur, sed solùm immutentur. S. Augustinus q. 3. ad Dulcitium dicit, se aliter hunc locum intelligere non posse. *Quantum,* inquit, *ad verba Apostoli pertinet, videtur asserere, quosdam in fine sæculi, adueniente Domino, cuius futura est resurrectio mortuorum, non mortuos sed viuos repertos in illam immortalitatem, quæ ceteris sanctis datur, repentè mutandos, & simul cum illis rapiendos in nubibus. Nec aliquid aliud mihi vsum est, quoties de his verbis volui cogitare.* hæc ille. Addit tamen, se optare audire sententiâ doctiorum, qui id benè possint conciliare cum aliis Scripturæ locis, quibus significatur, omnes debere mori, &c. Eamdem sententiam de viuis non morituris apertè tradit lib. 2. De peccat. merit. c. 31. Eiusdem sententiæ est Epiphanius Hæresi 64. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius in Epistolam priorem ad Corinthios cap. 15. & in hunc locum Apostoli. Idem tenent multi recentiores, Caietanus, Faber Stapulensis, Erasmus, qui quidem omnes non solùm docent fore vt aliqui tunc viuant, sed etiam vt absque vlla morte commutentur, & superuestiantur immortalitate. De quo paulò pòst dicemus.

2. Cor. 5.

Confirmatur ex verbis Apostoli.

Confirmatur expendendo verba Apostoli: Si enim omnes qui 118
nouissimis temporibus viuent, ante Domini aduentum igne sint perimendi, nec Dominus vllos viuos, sed omnes mortuos immediatè ante resurrectionis tempus inueniet, & simul omnes dormient, & simul à mortis somno excitabuntur; nulla erat ratio cur Apostolus tam grauiter in verbo Domini asseueraret, eos qui tunc viuent, non præuenturos ad gloriam & immortalitatem eos qui tunc erunt mortui. Si enim debent mori & dissolui sicut alij, cur deberent præuenire eos qui diu anteà fuerant mortui? Verùm si Dominus multos reperiat viuos, suberat causa suspicandi eos solos corpore beandos, relictis ijs quorum corpora planè erant resoluta

&

& dissipata. Ad quam suspicionem amouendam Apostolus grauissimis verbis ex diuina reuelatione protestatur, tantum abesse vt mortui in Christo sint reliquendi in morte quoad corpus, vt viui qui tunc reperientur, non sint ante eos in corpore glorificandi; sed illos primùm resurrecturos corpore immortali, deinde viuos simul cum illis rapiendos obuiàm Christo in aëra. Vbi non ponit ordinem inter resurrectionem iustorum & iniquorum, vt quidam volunt; quia nulla facta erat mentio iniquorum, neque id ad rem propositam faciebat: neque inter resurrectionem iustorum, & eorumdem raptum: quia per se clarum est, debere eos priùs resurgere in corpore, quàm in corpore rapiantur: sed inter resurrectionem iustorum qui erant mortui, & raptum iustorum qui erant viui. quasi dicat: *mortui resurgent primi*, vel vt est in Græco *primùm*: deinde vbi illi resurrexerint, tunc hi qui erunt viui simul cum illis rapientur obuiàm Christo in aëra, & ita non præuenient illos ad gloriam. Vbi autem & quando illi sint immutandi, hic expresse non dicit; sed aperte indicauit 1. ad Corinth. 15. nempe id futurum eo momento, quo fiet mortuorum resurrectio, *in ictu oculi, in nouissima tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Quòd enim illud, *in ictu oculi*, referendum sit ad vtrumque membrum, aperte indicat tam in Latino, quàm in Græco, particula copulatiua bis posita. Vnde non videtur probandum, quòd S. Augustinus lib. 20. De ciuit. c. 20. & alij ipsum secuti existimant futuram hanc immutationem in raptu: conuenit enim fieri in terra ante raptum, dum alij resurgunt, vt simul omnes immortalitatem accipiant, & simul obuiàm Christo rapiantur, per intrinsecam glorioси corporis dotem.

Eodem momento fiet mortuorum resurrectio & viuorum immutatio.

Denique hæc sententia confirmari potest ex eo quòd Christus passim dicitur *iudicaturus viuos & mortuos.* Nihil enim aliud illa verba præ se ferunt, quàm tunc multos fore viuos, qui numquam fuerint mortui. *Mortui* enim ibi dicuntur, qui antè mortui fuerant, etiamsi nunc resuscitati viuant. *Viui* ergo dicuntur qui mortui nondum fuerant. Indicat hanc rationem S. Augustinus ad Dulcitium quæst. 3.

119 Ad ea quæ in contrarium obiiciuntur, respondetur. Ad primum, Fateor id fore magnum miraculum, quòd iusti illo igne non perimantur: sicut quòd tres pueri illæsi seruati in fornace Babylonica. Sed omnia tunc miraculis plena erunt. Ipse ignis & operatio eius miraculum erit; & omnia signa Iudicium præcedentia

Miraculo conseruabuntur iusti ne igne lædatur.

miraculosa erunt, vtpote vim causarum naturalium excedentia. Idem fere miraculum ponunt multi Auctores contrariæ sententiæ: nam docent, iustos quidem igne comburendos, sed absque vllo dolore, idque propter locum Apostoli 1. ad Corinth. 15. de quo suprà: cui tamen magis consentaneum est vt non consumantur, alioquin damnum per ignem paterentur.

Resp. ad Scripturas.

Ad secundum dici potest, iuxta Patrum illorum sententiam, non esse necessarium vt omnes moriantur reipsa, sed sufficere vt omnes qui sunt ex Adamo, necessitati moriendi sint subiecti. Sic *omnes* dici *mori in Adamo, mortem in omnes pertransisse.* Nec obstare illud Psalm. 88. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* Primò, Quia loquitur de hominibus illius temporis, vt colligitur ex verbis quæ sequuntur: *Eruet animam suam de manu inferi:* quibus idem significatur. Nunquam enim post Christi mortem iusti non amplius ad inferos descendunt. Secundò, Quia huiusmodi locutiones vniuersales plerumque patiuntur exceptionem, præsertim quando ipsa Scriptura aliis locis exceptionem illam indicat. Quid enim magis vniuersè dictum, quàm *omnes esse peccatores, omnes peccasse: neminem esse super terram qui non peccet*: & tamen scimus B. Virginem excipiendam. Similiter non obstare illud Apostoli: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Quia sicut omnes ex Adamo contrahunt necessitatem moriendi, & reipsa ad mortem tendunt; ita per Christum accipient immortalitatem & incorruptionem, etiamsi reipsa mortui non fuerint. *Viuificari* enim non solùm dicitur quod à mortuis excitatur, sed etiam quod à periculo mortis eripitur, & in vita conseruatur, vt ex plurimis versiculis Psal. 118. constat: multò magis quod ad immortalitatem traducitur. Denique non obstare illud Apostoli 1. Corinth. 15. *Insipiens, tu quod seminas non viuificatur nisi priùs moriatur.* Non enim vult probare Apostolus, omnes debere mori & putrescere sicut semen, sed facile esse Deo, eos qui mortui sunt & putrefacti excitare, & dare corpus glorioſum & incorruptibile.

Rom. 5.

2. Paral. 6. Psal. 13. Rom. 2. Rom. 5. 1. Cor. 15.

Ex his patet, hanc Patrum sententiam non repugnare Scripturis, cùm hæ conuenienter possint exponi. Vnde etiam S. Thomas 1. 2. q. 81. a. 3. indicat eam esse probabilem; & Magister in 4. distinct. 43. vtramque habet pro æquè probabili, nec esse humani iudicij hanc quæstionem definire.

Nihilominùs cum S. Augustino & multis aliis sentio probabi- 120
lius,

lius, & Scripturis congruentius, etiam ſios ſaltem momentanea morte defunctum iri: non quidem in aëre dum rapientur, (debent enim antè raptum eſſe beati & immortales;) ſed in terra eodem tempore quo mortui ad reſurrectionem diſponentur, vt ſimul omnes immortalitatem conſequantur, vt ſuprà oſtenſum ex 1. ad Corinth. 15. Illo enim breuiſſimo tempore quo corpora mortuorum formabuntur, etiã illorum corpora immutabuntur. Debent enim tolli omnes ſordes & humores ſuperflui, qui per totum corpus diffuſi, & ſingulis membris ac partibus conferri congruentiſſimum temperamentum, optimæ qualitates & figuræ, noui ſpiritus, & omnia ita aptari, vt conſonent animæ glorioſæ. Anima quoque ipſa debet particulare Iudicium ſubire, & præmium accipere lumen gloriæ. Quæ omnia vt fiant, conueniens eſt vt anima non ſit corpori connexa, ſed ad breuiſſimum tempus ab eo ſeparata. Corpore autem ritè ſic præparato, in momento anima, quæ loco non diſtabit, illi vnietur, & illud reddet glorioſum. Itaque hîc non interueniet vlla mors ſenſibilis, aut quæ exteriùs aliquod ſignum mortis præ ſe ferat, ſed videbitur ſola immutatio, & gloriæ ſuperueſtitio, non exſpoliatio aut dormitio: re tamen ipſa erit ibi mors & reſurrectio. Hoc modo videntur omnes Patres & Doctores, qui tunc aliquos viuos fore exiſtimant, optimè poſſe conciliari. Valdè enim credibile eſt, illos talem modum morendi non intendere negare: eſtque valdè rationi conſentaneus, & optimè congruit verbis Apoſtoli.

Omnes aliquo modo morituros.

Anima illorum qui immutabuntur debet ſubire Iudicium particulare, & accipere præmium.

CAPVT XXI.

De Reſurrectione mortuorum, eorumq; congregatione in locum Iudicij.

121 DVRANTE mundi incendio fiet reſurrectio mortuorum, eorumque ad locum Iudicij congregatio. Reſurrectio autem fiet hoc modo: Cum Dominus incipiet deſcendere de cælo, præmittet Angelos cum tuba, vt mortuos excitent, & conuocent ad Iudicium. Hac tuba perſonante, ſtatim in ictu oculi omnes mortui tamquam à ſomno excitati reſurgent, & comparebunt ſuper terram, & celerrimè in locum Iudicij transferentur. Vbi aduertendum eſt, ad reſurrectionem iſtam tria requiri. Primò, Vt particulæ materiæ ex quibus corpus eſt formandum, in vnum locum congerantur.

Tria ad reſurrectionem requirentur.

rantur. Secundò, Vt corpora formentur. Tertiò, Vt anima vniatur. Primum passim Doctores tradunt peragendum per Angelos. Quod non parum difficultatis habet. Primò, Quia omnium pænè corpora in millies mille particulas resoluta erunt, quarũ aliæ erunt in Oriente, aliæ in Occidente, aliæ apud Antipodes, aliæ in mari, aliæ permixtæ nubibus: ita vt innumeris locis vel vnius corporis particulæ sint colligendæ. Hoc ita esse patet, quia corpus humanum constat materia humida & sicca. Totum humidum, & simul bona pars sicci abit in vapores, qui sparguntur per totum orbem: siccum quod supersit rursus millies rigatum per pluuias & siccatum, sensim totum absumitur, & in auras dissipatur: vel terram impinguans facessit in herbas & gramina, quæ postea carpuntur à bestiis: hæ rursum comeduntur, vel putrescunt in terram, & similiter in vapores abeunt, quinetiam orbe per ventos deferuntur. Itaque cùm particulæ etiam vnius corporis tam innumeris locis sint dispersæ, non videntur ab aliquo Angelo tam breui tempore posse congregari. Totum enim tempus resurrectionis, simulatque insonuerit tuba, adeò breue erit, vt vix percipi possit; vt satis indicat Apostolus cùm ait: *In momento, in ictu oculi mortui resurgent.* Græcè ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, *in indiuisibili, in ictu oculi.* Quibus verbis significatur, illud tempus fore adeò breue, vt non possit percipi ab homine eius duratio seu extensio, sed videatur instar momenti. Loquitur autem Apostolus de toto resurrectionis opere, quod fiet simul atque insonuerit tuba; & non de sola corporis formatione, vel vnione animæ. Deindè non solùm innumeris locis erunt illæ particulæ dispersæ, sed etiam innumeris modis variatæ, & per innumeras rerum formas & species transfusæ. Vnde nullum inerit vestigium vnde cognosci possit, an ad aliquod corpus pertineant, an non: aut ad quod corpus, quámve animam sint referendæ. Tertiò, Multæ etiam ad plurima corpora pertinebunt, vt constat ex anthropophagis, quorum innumerabilis multitudo in mundo omnibus pæne sæculis fuit: quomodo Angeli scient cui corpori illæ restituendæ, & quomodo dispertiendæ inter tam multos.

An cineres colligendi per Angelos.

1. Cor. 15.

Vbi notandũ est, anthropophagiam iure naturæ esse illicitam tum ob alias causas, tum quia inducit confusionẽ corporum, miscendo in vno corpore partes materiæ corporalis, aliis corporibus in resurrectione debitas: tum quia impedit perfectam identitatem quæ alioquin esse deberet inter corpus quod cecidit, & quod resurgit. verbi gratia, Cyclops aliquis in Brasilia à puero carne humana educatus

catus comederit centum homines siue solus siue cum aliis: ex quibus tempore mortis extent in corpore ipsius centum libræ materiæ corporalis diffusæ per omnia membra. hæ centum libræ sunt aliis corporibus debitæ, & in illa deberent distribui, si in substantiam corporis Cyclopici conuersæ non fuissent: nunc autem non possunt integræ restitui illis corporibus, quia corpus Cyclopis non potest destitui tanta materia corpori suo necessaria: nam debet ita resurgere, vt quantum fieri potest sit idem quod cecidit, & quod resurgit: vnde necesse erit maiorem partem istius materiæ ipsi restitui, minore portione in alia corpora, quæ comesta ab eo fuere, distributa. Hinc fiet vt in ipso sit mixtio & confusio particularum quæ ad alia corpora pertinebant: & alia corpora careant multis particulis sibi alioquin debitis. quòd si omnes sint anthropophagi, similis erit in ipsis confusio: in qua quantum singulis restituendum qui comesti fuerint: & quantum ipsi qui comedit, sola diuina sapientia, non Angelica statuere potest. Attigi hanc rem breuiter in Opere De Iustitia lib. 4. cap. 3. dubit. 2. vbi inter alias rationes cur esus humanæ carnis esset illicitus, dixi quòd per eam magna ex parte confunderetur distinctio corporum in resurrectione. quod quidã heterodoxi in Austria non intelligentes, frustrà reprehendere sunt ausi, vt mihi retulit nobilis & ampliss. vir Carolus de Outselar Consiliarius: verùm ex his quæ nunc diximus, facilè intelligent. Quòd autem quidam putant, particulas illas in seipsis quasi multiplicandas, vt integrè in diuersis corporibus esse possint, sicut Christi corpus in augustissimo Eucharistiæ mysterio est in pluribus locis, absurdius est quàm vt refutatione egeat.

Quartò, Multa quoque in corporibus eorum qui vel mutili vel manci fuerunt, erunt supplenda, quod credibile futurum ex ijs particulis, quæ aliquando eidem corpori iunctæ fuerunt, & postea per calorem naturalem dissipatæ: quomodo Angeli has cognoscent & seligent? Omitto alia multa, quæ in hanc sententiam dici possent.

122 Ex quibus patet, etiamsi Angeli seruire possint in quibusdam cineribus colligendis, (quod satis est ad Doctorum illorum sententiam sustinendam;) non tamen in omnibus particulis quæ ad corporis totius constitutionem pertinebunt. Itaque valdè credibile est, hoc totum virtute diuina peragendum, cui omnes illæ particulæ notissimæ: quæ omnes illas ex infinitis locis, etsi infinitis rebus permixtæ sint, potest imperceptibili tempore in vnum locum col-

colligere, ſicut partes illæ, ex quibus corpus Adami compactum & formatum à ſolo Deo coactæ. Nec obſtat, quòd Dominus dicat ſe *miſſurum Angelos cum tuba, qui colligant electos à quatuor ventis*, (vnde colligũt quidã Doctores collectionem cinerum per Angelos faciendam) quia non loquitur de collectione cinerum, ſed electorum iam reſuſcitatorum, qui ex omni plaga mundi reſurgent. Hæc tamen collectio cinerum ſeu particularum ex quibus corpus formandum, non fiet in puncto temporis Mathematico: nihil enim opus eſt tam ſtupendo miraculo. Si enim fieret in puncto, vel transferrentur illæ particulæ per medium, vel ſine medio. Per medium transferri nequeunt; quia eodem temporis puncto deberent eſſe in omnibus locis mediis, & ſimul in termino. quod ſine replicatione & quaſi multiplicatione illarum fieri nequit. Neque etiam ſine medio transferri poſſunt, niſi in termino *à quo* deſinant conſeruari, & in termino *ad quem* eodem temporis puncto reproducantur. Quæ omnia etſi Deo poſſibilia, tamen minimè neceſſaria. Itaque ſufficit vt in tempore fiat hæc tranſlatio ſeu collectio, quod tamen ob breuitatem ſit imperceptibile.

Collectio cinerum non fiet in puncto temporis, ſed tempore breuiſſimo & imperceptibili.

In quem verò locum ſint hæ particulæ congregandæ, incertum eſt. Credibile, congerendas ad monumenta, vel ſi non habuerunt monumenta, in eum locum vbi plus materiæ illius corporis remanſerit. Poſita hac materiæ collectione, ſubitò diuina virtute omnia corpora formabuntur, & accipient diſpoſitiones animæ ſuæ congruentes. Non tamen fiet hæc formatio in inſtanti, quia requirit motum localem; ſed tempore imperceptibili, in cuius vltimo inſtanti in quo ipſa formatio complebitur, vnietur anima corpori, & complebitur reſurrectio. Vnde ſi reſurrectio accipiatur pro vnione animæ cum corpore, fiet in inſtanti: ſi autem accipiatur pro tota illa operatione, qua particulæ colliguntur, & in corpus humanum formabuntur, ſicut paſſim accipi ſolet, fiet in tempore, ſed breuiſſimo & imperceptibili.

Formatio corporum non fiet in inſtanti.

Petet aliquis, Vtrùm non ſolùm corpus, ſed etiam ſingula membra, viſcera & artus debeant formari ex iiſdem particulis materiæ, quibus anteà conſtiterunt? S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 89. putat id non eſſe neceſſarium, exemplo ſtatuæ quæ refuſa eſt eadem, etiamſi membra eius non iiſdem materiæ partibus conſtent: ſimili modo ſufficere, vt ſit eadem materiæ maſſa, qua corpus conſtabit, etiamſi membra non iiſdem conſtent. Verùm contrarium tenendum eſt: alioquin non eſſent eadem oſſa, eædem venæ, arteriæ,

Singulis membris ſua reſtituetur materia.

riæ, nerui, eadem viscera, eadem membra, idem pectus, idem caput, eadem pellis, eadem caro, non enim eadem esset materia illarum partium post resurrectionem, quæ antè fuit: ac proinde non esset idem numero corpus organicum, etiamsi totum corpus sit ex eadem materiæ massa. Deinde, nulla est ratio cur singulæ particulæ non restituantur suis membris & locis, cùm Deo id æquè sit facile, & planè necessarium sit ad perfectam identitatem corporis e surgentis. Non enim si materia sit diuersa, erit verum dicere, eadem numero membra, eadem ossa, eamdem carnem resurrecturam; quod Scripturis non est consentaneum. nam Iob 19. dicitur: *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Loquitur de pelle, carne & oculis quæ tunc habebat. Statua refusa non est eadem numero, sed speciè tantùm, nam forma diuersa numero, & membrorum materia similiter. Denique non solùm singulæ particulæ materiæ suis membris & locis restituentur, sed etiam formæ eædem partiales: alioquin non esset eadem numero caro, idem os, idem cerebrum, &c. Formas etiam accidentarias credibile est easdem fore, quantum conditio corporis ad incorruptibilem & glorioſum statum perfectè reformati patitur: omnes enim resurgent perfecti & integri, etiamsi hîc fuerint mutili: omnes in statu perfectæ ætatis, in quo creati primi parentes. Nulli ibi corpore pusillo, vt nani, vel infantes: nam id prouenit ex defectu materiæ, vel virtutis seminalis, vel ætatis, estque magna naturæ imperfectio. Oportet vt illud opus, quod proximè solius Dei manu plasmabitur, sit omnino perfectum, absque vllo naturæ defectu, non solùm in electis, sed etiam in reprobis: vt docet D. Thom. in 4. d. 44. etsi in electis credibile sit, etiam naturalia fore magis eximia quàm in reprobis.

125 Tria supradicta opera, nempe collectio cinerum, formatio corporum, vnio animarum cum suis corporibus, & consequenter resurrectio, peragentur ad nouissimæ tubæ sonitum, vt constat ex Apostolo 1. Corinth. 15. qui talis erit, vt statim ab omnibus toto orbe exaudiatur. Nam immediatè ante resurrectionem incipiet, & post resurrectionem continuabitur saltem tam diu, vt ab omnibus iam excitatis exaudiri possit: nam vt Dominus ait Ioan. 5. *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei*, id est, omnes mortui audient vocem quæ imperio Christi ab Angelis die nouissimo edetur; *& omnes qui audierint, viuent*, id est, statim vitam in corpore

Sensus tubæ audietur à mortuis.

accipient, & sic resurgent. Vbi etiam indicatur, mortuos audituros hanc vocem ante resurrectionem, & per hanc vocem auditam excitandos ad vitam. Caietanus in hunc locum, putat sermonem esse metaphoricum, vt mortui dicantur audire, non quòd sint percepturi illam vocem, sed quia instar audientium, voci obedient, & resurgent. Sed verius videtur, mortuos audituros hanc vocem ante resurrectionem, non auribus corporis, sed vi animæ, quæ etiam suum auditum habet, quo voces percipere & audire possit; sicut Angeli & dæmones voces audiunt: alioqui non benè intelligi potest, quid sibi velit illud, *& qui audierint, viuent:* videtur enim ταυτολογία, si sic exponas, qui obedierint voci, viuent. Itaque mortui corpore, ratione animæ dicuntur audire. Ad hunc auditum subitò, animæ sistentur suis corporibus, tanquam vi istius vocis impulsæ, & eadem celeritate ipsa corpora componentur, & animæ vnientur, & ita eamdem vocem etiam auribus corporis percipient. Hinc colligimus, hanc vocem fore causam resurrectionis non physicam, sed moralem: nam ex vi diuini decreti habebit sibi annexam & quasi vnitam diuinam potentiam, eamque applicabit ad hunc effectum producendum. Simile fuit in voce Domini, cùm Lazarum excitans dixit: *Lazare, veni foras*; vel cùm adolescenti, *Adolescens, tibi dico, surge*; vel puellæ, *Talitha cumi. Puella surge*. Per hanc enim vocem, omnipotentiam suam ad hunc effectum applicauit, & ipsi mortui per animam hanc vocem percepere.

Voce tuba fiet congregatio electorum.

Hac voce congregabuntur electi ex omni parte orbis ad locum 126
ipsis destinatum in Iudicio, sicut olim apud Iudæos sono tubarum solet fieri congregatio: quod statutum à Domino Numeror. 10. Indicat id Dominus Matth. 24. cùm ait: *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum.* At quomodo congregabunt eos, nisi conuocando tubarum sono? Non enim opus erit eos transferre, cùm dote corporis glorioſi sponte possint Christo obuiàm occurrere, & rapi in aëra. *Congregabunt eos à quatuor ventis*, id est, ab Oriente & Occidente, Meridie & Septemtrione, hoc est, ex omni orbis parte; nam vbique fiet resurrectio. Idem significatur illis verbis: *A summis cælorum*, &c. Græcè ἀπ' ἄκρου οὐρανῶν, id est, *ab extremis cælis*; ἄκρα enim significat extrema quælibet, siue sint summa, siue infima, siue dextra, siue sinistra. Noster Interpres passim vertit *summa*; vt Deuter. 4, 32. Psal. 18, 6, 7. Marc. 13, 27. Vnde sensus est: *Congregabunt electos ab extremis cælorum*

lorum vsque ad terminos eorum: id est, quotquot ab vno extremo vsque ad alterum inuenientur. Porrò idem est, *ab extremo cæli,* & *ab extremo terræ*, vt patet ex Marco loco notato: quia cælum videtur coniungi terræ in horizonte, & superficies terræ vndique ad cælum extendi. Loquitur enim Scriptura populariter, non Philosophicè.

127 Petes, Vtrùm plures sint futuræ tubæ, an vna tantùm, qua omnes excitentur? Plures fore docet Chrysostomus 1. ad Thessal. 4. Oecumenius ibidem, & S. Anselmus in Elucidario. Hoc puto verius, nempe, plures fore per orbem (etsi fortè vno loco tantùm sit vna) vt vbique mortuis supra caput intonet: nam etiam apud Antipodes audiri debet. Deinde si vnica foret, non nisi longo tempore sonus eius per orbem deferri posset, vt patet ex tonitru, & bombo tormentorum. Atqui simul vbique exaudiri debet, vt simul fiat omnium resurrectio & immutatio viuentium. *Plures erũt tubæ per orbem.*

Dices, Miraculo vbique simul exaudiendam; nam etiam apud inferos audietur. Respondeo, Non auribus corporis ibi audiendam, sed spiritali modo, sicut à dæmonibus audiuntur inuocationes magorum: ad quod opus non est sonum procul deferri. Deinde, idem probari videtur verbis Domini suprà allatis: *Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius.* Si vna tantùm erit tuba, non opus erit mittere multos Angelos, quia vnus solus sufficiet qui tubam inflabit: nam per tubam fiet electorum congregatio. Itaque plures erunt tubæ, & plures Angeli, qui ad iussum Archangeli eodem momento vbique terrarum tubas suas inflabunt: sicut ad iussum præfecti in naui omnes remiges simul in remos consurgunt. Hanc enim similitudinem insinuat Apostolus 1. ad Thessal. 4. cùm ait: *In iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo. In iussu*, Græcè ἐν κελεύσματι, quod propriè significat imperium & adhortationem præfecti in nauibus, vt remiges in remos alacriter incumbant. Vtrùm autem huic tubæ coniungenda sit vox articulata: *Surgite mortui, venite ad Iudicium*, incertum est. Vtraque pars suos habet Auctores. Caietanus, Iansenius, Maldonatus, & multi alij negant. Ipse enim tubæ sonus hoc ipsum sufficienter significabit, vt non sit opus alia voce: sicut etiam significabit aduentum Iudicis. Nec obstat illud, *cum tuba & voce magna*: quia illud & non habet vim copulæ, sed expositionis. & textus Græci habent, *cum tuba vocis magnæ*. Quod verò ad reprobos attinet, opus erit pluribus Angelis: quia, vt Do-

Matth. 13. minus ait: *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum*; nimirum vt transferant ad Iudicij locum. quod breuissimo tempore ab vno peragi nequit. Itaque ad congregandos electos, solùm opus erit Angelis illis qui tubas inflabunt: ad reprobos verò, quia seipsos transferre non poterunt, opus erit aliis qui illos transferant. Quidam putant hos transferendos per dæmones. Sed reus reum sistere non solet: nec ipsi possent tanta celeritate. Fiet ergo per Angelos Iudicis ministros ac satellites, non sine speciali diuinæ potentiæ auxilio, vt res celerrimè transigatur.

Reprobi per Angelos congregandi.

Vallis Iosaphat locus Iudicij. Act 1, 11. Quod ad locum attinet in quo congregandi reprobi, communis sententia Patrum & Doctorum est, esse vallem Iosaphat, quæ est iuxta montem Oliueti prope Ierusalem. Colligitur ex c. 3. Ioëlis. *Ecce*, inquit, *in diebus illis, & in tempore illo cùm conuertero captiuitatem Iuda & Ierusalem* (id est, cùm Iudæi fuerint conuersi:) Matth. 13. & 24. Apoc. 14. *congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hereditate mea Israel.* Et infrà: *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat: quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu.* Quibus locis agi de extremo Iudicio, manifestum est ex toto illo capite: agitur enim ibi de temporibus nouissimis quibus conuertentur Iudæi, & exercitus impiorum cum Antichristo delebitur, & erunt signa in sole, luna, & stellis; & messores Angeli falcem in messem immittent, & vindemiam vineæ humani generis facient, & torcularia impiorum sanguine ac suppliciis redundabunt. Quæ omnia ad extrema tempora pertinere, etiam ex Euangelio & Apocalypsi constat. Itaque in valle Iosaphat fiet hæc congregatio. Congruit id etiam aliis mysteriis, nimirum, vt in illa regione ipse iudicet omnes, vbi pro omnibus ipse iniquè iudicatus: ibique conspiciatur eius maiestas, vbi anteà visa est eius abiectio & humilitas: vt ibi descendat de cælo, vnde ad cælum ascendit; & sic totum opus salutis nostræ, eodem loco quo inceptum & prouectum est, compleatur & terminetur. Act. 1, 11. Indicarunt idipsum Angeli, quando Dominus ad cælum ascendit. Denique Iudæa in medio terræ. Non tamen existimandum, omnem illam multitudinem hac valle continendam: satis est ibi meditullium constitui, etiamsi per plurima milliaria in omnem partem se diffundat. 128

Dices: Iosaphat idem est quod *Dominus iudicauit*; ergo quiuis locus Iudicij potest dici vallis Iosaphat, quia est vallis in qua Dominus iudicabit. Respondeo: Si etymon spectemus, verum est. Simili 129

milli modo quiuis locus in quo Christus nasceretur, posset dici Bethlehem, id est *domus panis*; quia Christus est panis: non tamen idcircò dubium erat, vbi Christus nasciturus esset; quia eo nomine peculiariter certum oppidum vocabatur. Quare cùm Scriptura dicat Iudicium futurum in valle Iosaphat, & vna tantùm sit vallis quæ sic peculiariter appellatur; de illa id intelligendum. Alioquin plurimæ Scripturæ per nominum Hebraicorum interpretationem eludi poterunt, vel incertæ reddentur. Vide Iosephum à Costa lib. 4. De temporibus nouissimis c. 13. & 14. vbi etiam hanc sententiam confirmat, ex cap. 14. Zachariæ. Indicat enim Zacharias montem Oliuarum (iuxta quem vallis Iosaphat) scindendum in quatuor partes, vt fiat maxima planities, in qua excipiantur iudicandi.

CAPVT XXII.

De comparitione Iudicis, eiúsque sententia.

130 TRIA nobis hîc sunt explicanda: maiestas Iudicis, reorum discussio, & sententiæ prolatio. Quod ad primum attinet; simulatque omnes iudicandi congregati fuerint, reprobi quidem in valle Iosaphat, electi verò in aëre, incipiet in sublimi comparere Iudex sensim descendens cum summa potentia & gloria, circumdatus nubibus. Colligitur ex verbis Domini: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate.* Matth. 24. item: *Cùm venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes.* Cap. 25. Eadem habentur apud Marcum & Lucam. Marci 13. Idem insinuauit Dominus cùm staret coram Concilio Iudæorum Lucæ 21. iam comprehensus: *Verumtamen*, inquit, *dico vobis, amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Matth. 26. Vbi tangit duo loca Scripturæ, quæ hanc eius gloriam declarant: quorum alter ex Psalmo 109. alter ex cap. 7. Danielis.

131 idem multis aliis Scripturæ locis insinuatur. Ex quibus septem circumstantiæ colliguntur, quæ multùm ad Iudicis maiestatem facient. *Septem circumstantiæ ad maiestatẽ Iudicis pertinentes.*

Primò, Quòd signum Crucis illustri & augusta specie apparebit in cælo. indicat hoc Dominus, cùm ait: *Tunc parebit signum Filij hominis in cælo.* Matth. 24. per quod signum omnes ferè Patres & Doctores

intelligunt *signum Crucis*: qui planè est sensus Ecclesiæ, quæ in Officio canit, *Hoc signum crucis erit in cælo cùm Dominus ad iudicandum venerit.* Quidam putant, ipsam crucem in qua Dominus pependit, diuinitus instaurandam, & ibi apparituram. Verùm ad hoc opus esset multis miraculis, quæ sine necessitate non sunt multiplicanda. Deinde, hæc minor est quàm vt toti orbi possit esse conspicua. Tertiò, non apparebit vt adoretur, (ad quod ea quâ Dominus suo cruore consecrauit videretur aptior;) sed vt maiestatẽ Iudicis repræsentet, & iniquos confundat & redarguat. Denique, non dicitur Crux Christi apparitura in cælo, sed *signum crucis, signum Filij hominis*. Vnde verisimilius est, ex aëre vel nubibus formandam ingentem quamdam & lucidam Crucis figuram, quæ ab omnibus conspici longissimè possit. Multi Patres dicunt illam fore splendidiorem sole. Hoc signũ vel ante ipsum Iudicem aduentantem ab Angelis deferetur, sicut antẽ Imperatorem labarum & insignia Imperij deferri solent: vel certo loco fixa in cælo ante Iudicis aduentum conspicietur, vt omnibus sit indicio ipsum mox adfuturum. Multa hæc Crux significabit. Primò Iudicem per crucem sibi hanc gloriam & potestatem iudiciariam comparasse. Secundò, Ipsum pro salute omnium crucem sustinuisse; ac proinde esse inexcusabiles, qui tantam misericordiam neglexerunt. Hinc maximè turbabuntur Iudæi & Gentiles, qui Christo & sectatoribus eius crucem improperabant, & eos persequebantur. Tertiò, Omnes Crucifixi cultores & amatores iam esse exaltandos, & omnes eius osores deprimendos. Non est dubitandum, quin hæc apparitio sit futura valdè mirabilis, & magnos motus animorum, præsertim in impiis, excitatura; cùm Dominus speciatim huius rei meminerit, & addat: *Tunc plangent omnes tribus terræ*, nempe omnes iniqui aspectu Crucis exulcerati & perturbati.

Thomas V Valdensis tom. 3. c. 158.

Chrysost. Theophyl. Euthymius. Ephræm. Methodius.

Secundò, Quòd Iudex apparebit in corpore glorioso, supra solis fulgorem splendido. Insinuatur id, vt quidam volunt, Isaiæ 24. *Erubescet luna, & confundetur sol, cùm regnauerit Dominus exercituum.* quasi dicat, Ita vincet maiestas & splendor Christi splendorem solis, vt sol meritò possit erubescere. Puto tamen alium esse istius loci sensum, & Prophetam loqui de obscuratione istorum luminarium instante Iudicio. Idem indicatur apud Euangelistas, cùm dicitur *venturus cum maiestate*; id est, cum gloria: Græcè enim est, μετὰ δυνάμεως & δόξης πολλῆς, *cum potestate & gloria multa.* quam gloriam noster Interpres sæpè claritatem vocat. Et sanè *si iusti tam-*

In corpore glorioso.

132

quam

quam sol fulgebunt in regno Dei, multò magis ipse Dominus iustorum.

Tertiò, Quòd veniet comitatus omnibus Angelis, vt apertè habetur apud Matthæum: *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua* (in gloria sua) *& omnes Angeli cum eo*. idem significatur cùm dicitur *venturus cum virtute multa*, siue *cum potestate magna*; significatur enim exercitus Angelicus cum quo descendet, qui erit innumerabilis. Valdè credibile est, Angelos omnes apparituros in corporibus splendidis; alioqui hæc Christi gloria & potentia non posset videri ab impiis, quorum tamen causa præcipuè exhibebitur; neque externam eius maiestatem, (quam describere vult Scriptura) ille exercitus augeret. Cùm ergo innumerabilis sit Angelorum multitudo, longè lateque supremæ aëris regiones vndique per multa millia milliariũ vsque ad cælos ipsos replebunt, & immensi exercitus speciem præbebunt. His accedet ex parte dextra innumerabilis multitudo electorum in corporibus glorioſis, qui omnes similes erunt Angelis. Vnde impij in terris eos ibi cum Angelis videntes dicent: *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Filios Dei & Sanctos* vocant Angelos, quos cum Iudice viderunt descendentes. His omnibus tamquam ministris & satellitibus Dominus cinctus erit. Ab his omnibus tamquam Dominus, & Rex, & Deus adorabitur iuxta illud Psal. 96. *Et adorent eum omnes Angeli eius*, quod in secundo aduentu adimplendum indicat Apostolus ad Hebr. 1.

Cum omnibus Angelis. Matth. 25.

Omnes Angeli in corporibus splendidis apparebunt.

Sap. 5.

133 Quartò, Quòd venturus cinctus nubibus. Hoc multis locis Scriptura commemorat, tamquam ad maiestatem Iudicis mirificè faciens, vt Danielis 7. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat*. Idem habetur apud Matthæum, Marcum, & Lucam. Idem Dominus coram concilio ex Daniele produxit. Denique, sicut cùm ascendit in cælum, nubes eum suscepit; ita in nubibus descendere debet. Putant aliqui, has nubes fore procellosas, ignem & fulmina iaculantes, iuxta illud Psalmi 49. *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida*. quam sententiam probat Barradius, si dicamus, partes superiores harum nubium fore splendidas, inferiores procellosas, igne & fulminibus grauidas.

Cinctus nubibus.

Act. 1.

Quintò, Quòd sessurus *in sede maiestatis suæ*, vel vt Græcus habet, *in throno gloriæ suæ*: Matth. 25. Christum in Iudicio sessurum in throno Scriptura multis locis docet: Daniel. 7. *Aspiciebam donec thro-*

Sedebit in throno augustissimo.

throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. hîc Danieli ostensi duo throni iudiciorum, alter pro *antiquo dierum*, quo significatur Deus Pater, vel ipsa Diuinitas in tribus personis subsistens, & inuisibiliter iudicans; alter pro *Filio hominis cui Pater omne iudicium dedit*, nempe vt visibiliter iudicet. Apoc. 20. *Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & cælum, & locus non est inuentus eis.* Hoc dupliciter intelligi potest. Primò, tantam fore maiestatem & gloriam sedentis in illo throno, vt quidquid est in cælo, & in terra, comparatione illius sit instar nihili. quod verum est, si Diuinitas eius consideretur. Secundò, tantam fore eius maiestatem & potentiam, vt ad eius imperium terra & cælum sint peritura, amissa pristina forma, seu specie externa, & in nouam commutanda, iuxta illud Apoc. 21. *Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia.* Forma huius throni erit augustissima, qualis decet maiestatem tanti Iudicis.

Matth. 25. *Omnes ante illum congregandi.*

Sextò, *Quòd ante illum*, id est, coram illo, *congregabuntur omnes gentes*, nimirum omnes, quotquot ab initio mundi vsque ad finem toto orbe extiterunt. Neque solùm omnes gentes, sed etiam omnes dæmones. itaque tota natura rationalis ibi aderit. Idem multis aliis Scripturæ locis habetur. Psal. 85. *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.* ad Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi. scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Neque solùm aderunt omnes homines, sed etiam omnes dæmones: nam & hi quoque publicè iudicandi. Insinuatur id Psalmo 109. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Omnes inimici Christi (inter quos dæmones imprimis) tunc erunt subiecti pedibus eius instar scabelli: omnes vt Rei pedibus Christi substrati iacebunt, ipse in sublimi solio sedebit vt Iudex. Tunc *in nomine Iesu omne genu flectetur, cælestium, terrestrium & infernorum* (id est, omnes illum & homines, & dæmones, & Angeli sancti adorabunt) *& omnis lingua confitebitur illum esse in gloria Dei Patris.* id est, illum esse filium Dei, & consortem gloriæ paternæ. Tunc implebitur illud quod dixit Dominus Caiphæ & Concilio Iudæorum: *Videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*, id est, in ea gloria, vt iudicetis illum esse consortem eiusdem throni & potestatis. Mirabile spectaculum, in sublimi aëre videre in corpore glorioso sedentẽ in throno splendido, circumfusum innumeris Angelorum legionibus totum hemi-

134

Philip. 2.

Matth. 26.

sphæ-

sphærium vsque ad cælum occupantibus, stipatum ad dextram immenso beatorum hominum exercitu, qui omnes instar solis splendebunt: infernè in terra ad sinistram, infinitam multitudinem damnandorum humi prostratam, gementem, vlulantem, vociferantem, quæ superficiem terræ longè lateque occupabit; furentibus in eos dæmonibus, & omnem rabiem suam in miseros illos effundentibus. Valdè enim credibile, etiam dæmones in corporibus apparituros: vel quia alioqui ab impiis videri non possent, vel quia pertinet ad Christi gloriam & impiorum confusionem vt videantur.

135 Septimò denique, ad gloriam Christi Iudicis faciet, quòd ipse non iudicabit alienos subditos, sicut Proreges & Gubernatores à supremo Principe constituti, sed proprios seruos: omnes enim & Angeli & homines eius serui sunt. Angeli tam boni quàm mali triplici titulo. Primò, Ratione creationis; & sic sunt serui Christi, quatenus ipse est Deus & creator omnium. Secundò, Ratione vnionis hypostaticæ: per hanc enim iste homo secundùm naturam humanam factus est omnium Dominus per excellentem potestatem & ius eminentissimum inter omnia iura & potestates quæ infra ius Diuinitatis cogitari possunt. Tertiò, Ratione meriti, quatenus se humiliando vsque ad mortem crucis, meruit exaltari supra omnia, & fieri omnium Dominus & Iudex, vt Apostolus ait ad Philip. 2. & ad Rom. 14. v. 9. & 11. non quòd alia sit dignitas aut potestas quam habet ex vi vnionis hypostaticæ, alia quam accepit ex merito suæ humiliationis & obedientiæ; sed quia hanc duplici titulo habet, & ex merito accepit eius exercitium, vt indicatur illis verbis Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* & ad Philip. 2. Homines verò sunt subiecti Christo quadruplici titulo: nam præter hos præfictos est titulus redemptionis, quatenus pro illis pretium Sanguinis sui dedit, vt eos à morte liberaret, & sibi seruos efficeret. Itaque iudicabit proprios seruos, & propria auctoritate quam à se habet, nempe à sua persona & suo merito. Hæc de gloria Iudicis.

Suos subditos vt seruos iudicabit, non alienos.

Angeli triplici titulo serui Christi.

Homines quadrupliciter.

136 Sequitur vt dicamus de iudicandorum discussione. Sicut inter homines, Iudice sedente pro tribunali, adductis illis qui pœna vel præmio afficiendi, proponuntur facta singulorum publicè coram omnibus, vt omnes ea intelligant, & videant sententiæ æquitatem: ita in magno illo & supremo tribunali publicè proponentur omnium facta, dicta, cogitata, quæ præmio vel pœna digna; ita vt

Discussio iudicandorum.

omnes & singuli de quouis intelligere possint, quid boni vel mali tota vita fecerit. Hæc manifestatio vocatur discussio & examen Iudicis, quia pariet illam notitiam in omnibus, quæ per examen & multas interrogationes obtineri solet, & multò maiorem. Est quidem hæc res valdè stupenda, tamen de ea nullo modo dubitandum, cùm multis locis tradatur in Scripturis. Daniel. 7. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* id est, Iudex sedit, & mox omnium conscientiæ patefactæ, seu omnium opera, quorum sibi homo vmquam fuit conscius. In quem locum S. Hieronymus: *Conscientiæ & opera singulorum in vtramque partem, vel bona vel mala omnibus reuelabuntur.* Apoc. 20. *Vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex ijs quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum.* Hic ponuntur duo libri, qui nunc quidē clausi, sed tunc aperientur, nempe, Liber vitæ & Liber conscientiæ. *Liber vitæ* est, in quo continentur nomina eorum qui vitam æternam obtinebunt, & eorum bona opera. hic liber est memoria diuina, in qua ista omnia singulari modo descripta. Iste liber aperietur eo ipso quo omnes saluandi resurgent in corporibus glorioſis, & rapientur obuiàm Christo in aëra, ibique Iudici ad dexteram adstabunt: hinc enim omnes certissimè cognoscent quinam sint electi, & destinati ad vitam æternam. Liber conscientiarum non est vnicus sicut liber vitæ, sed multiplex, pro multitudine iudicandorum: singuli enim ex propria conscientia, & ex ijs quæ ipsi in sua conscientia scripserunt iudicabuntur. Denique Apostolus 1. ad Corinth. 4. *Itaque nolite ante tempus iudicare,* (nempe de ijs quæ nunc occulta sunt) *quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & tunc laus erit vnicuique à Deo. Illuminabit abscondita tenebrarum,* id est, ea quæ nunc latent veluti in tenebris, (eò quòd à nobis sciri non possint) ponet in lumine vt ab omnibus videri possint, sicut colores & formæ rerum quæ noctu latent in tenebris, sole illustrantur, & omnibus fiunt conspicuæ.

Hieronymus

Duo libri in Iudicio, liber vitæ & conscientiæ.

Petes, quomodo id fiet? Respondeo: Illuminando mentem cuiusque, tum circa propria facta, tum circa aliena, vt docet S. Augustinus lib. 2. De Ciuit. cap. 14. Ad quod requiritur primò, vt quilibet reducatur in memoriam omnia bona & mala quæ vmquam fecit, cum omnibus circumstantiis necessariis. Secundò, Vt mentem illuminet ad ea secundùm iustitiæ rationem æstimanda, vt quisque clarè intelligat quid mereatur. Tertiò, Vt singulos etiam illuminet 137

Quomodo Deus illuminabit abscondita tenebrarum.

Augustinus.

ad

ad quorumuis aliorum opera cognoscenda & æstimanda, quæ perinde illi obiicientur, ac si ipse ea perpetrasset vidisset, eaque haberet in recenti memoria: obiicientur enim cum suis circumstantiis, sicut reipsa gesta fuerunt. Neque solùm opera externa, sed etiam internæ cogitationes & volitiones, vt apertè indicat Apostolus cùm ait, *Manifestabit consilia cordium*. Itaque patebunt omnes rectæ & prauæ cogitationes, omnia desideria, omnes intentiones ex quibus opera externa prodierunt: non tamen ista videbuntur intuitiuè, præsertim cùm præterierint, & modò non extent; neque tam sublimis illustrationis modus est necessarius, sed eo modo cognoscentur, quo cognoscimus ea, quorum perfectam habemus recordationem, vt cùm quis vidit prælium, vel quid aliud exteriùs geri, in eo manet quædam notitia habitualis per quam posteà sibi ponit idem ob oculos mentis perinde ac si præsens intueretur: vnde sicut recordatio similis est notitiæ intuitiuæ, quia rem ponit ob oculos cum circumstantiis loci, temporis, personarum, &c. ita hæc notitia eidem similis erit. Vt autem quis recordetur suarum cogitationum vel desideriorum præteritorum, non est necesse vt illa intuitiuè viderit, vel secundùm specificam essentiam cognouerit, sed satis est vt ea confusè apprehenderit, sicut solemus actus nostros internos apprehendere: ex tali enim apprehensione manet quædam notitia habitualis, quam vocamus memoriam, per quam possumus post longum tempus eadem rursum actu cognoscere recordando. Similis notitia inseretur mentibus singulorum circa omnes actus etiam internos aliorum, ita vt quilibet possit clarè cognoscere, quid boni vel mali quisque patrarit. Hac manifestatione posita, non opus erit aliis scriptis vel testibus; ipsa enim conscientia & lumen internum, quo quisque videbit sua scelera, accusabit ipsum, & simul contra ipsum testabitur & reum peraget, ita vt exteriùs non audeat negare. quod apertè insinuat Apostolus ad Rom. 2. cùm ait: *Inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum*. Deinde sicut cuique sua peccata patebunt, ita etiam toti mundo manifesta erunt & toti mundò notoria, perinde ac si in conspectu omniù essent patrata. Vnde sicut in ijs quæ toti mùdo & ipsi Iudici sunt notoria, nullus est locus tergiuersationi, ita nec ibi erit. Denique videbit clarè, omnes cognoscere internam accusationẽ, qua conscientia propria ipsum accusat & cõdemnat. Nullus modus efficacior conuincendi reum, & omnem tergiuersationẽ adimendi, potest excogitari.

Non videbuntur intuitiuè: sed sicut ea quæ sunt in memoria.

Etiam peccata electorũ erunt manifesta.

Petes secundò, Vtrùm etiam peccata electorum, quæ per pœnitentiam deleta fuerint, tunc ab omnibus sint conspicienda. Magister in 4.d.43. probabilius putat non conspicienda: quia par est, vt ea quæ hîc tecta per pœnitentiam fuerunt, ibi quoque tecta sint. sed contrarium est Scripturis conformius: Matth.10. *Nihil opertum quod non reuelabitur; & occultum quod non scietur.* Ecclesiastæ vltimo: *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, siue bonum sit, siue malum.* hîc nullum opus malum excipitur. & Apostolus 1. ad Corinth.4. *Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus:* vbi indicat, tunc de omnibus certò posse iudicari, de quibus modò non potest. Rationem addit, *quia tunc Dominus illuminabit abscondita tenebrarum.* non quædam tantùm, sed omnia, vt de omnibus possit iudicari. Fauet etiam ratio: Quia omnia illorum bona opera sunt manifestanda, ac proinde illorum pœnitentia, & confessio peccatorum, & austeritas vitæ in satisfactionem pro peccatis susceptæ. hoc enim necessarium est, vt intelligatur iudicij æquitas. Deinde manifestari debet misericordia & gratia quam eis Deus præstitit in hac vita, per quam datum est illis à peccatis resurgere, & salutem consequi: hoc enim maximè pertinet ad gloriam Dei, vt sciatur, totum electorum bonum potissimùm ex ipsius prouenire gratia. Neque hinc aliquo pudore afficientur (quia hunc beatitudinis statum excludet) sed magis seipsos humiliabunt, & omnia sua bona Dei misericordiæ adscribentes, eidem gratias agent. 138

Probatio sententiæ.

Facta plena discussione & operum manifestatione, proferet Iudex sententiam. Primò in electos, qui erunt ad dexteram in sublimi, audientibus & videntibus omnibus reprobis: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi,* vt habetur Matth.25. Hæc sententia sensibili voce ferenda à Domino, vt passim Doctores tradunt; cum vt à reprobis intelligatur, tum quia iudicium inter homines sensibili modo fieri conuenit, qui solus naturæ humanæ accommodatus? Iudex enim apparebit visibilis, & thronus erit visibilis, & iudicandi erunt visibiles, & sonitus tubæ quo excitabuntur & vocabuntur ad Iudicium, erit sensibilis; cur etiam sententia ipsa non sit sensibilis? idem dicendum de sententia quæ feretur in reprobos. Quod etiam colligitur ex verbis Isaiæ: *Labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans.* Et infrà: *Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis.* & Psal.67.v.35. *Ecce dabit voci suæ vocem* 139

Isaiæ 30.

vir-

virtutis, id est, faciet vt vox sua magnam vim habeat, non solùm mortuos excitando, sed etiam eos iudicando.

140 Vocat *benedictos Patris sui*, quia à Patre dilecti, & ad æternam vitam electi, nempe propter mandatorum custodiam, & in bono perseuerantiam, iuxta illud: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diligetur eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* & rursùm: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo* Ioan. 14. Loquitur enim de benedictione, non quam olim acceperunt in donis gratiæ, sed de futura in gloria, qua se dignos per eius auxilium præstiterunt, (quam & reprobi habere potuissent, si diuinæ gratiæ, sicut facilè poterant & debebant, fuissent cooperati) vt opponatur maledictioni quam sibi reprobi accersiuerunt. *Possidete paratum vobis regnum.* κληρονομήσατε, tamquam hereditatem possidete, nempe quia filij Dei estis. *Si enim filij, & heredes.* Rom. 8. Itaque regnum cæleste duplici titulo iustis debitur, vt apertè insinuatur in hac sententia: nimirum vt hereditas filiis, vt patet ex verbo κληρονομήσατε; & vt merces vel præmium benè operantibus, cùm additur; *Esuriui enim & dedistis mihi manducare*, &c. Insinuatur etiam firmitas & perpetuitas regni in verbo illo *possidendi hereditatem.* Nomine *regni* intelligitur cælum & omnia bona, quibus in cælo fruentur Sancti, visio & fruitio Dei, societas Sanctorum, dotes corporum, affluentiæ bonorum omnium. *A constitutione mundi.* Vbi indicatur, mundum esse conditum propter gloriam Sanctorum, vt ipsi in æternum sint beati in cælo, & participes bonorum diuinorum. Porrò tribus modis paratum est Sanctis regnum: Primo, ab æterno in prædestinatione diuina. ideò enim SS. Trinitas ab æterno in diuino & arcano suo consistorio consilium cepit condendi mundi, & homines in mundo, vt eos faceret participes suæ beatitudinis, & omnium suorum bonorum & gaudiorum in cælo. Secundò, in creatione, quando non solùm iste mundus inferior, sed etiam cælum supremum, quod Empyreum vocatur, & sedes est Beatorum, conditum est. Tertio, per mortem Domini, per quam cælum vsque ad illud tempus clausum, est patefactum, iuxta illud Ioannis 14. *Vado parare vobis locum.* Hac sententia prolata, mira erit Sanctorum lætitia & gratiarum actio. Omnino credibile est, omnes in genua vel etiam in faciem procubituros, vt Iudicem adorent, eique gratias agant, quòd tantum bonum ipsius potissimùm meritis & Sanguine eis obuenerit, vt ex iis quæ Apocalypsis 5. & 7. habentur, colligi potest.

Tribus modis Sanctis paratum est regnum.

His peractis, conuertet se Dominus terribili vultu ad impios ad 141
sinistram in terra positos, & dicet: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*. Duplex hîc pœna
indicatur, qua mulctabuntur impij, nempe pœna damni, cùm di-
citur: *Discedite à me*; & pœna sensus, cùm dicitur: *In ignem æter-
num*. *Maledictos* vocat, quòd ipsi suis iniquis operibus se dignos &
obnoxios maledictioni & suppliciis perpetuis reddiderint. Non
dicit *maledicti Patris mei*, sicut antè dixerat, *benedicti Patris mei*, sed
maledicti absolutè, quia maledictio à Deo originem non traxit,
sicut benedictio: nam Deus non fuit iniquis causa prauorum ope-
rum, quibus sibi maledictionem accersiuerunt, sicut iustis fuit cau-
sa bonorum operum, quibus benedictionem meruerunt; sed ipsi
sibi, cooperante diabolo, causa totius mali fuerunt, iuxta illud
Oseæ 13. *Perditio tua Israël, tantummodò in me auxilium tuum.
Qui paratus est diabolo & angelis eius*. Hoc dicit, non quòd etiam
hominibus impiis ignis iste paratus non sit; sed quia primò paratus
est diabolo & angelis, idque ante præuisionem peccatorum ho-
minum. Vnde etiamsi homo non peccasset, nihilominùs ignis iste
præparatus mansisset, & æternus. Deinde, quia non statim homi-
ni peccanti paratus est ignis iste, sicut peccanti diabolo paratus fuit;
quia cõcessum homini tempus pœnitentiæ, qua possit hunc ignem
euadere, quod diabolo negatum. Hinc longo tempore solus dia-
bolus cum angelis suis huic igni addictus fuit; nam primi homines
multis sæculis viuebant, nec ante mortem ei addicebantur.

Matth. 25.

Duplex pœna, damni & sensus.

Petes, Vtrùm istis duabus sententiis etiam voce addentur cau- 142
sæ, *Esuriui enim*, &c. Multi sic putant, quia Dominus Matth. 25.
ista addit. Sed verius puto, hæc spirituali modo proferenda.
Primò, Quia fortè inter Christianos (ad quos solùm istæ causæ
pertinent) pauci sunt qui propter defectum operum misericordiæ
corporalium damnentur; cùm nemo ad illa teneatur sub peccato
mortifero, nisi in extrema & graui necessitate proximi. quæ rariùs
ita occurrit vt hunc vel illum in particulari grauiter obliget. Se-
cundò, Quia innumeri saluabuntur, qui ista bona opera non fe-
cerunt, vt infantes, Religiosi, & pauperes. Tertiò, Quia multa
sunt alia operum bonorum genera illis præstantiora, vt oratio,
ieiunium, opera misericordiæ spiritualia, vsus Sacramentorum,
martyrium, ob quæ iusti saluabuntur. Nulla autem est ratio cur
minùs laudabilia voce proferantur, præstantioribus silentio præter-
itis. Si dicas, omnia proferenda; non videtur probabile, quia res
esset

Vtrùm causa addentur voce.

esset infinita, presertim cũ alij aliis bonis operibus fuerint excellentes. Denique, generalis bonorũ & malorum commemoratio non sufficit vllo modo ad cognoscendã sententiæ vtriusque æquitatem in particulari. Quare puto sufficere, vt hæ & aliæ causæ, ob quas hi saluantur, illi dãnantur, spirituali modo proferantur, per ipsam operum omnium manifestationem, quę præcedet sententiam, & durabit etiã post sententiam, ita vt omnes clarè intelligant causas in particulari, ob quas quisque saluetur vel damnetur, & quantum præmij vel supplicij mereatur. Sicut enim in tribunali humano, lectis criminibus reorum, de quibus ipsi manifestè conuicti, fertur voce breuis sententia qua omnes simul condemnantur; ita in isto Iudicio vniuersali, postquam omnium operum manifestatio præcesserit, voce proferet Iudex vnam sententiam, quæ omnes iustos comprehendat, & aliam quæ omnes iniquos. Quanta verò pœna vel præmio quisque dignus sit, non intelliget ex ipsa sententia externa, sed ex operum manifestatione, & interna reuelatione. Nec refert, quòd Dominus Matthęi 25. formam Iudicij describens, meminerit potiùs operum misericordiæ, quàm aliorum: id enim fecit, vt homines, præsertim plebeios, qui ad maiora & spiritualia parum sunt comparati, in hac vita ad ea excitaret, vt quæ sint vtilissima ad obtinendam remissionem peccatorum, & ad conseruandam augendamque iustitiam. hæc autem ratio cessat in extremo Iudicio, quia tunc homines non erunt ampliùs ad opera misericordiæ excitandi.

Probabilius, causas istas voce non proferendas.

143 Petes, Vtrùm etiam paruuli qui sine Baptismo obierunt, ibi sint futuri, & quã sententiam habituri. Quidam putant eos ibi non futuros, ne sciant quid agatur & mœrorem cõcipiant, videntes gloriã Sanctorum, ad quam ipsi quoque conditi. Respondeo, Non videri dubitandum, quin ibi sint futuri. si enim cum aliis resurrecturi, cur non etiam cũ aliis iudicandi? Colligitur ex Apostolo ad Rom. 14 *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* & ad Philip. 2. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*? hîc omnes creaturæ rationales tribus ordinibus comprehenduntur; vnde non potest tam innumerabilis multitudo excipi: longè enim plures erunt tunc illi, qui in ætate paruula sine remedio obierint, quàm modò toto orbe simul extant homines. Ad hunc enim numerum pertinent omnes qui ante vsum rationis per sex millia annorum inter infideles mortui, vt eos omittam qui apud Indos, vel apud Christianos in vtero vel ante Baptismum perierant. Itaque credibile est, hunc numerum facilè ad mille milliones & vltra excur-

An paruuli ibi futuri.

Durandus in 2.d.33.q.3.

excursurum. Si tanta erit multitudo, vbi abscondetur, si ibi non comparebit? quomodo impedientur nè scire possint quid in Iudicio agatur? non enim erunt ratione destituti. Quare dicendũ est, ipsos ibi futuros, & omnia visuros & intellecturos quæ gerentur: audient enim tubam, & simul cum aliis in ætate perfecta cum perfecto iudicio & sensibus integris resurgent. Congregabuntur in vnum locum, seorsim tamen ab impiis, quia ad eorum sortem non pertinent, videbunt Iudicis maiestatem, eumque adorabunt: videbunt Sanctorum & impiorum congregationem, eorumque bona & praua opera cognoscent: audient sententiã Iudicis in vtrosque, sibique gratulabuntur quòd non sint de impiorum numero: agent Deo gratias quòd ante vsum rationis abrepti; quia longè maxima pars eorum, si ad ætatem veniisset, in eamdem damnationem incidisset, præsertim infidelium filij. Itaque non murmurabunt contra Deum, sed magnopere se illi obstrictos sentient, quòd periculis tantorum malorum exempti fuerint. Excipient & ipsi sententiam Iudicis, sed benignam; qua, etsi à visione Dei & cœlesti regno excludentur, tamen statum naturæ dignitati congruentem aslequentur, quo contenti & læti, in omnem æternitatem viuant, & Deum laudent. Congruit enim diuinę bonitati, vt imaginem suam quæ nihil propria voluntate in ipsum peccauit, bonis ordinis naturalis excellenti modo perficiat in illa communi totius naturæ renouatione. Si enim terram, aquam, aërem, & cælestia corpora miro modo ornabit & extollet, prorsus congruit illi statui: cur non etiam animas istorum, quæ longè omnibus corporibus præstantiores? etsi enim peccatum originis reddat illos indignos gloria cælesti, quæ in visione Dei consistit; non tamen gloria & donis inferioribus ad ordinem naturæ pertinentibus. Vnde mihi fit verisimile, illos habituros insignem notitiam non solùm rerum corporalium, sed etiam spiritualium, & cognituros vtcumque clarè & distinctè essentiam animæ suæ; & etiam naturas Angelicas, etsi non tam perfectè: videtur enim consentaneum, vt in illa renouatione ita illustrentur, vt proximè ad Angelicam perfectionẽ in cognoscendo accedant, & dono renouationis ita eleuentur, vt supremum inferioris attingat infimum superioris. Quod etiam ex eo confirmari potest: nam hoc ipso quo illæ animæ à corpore separatæ fuerunt, acceperunt notitiam intuitiuam spirituum, etsi non ita claram & distinctam, qualis est in Angelis: alioquin nec seipsas cognoscerent, nec socias, sed planè essent instar cæcorum in altero sæculo. atqui hæc notitia

144

Perficientur in ordine naturali.

Cognoscent naturã animæ suæ clarè & distinctè. Angelos minùs perfectè.

in

in renouatione non auferetur, sed perficietur in illis, sicut & ceteræ perfectiones. Confirmatur secundò, Quia cùm sint conditi vt cognoscant, ament & laudent suum Conditorem, neque meriti sint priuari ijs donis quibus id naturali modo præstent; non videtur dubitandum quin Deus illos ad hoc perficiet, illustrando intellectum, vt illum cognoscant ex rebus creatis. Vnde vt hæc cognitio possit ad perpetuum amorem & laudem Creatoris deseruire, oportet vt sit valde insignis; ac proinde vt etiam insignem rerum corporalium & spirituum notitiam habeant, per quam ad excellentem Dei cognitionem assurgant. Et quamuis in hoc statu, dum sumus in corpore mortali, non possimus quidquam intelligere, nisi sub quodam idolo corporali: alia tamen erit ratio in statu illo immortali, vbi omnes vires perficientur, vt perfectas habere possint operationes: ille enim modus intelligendi est miserrimus, vtpote confusissimus, & hærens in externa superficie & accidentibus sensibilibus, ita vt nullius rei etiam minimæ naturam distinctè & clarè possimus intueri. Itaque longè perfectior in illa renouatione dabitur, vt innumerabilis ille infantium populus in suo ordine non sit otiosus, ne frustrà in mundo esse videatur; sed vt ex cognitione sui & aliarum rerum creatarum, Auctorem suum & mundi totius illustri modo cognoscant, & cognoscendo ament, & laudent, & gratias ei de beneficiis acceptis in omnem æternitatem agant: vt sic Deus non solùm in cælo, sed etiam in terris, nec tantùm modo supernaturali & diuino, sed etiam naturali & humanæ naturæ accommodato, semper glorificetur. Hæc sanè sunt valdè rationi
145 consentanea, & consona diuinæ bonitati. Si enim, vt passim docent Doctores in 2.d.33. diuina prouidentia ita cum illis aget, vt nullum sentiant mœrorem ob amissionem regni cælestis, eò quòd sua propria voluntate non peccauerint: cur non credamus ipsos excellenti modo perficiendos in ordine bonorum naturalium, infra dotes in substantia supernaturales, vt Deum cognoscere, amare, & in æternum laudare possint? quid enim aliud agant in illo statu, aliis omnibus negotiis cessantibus? Confirmantur hæc omnia ex Doctoribus Scholasticis. S. Thomas in 2.d.33.q.2.a.2. dicit eos *non parum participaturos de diuina bonitate & naturalibus perfectionibus, & fore coniunctos Deo naturalium bonorum communione, & ita habituros gaudium de ipso ex cognitione & amore naturali.* Item amplectitur sententiam eorum qui docent, *eos habituros perfectam cognitionem eorum quæ naturali cognitioni subiacent.* Ly-

Deum semper laudabunt.

ranus in cap. 4. Ecclesiastæ, explicans illud, *Et iudicaui vtroque feliciorem qui necdum natus est*; dicit, *eos habituros vitam iucundiorem quàm in hoc mundo naturaliter haberi possit: & ita sentire omnes Doctores.* Scotus in 2.d. 33. q. 1. probabile censet, *eos omnium rerum naturalium cognitionem habituros longè maiorem quàm omnes Philosophi habuerunt.* Marsilius in 2.q.19.a.5. dicit *eos amaturos Deum supra omnia.* Idem plerique recentiores. Neque hinc sequitur, illos habituros beatitudinem naturalem, aut (vt aliquando asseruit Pelagius) illos fore beatos extra regnum cælorum; quia labes peccati obstat, quò minùs beatitudinem naturalem obtinere dicantur, etsi fortè omnia alia bona illius status habeant. Quod ad Pelagium attinet, is putauit eos verè beatos fore visione Dei, etsi extra regnum cælorum; quod est hæreticum. Nec obstat quòd aliqui veteres duriùs de paruulis senserint, & maximè S. Fulgentius De fide ad Petrum, cap. 27. quia res non erat adhuc satis discussa, nec pœna debita peccato originali satis cognita.

Non habebùt propriè beatitudinem naturalem. Augustinus Ep. 106. & Hæres. 88.

Quo verò loco futuri sint, incertum. Valdè credibile est, non fore concludendos in specu aliquo profundo, horrido, & tenebricoso: in tali enim loco, resumpto corpore, sine graui afflictione, quam non sunt commeriti, esse non possent. Deinde cauitas ista deberet esse maxima, & latior ampliſſimo Regno, vt tanta multitudo commodè & absque compressione in ea posset habitare. Facile erit Deo, in mundi renouatione eis locum congruum, nimirum lucidum, amœnum, & satis capacem, etiam intra terram (si opus est) præparare. Non deerit diuina benignitas naturæ ad suam imaginem conditæ, quæ nulla sua propria culpa bonis cælestibus est exclusa, ad obtinenda ea quæ excellentiæ illius naturæ sunt consentanea, vt ipsum læta & contenta in æternùm veneretur & laudet. Vnde etsi dicantur damnati, quia cælesti gloria ad quam erant conditi, in æternum sint priuati; tamen credibile est, eorum statum longè feliciorem ac lætiorem fore, quàm sit alicuius hominis mortalis in hac vita. Hæc obiter de paruulorum iudicio.

Non erunt in specu obscuro.

CAPVT XXIII.

De sententiæ executione & mundi innouatione.

LATA sententia, statim sequetur executio: nam cùm Iudex sit omnipotens, sermo eius est efficax. Hæc executio consistet potissimùm in duobus: nam & ignis quo mundus ardebit, summa vi 146

irruet

irruet in damnatos, eosque inuoluet vndique; & statim maximo hiatu sub pedibus eorum aperiet se terra vsque ad inferos, & tota illa multitudo in illum simul cum igne inuoluente præcipitabitur. Totum hoc fiet cum immenso fragore & strepitu, tum ignis corripientis, tum terræ dissultantis, tum hominum cadentium & exclamantium. Colliguntur hæc omnia satis manifestè ex Scripturis; Psal. 96. *Ignis ante ipsum* (Iudicem) *præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*; nimirum post latam sententiam. Psal. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem deijcies eos, in miserijs non subsistent.* *Cadent*, quia ex alto vi sententiæ Iudicis in eos ignis cum carbonibus ardentibus immittetur, quo in ignem infernum deiiciantur. Psalmus 93. *Vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea.* Loquitur Propheta de extrema illa fouea, in quam cadent omnes peccatores in die Iudicij, vt ex sequentibus versiculis colligitur. Hanc foueam quisque sibi peccando fodit. Psalmo 10. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Vbi insinuatur, hunc ignem fore sulphureum, & instar procellæ vehementissimæ impijs incubiturum, sicut in Sodomis accidit. Matth. 13. *Mittet Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis.* Quibus verbis etiam indicatur, Angelos hunc ignem immissuros, & per illum impulsuros impios in tartarum.

Ignis inuoluet reprobos: terra vsque ad inferos dehiscet.

Porrò diuina virtute fiet, vt breui tempore ad terminum perueniatur; alioqui facilè quatuor aut quinque horis opus foret, vt naturali pondere tantum spatium absoluant, quod putatur esse minimum mille leucarum. Simulatque ad terminum peruenerint, terra firmissimè se claudet, & in omnem æternitatem clausa manebit: ita vt nullus damnatorum possit vmquam exire, vel ad superiora emergere. Spectabunt hæc omnia non solùm Beati, sed etiam paruuli qui sine Baptismo defuncti, & iustitiam diuinam admirabuntur, seque felices ducent, quòd tantis malis in æternũ sint exempti.

Diuina virtute statim erunt in termino.

147 His peractis, mundoque ab omni inquinamento peccatorum per ignem expiato, repentè diuina virtute fiet mundi renouatio. Sicut enim resurrectio corporum facta est quasi in momento, ita etiam fiet mundi renouatio tempore imperceptibili. Huius renouationis multis locis S. Scriptura meminit. Isaiæ 65. *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor.* Tanta enim erit illorum pulchritudo & suauitas,

Renouatio mundi fiet subitò.

tas, vt priora omnia quasi nihili æstimentur. 2. Petri 3. *Nouos cælos & nouam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.* Apoc. 21. *Vidi cælum nouum, & terram nouam: primum enim cælum & prima terra abijt*, &c. & infrà: *Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia.* Idem indicat Apostolus ad Rom. 8. *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Quomodo fiet renouatio.

Petes, Quomodo hæc renouatio fiet? Respondeo: Hæc renouatio non fiet per interitum substantiæ cælestium corporum & elementorum, & creationem substantiæ nouæ præstantioris, vt quidam putant. Si enim renouatio corporum, quæ fiet in resurrectione, non abolebit priorem substantiam corporis humani (etsi ea tota terrena & per se vilissima sit) sed eamdem restituet, & vestiet gloria seu qualitatibus glorioſis supra naturæ conditionem: multò minùs renouatio quæ fiet in cælis & elementis, quæ per se pura, simplicia & incorruptibilia sunt, eorum substantiam abolere debet. Confirmatur ex Apostolo ad Rom. 8. vbi dicit, *creaturam* (cælestia corpora & elementa) *esse subiectam vanitati & seruituti*; & sub hac seruitute *ingemiscere & expectare reuelationem gloriæ filiorum Dei*, vt & ipsa liberetur ab illa seruitute. atqui si deberet interire, non expectaret illud tempus, quia non appetit suum interitum: nec ipsa haberet spem libertatis gloriæ filiorum Dei. Denique pertinet ad Opificis dignitatem, vt mundus quem initiò condidit, non pereat secundùm substantiam, quasi minùs bene factus; sed manente eadem substantia, eleuetur ad statum supernaturalem, sicut & ipsa corpora humana. Idem docet S. Augustinus lib. 20. De Ciuit. Dei cap. 14. *Peracto Iudicio tunc esse desinet hoc cælum & hæc terra, quando incipiet esse cælum nouum & terra noua. Mutatione namque rerum non omnimodo interitu transibit hic mundus. Vnde & Apostolus ait: Præterit enim figura mundi huius. Figura ergo præterit, non natura.* Et S. Hieronymus in cap. 65. Isaiæ. *Nouos cælos & nouam terram videbimus. Non dixit Petrus, alios cælos & aliam terram, sed veteres & antiquos in melius commutatos.* In eadem sententia sunt plerique Patres Latini, & ferè Doctores Scholastici, & satis insinuatur in Scriptura Psal. 148. *Statuit ea in æternum, & in seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribit.* id est, constituit vt cælum, sol, luna, stellæ, & aquæ cælestes permaneant in omnem æternitatem: hoc decreto suo sanxit, cuius decreti vis numquam desinet. & Ecclesiastæ 3. *Didici quòd omnia opera quæ fecit Deus, perseuerent in per-*

Non erit immutatio substantiæ in cælis & elementis.

Augustinus.

Hieronym.

perpetuum. Nec obstat illud Psalmi 101. *Ipsi (cæli) peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* hoc enim intelligendum de interitu secundùm externam speciem, non secundùm substantiam, vt colligitur ex ijsdem verbis: quia vestis & operimentum quod inuertitur, non mutatur substantiâ, sed specie externa. *Veterascet* cælum temporibus nouissimis, quia sol obscurabitur, & fiet niger vt saccus cilicinus, luna sanguineo colore suffundetur, stellæ diffluere videbuntur, cælum instar membranæ inuolui, &c. Simili modo illud Domini intelligendum: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præter-* Matth. 24.
148 *ibunt.* Renouatio itaque ista non consistet in mutatione essentiæ, sed status & qualitatum, (sicut renouatio corporis humani) ita vt planè aliud cælum & alia terra esse videatur. Nam primò cessabit motus cælorum, ac proinde vicissitudo diei ac noctis, hiemis & æstatis, æstus & frigoris, ortus & interitus; eritque semper eadem cæli & terræ facies, eadem serenitas & pulchritudo: aberunt nubes & venti, pluuiæ & grandines, niues & glacies. Deinde lux solis, lunæ, & astrorum mirificè augebitur iuxta illud Isaiæ 30. *Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.* quem locum Doctores cum S. Hieronymo passim intelligunt ad litteram de hac innouatione, in qua lux lunæ futura sit instar lucis solaris quæ nunc est, & lux solis septuplo maior quàm sit modò; vt indicant illa verba, *Sicut lux septem dierum.* quod non potest commodè intelligi, nisi de luce septem dierum in vnum collecta, seu de luce in septuplum aucta. Hinc orbes cælestes & elementa mirum in modum illustrabuntur, & planè aliam speciem induent. Credibile etiam est, innumeram stellarum multitudinem, quæ modò non apparet, tunc vi lucis illius apparituram, vt nouorum cælorum exhibeat speciem: non enim lumen solis obfuscabit lumen stellarum, sed augebit, ita vt omnes reddat conspicuas. Nec obstat quòd modò illas obfuscare videatur: quia reverà non obfuscat eas in se, sed solùm nostro adspectui propter imbecillitatem oculorum: magna enim lux ita implet & obruit sua specie oculorum aciem, vt minorem lucem videre nequeat: tunc autem vis oculorum erit ita valida, vt à magna luce non obruatur, sed simul cum ea plurimas paruas luces distinctè cernere queat. Simili modo sonus magnus (qualis est campanæ propinquæ) ita implet nunc aures, vt simul paruos sonos audire nequeant; tunc autem poterunt.

Quomodo cæli veterascent.

Erit alia facies rerum, ita vt omnia videantur noua.

Stellæ innumeræ apparebunt.

Quo modo nunc lumen maius offuscet lumen minus.

Aqua putatur futura limpida instar purissimi crystalli, terra fulgida instar auri, vel perspicua instar vitri; idque valdè profundè, nimirum vsque prope tartarum, vt insinuat S. Thomas in 4. dist. 48. quæst. 2. artic. 4. Denique omnia per hanc innouationem eam pulchritudinem assequentur, quæ respondeat gloriæ sanctorum, seruata tamen proportione inter ipsa corpora: quò enim sublimiora sunt, eò maiore gloria decet ea vestiri.

CAPVT XXIV.

De Inferno & pœnis inferorum.

INFERNVM vocamus locum damnatorum, in quo pœnas pro 149
suis peccatis in corpore & anima sunt daturi. De quo tria nobis tractanda. Primò, vbi sit. Secundò, quanta eius amplitudo & capacitas. Tertiò, quæ sint ibi pœnarum genera. De primo, certum
Vbi infernus est infernum esse sub terra. Est communis sententia Doctorum & Sanctorum, & communis fidelium sensus. Idem senserunt Philosophi antiqui & Poëtæ, qui huius rei meminerunt. Probatur ex Scripturis, Numerorum 16. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos, descenderuntq; viui in infernum operti humo.* Psalm. 105. *Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiron.* Psalm. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* & ad Ephes. 4. *Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primũ in inferiores partes terræ.* vbi *inferos* vocat inferiores partes terræ, τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς. Sunt ergo inferi, ad quos Dominus descendit, vt in Symbolo dicitur) in imis terræ regionibus. Denique Matthæi 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* *In corde terræ*, id est, apud inferos, ad quos Dominus descendit, vt animas sanctorum Patrum inde eriperet. Idem luculentè tradunt Patres. Tertullianus
Tertullianus lib. De anima, cap. 55. *Inferos Plato velut gremium terræ describit in Phædone, quò omnes labes mundialium sordium confluendo, & ibidem desidendo exhalent,* &c. *Nobis* (Christianis) *inferi non nuda cauositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terræ & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.* Explicat hic Tertullianus communem Christianorum sententiam, quam deinde probat ex dicto loco Matth. 12. *Siquidem*, inquit,

Chri-

Christum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id est, in recessu intimo & interno, & in ipsa terra operto, & intra ipsam cauato, & inferioribus adhuc abyssis superstructo. quod postremum addit, quia infernus damnatorum est infra Limbum patrum, ad quem Christus descendit. Hinc concludit: *Habes regionem inferûm subterraneam credere*. Idem in Apologetico cap. 47. *Si gehennam comminemur, quæ est arcani ignis subterraneus ad pœnam thesaurus, & cachinnamur*. Loquitur de Ethnicis, qui rident inferorum pœnas. S. Hieronymus in cap. 4. Epist. ad Ephes. *Inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster Saluator q. descendit*, &c. *Quòd autem infernus in inferiori parte terræ sit, & Psalmista testatur, dicens: Aperta est terra, & deuorauit Dathan, & operuit super congregationem Abiron*, &c. Idem in cap. 2. Ionæ: *Sicut cor in medio est animalis, ita infernus in medio terræ esse perhibetur*. S. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 24. *In libro 12. Geneseos ad litteram cap. 33. De inferis magis mihi videor docere debuisse, quòd sub terris sint, quàm rationem reddere cur sub terris esse credantur siue dicantur, quasi non ita sit*. Ibi determinat id de quo & in Genesi, & lib. 2. De ciuitate cap. 16. dubius fuerat. nec mirum dubium fuisse, cùm certissimum putaret non esse antipodes, vt patet lib. 16. De Ciuitate c. 9. Chrysostomus in Epist. ad Ephesios: *Descendit ad infimas partes, post quas non est aliquid aliud*. Omitto alios Patres & Doctores Scholasticos, qui indubitanter eamdem sententiam tradunt. Idem ipsum nomen *inferorum*, & modus loquendi quo dicimur *descendere ad inferos*, indicant, & ratio manifesta conuincit: huiusquam enim extra terram conuenienter poni potest. Aër enim & aqua non sunt idonea, in quibus carceres tenebrosi struantur, cùm sint corpora fluxa, lucida, amica naturæ humanæ. Deinde, sicut domicilium Beatorum erit in supremo & nobilissimo loco, ita carcer damnatorum debet esse in infimo & ignobilissimo, vt longissimè absint à cælo. Vnde vlteriùs sequi videtur, esse in centro mundi. Infimum enim terræ, est centrum mundi. nisi enim ponatur in centro, non aberit vndique longissimè à cælo; quod tamen ipsa ratio postulare videtur. Quod non ita intelligas, quasi infernus sit in puncto isto quod dicitur centrũ: sed quòd sit in medio terræ, ità vt centrum terræ & mundi sit centrum inferni. Idem apertè colligitur ex Patribus: nam Chrysostomus ait, *Christum descendisse ad infimas partes terræ, post quas non est aliquid aliud*. Descendit ergo ad specum illum qui est in medio; nam post seu infra medium terræ nihil est aliud. Nec obstat

Hieronymus.

Augustinus.

Chrysost.

Infernus est in medio terræ sinu.

quòd

quòd Christus non descenderit ad infernum damnatorum, sed ad Limbum patrum, qui *inferioribus abyssis*, id est inferno damnatorum, *est superstructus*, vt Tertullianus inquit, & communiter tradunt Scholastici Doctores: quia istæ cauitates cùm vicinæ sint, instar vnius reputantur, & communi nomine *inferi* vocantur, qui dicuntur esse in medio, ratione maioris & celebrioris partis. Idem colligitur ex testimonio Hieronymi in caput 2. Ionæ, qui dicit *infernum esse in medio terræ, sicut cor est in medio animalis*. atqui cor verè est in medio animalis, quantum fieri potest. Huic sententiæ etiam fauet modus loquendi Scripturæ, cùm ait Christum fore *in corde terræ*, sicut Ionas in ventre ceti. atqui Ionas erat in infima cauitate ceti; ergo, &c. Item, cùm descensum Christi opponit adscensui per extremos terminos: nam Christus ita ascēdit super omnia, vt congruè vlteriùs non posset: ergo ita descendit infra omnia, vt vlteriùs non posset. Denique nulla est ratio in contrarium quæ vrgeat. Iuxta hanc sententiam cogitandum est, terram in sui medio habere vastissimam cauitatem, cuius centrum sit centrum terræ & mundi, & hanc cauitatem esse carcerem infernalem.

Quanta inferorum capacitas.

Habemus vbi sit infernus; nunc dicendum de eius capacitate. 150
Certum est hanc debere esse tantam, vt possit capere innumerabilem multitudinem damnatorum, quæ facta supputatione hominum qui simul viuunt in mundo, & habita consideratione sexaginta sæculorum, quibus mundus putatur duraturus, facilè ascendit ad vicies vel tricies mille milliones: quæ sanè multitudo exiguo loco concludi nequit, præsertim cùm ibi quoque sit magna copia ignis sulphurei, vt infrà ostendemus. Ribera in caput 14. Apoc. putat amplitudinem inferorum insinuari istis verbis: *Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum: & calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.* *Lacus iræ Dei magnus*, est infernus, vel stagnum infernale ignis & sulphuris, cuius fit mentio Apoc. c. 19. v. 21. & c. 20. v. 9. & 14. *Vuæ* sunt peccatores, qui ibi tanquam vuæ in torculari premuntur & torquentur. vnde Apocalypseos 19. v. 17. infernus vocatur *torcular vini iræ Dei omnipotentis*. Quare nullo modo probanda explicatio illius, qui per *vuas* intelligit sanctos Martyres; & per *lacum iræ Dei magnum*, tormenta quæ tyranni eis inferebant. *Sanguis* designat tormenta impiorum apud inferos. *Diffusio sanguinis* per stadia mille sexcenta non videtur aliud posse significare, quàm spa-

Sententia Riberæ de magnitudine inferni.

tium

tium loci, per quod tormenta & homines torquendi se extendent. Conficiunt autem ista stadia milliaria Italica (quæ mille passus seu quinque millia pedum continent) ducenta: leucas Hispanicas seu Belgicas quinquaginta, assignatis quaternis milliaribus in singulas leucas. Vnde structura inferorum iuxta Riberam ita concipienda erit, vt cogitemus infra terram esse vastissimam cauitatem, cuius planities seu solum ita extendatur, vt latitudinis eius diameter sit centum leucarum, ambitus trecentarum, in cuius medio sit stagnum amplum ac profundissimum igne & sulphure plenum, in quod maximi quique peccatores, vt hæresiarchæ, hæresum propagatores, tyranni, & alij similes sint demergendi: reliqui verò qui paucioribus peccatis inquinati, sint futura extra hoc stagnum circumquaque per totam illam planitiem horridam dispositi. Hoc modo concipit Ribera. Sed habet hic modus nonnulla incommoda. Primò, Quia si tanta sit vastitas inferorum, vt planities eius habeat quadringenta milliaria Italica in diametro, seu vt à puncto eius medio quaquauersum in omnem partem sint ducenta milliaria Italica, siue quinquaginta leucæ magnæ, non erit multò minor
151 Italia. At frustrà tribuitur ei tanta vastitas, cùm minimè sit necessaria; nam vigesima pars huius spatij sufficit, etiamsi duplo plures essent damnati. nam valdè credibile est, eos non ita disponendos per illa loca, vt possint pedibus insistere, & huc illucque discurrere; sed colligendos in cumulum instar carbonum vel lignorum ardentium, vt Scriptura indicat: quo posito, non erit opus tanto spatio. Secundò, Quia angustia carceris & compressio mutua reorum non parum facit ad pœnarum acerbitatem, sicut econtrà laxitas ad mitigationem. atqui omnia ibi erunt acerbissima. Tertiò, Quia si tantam habeat planitiem (quantumuis ea sit aspera, & plurimis fossis ac hiatibus interrupta) non erit in medio eius in corde terræ; sed valdè procul à medio distabit, nec longissimè aberit vndique à cælo, cùm tamen contrarium magis videatur & Scripturæ & rationi consonum, vt suprà ostensum. Denique, cùm terræ elementum natura sua sit solidum & infimum, credibile est, Deum in ea non maiores fecisse vacuitates & cauitates æternas, quàm sit necesse ad finem ipsi propositum. Addo, stagnum ignis & sulphuris complecti totum infernum: nam Apoc. 20. v. 15. dicitur de omnibus reprobis: *Qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Idem vers. 14. dicitur de diabolo.

Structura inferorum iuxta Riberam.

Non opus est tanta vastitate.

Ob has & alias rationes probabilius videtur, infernum non habere

bere ſolum ſeu planitiem, in quo damnati poſſint ambulare vel conſiſtere; ſed eſſe cauitatem in medio terræ (ſicut ſuprà diximus) in cuius cauitatis medio ſit ſtagnum ſulphuris ardentis, cuius ſæpè mentionem facit Scriptura, ita vt centrum ſtagni, centrum inferni, & centrum terræ ſit vnum idemque; ſulphureo illo ſtagno circa centrum ſe in orbem colligente.

151 Quod ad magnitudinem illius cauitatis attinet, etiamſi diameter eius eſſet ſolum vnius leucæ ſeu quatuor milliariũ Italicorum, hoc eſt pedum viginti millium, ſatis capax eſſet, non ſolùm ad omnia damnatorum corpora excipienda, ſed etiam ad multitudinem decuplò maiorem: nam etiamſi ſingulis corporibus damnatorum demus ſex pedes quadratos (qui abundè ſufficiũt) tamen vna leuca (id eſt menſura viginti millium pedũ) cubicata ſeu cubicè multiplicata, capere poterit pluſquam octingenta millia millionum corporum. cùm tamen certum videatur, facta ſubductione, non futuros centies mille milliones. Itaquè tanta cauitas abundè ſufficeret corporibus damnatorum, & adhuc ſupereſſet magna vacuitas. Verùm quia ibi quoque ingens ſtagnum ignis & ſulphuris, & dæmones omnes ignitis corporibus includentur, fortaſſe erit capacior. Sit ergo diameter duarum leucarum, ſeu octo milliarium Italicorum, tunc ſuperficies concaua terræ ambiens infernum erit ſex leucarum. Vnde facilè poterit cauitas inferni in medio ſui continere ſtagnum, cuius profunditas ſit vndique vnius mediæ leucæ, quanta vix vſquam eſt profunditas maris, & ſupererit adhuc media leuca vacua inter concauam ſuperficiem terræ, & ſuperficiem ſtagni. Sanè hoc ſpatium ſufficiens erit, etiamſi multitudo damnandorum centuplo maior foret. Vnde credibile eſt ſpatium inferorum minus fore. Nec obſtat locus Apocalypſis: quia illa mille ſexcenta ſtadia referri poſſunt ad ſpatium, quod impij occupabunt tempore Iudicij, quando pœna æterna per ſententiam Iudicis illis irrogabitur. tantum enim ſpatium ſatis erit ad tricies mille milliones hominum in terræ ſolo conſiſtentium excipiendos, vt ex ſupputatione conſtat. Hæc de loci amplitudine.

Stagnũ ignis & ſulphuris apud inferos.

Duplex pœna, ſenſus & damni.

153 Nunc dicendum de pœnis & inſtrumentis pœnarum. Porrò Doctores duplicem pœnam in damnatos ſtatuunt, ſenſus & damni. *Pœnam ſenſus* vocant eam, quæ à cauſis extrinſecis infertur, vt à loci conditione, ab igne, ſulphure, tenebris, odore teterrimo, horriſono planctu, dæmonum immanitate. Omnes iſti dolores & afflictiones ab iſtis cauſis immediatè prouenientes, ſiue in corpore, ſiue

in

in natura spirituali, ad pœnam sensus pertinent. Similiter tristitia animi immensa, quæ ex consideratione istorum malorum nascetur, dum assiduè cogitabunt ista fore æterna, nec vllam esse spem aliquando euadendi. *Pœna damni* dicitur priuatio æternæ gloriæ & omnium bonorum quibus Beati in æternum fruentur. Priùs dicemus de ijs quæ ad pœnam sensus pertinent, posteà de pœna damni. Vnde primò quæritur, Vtrùm ibi sit verus ignis. Secundò, Vtrùm frigus. Tertiò, Vtrùm veri vermes corporales. Quartò, Vtrùm tenebræ, fumus, fletus, stridor dentium. Quintò, Quomodò damnati sint dispositi apud inferos.

Tristitia ad pœnam sensus pertinet, & quodam modo ad pœnam damni.

Quinque dubia explicantur.

Quod ad Primum attinet; Caluinus, Beza, & multi Caluinistæ putant ibi non esse verum ignem, aut sulphur, aut tenebras; sed hæc omnia & alia quæ in Scripturis dicuntur de pœnis inferorum, Metaphoricè accipienda, & nihil aliud designare, quàm miserum statum impiorum; quorum miseriam totam in eo ponunt, quòd apprehendant Deum sibi iratum. Hanc apprehensionem mirè verbis exaggerant, vocantes eam maximè formidabilem abyssum, vt aliquid videantur dicere, cùm reipsa inferos & veram pœnam impiorum è medio tollant, & nihil relinquant nisi vanam apprehensionem & panicos terrores. Si enim Deus nihil ipsis mali infert, parum curant ipsius iram, nec habent cur inde perturbentur aut timorem concipiant; sicut in hac vita non curarent iram ipsius, nisi putarent illum grauia posse inferre supplicia, eaque reipsa illaturum nisi resipiscant. Verùm hanc eorũ hæresim fusè refutat Franciscus Feuardentius lib. 14. Theomachiæ Caluinisticæ, à c. 9. vsque ad finem.

Sententia Caluini & Bezæ. An ibi sit verus ignis.

Horum ergo relicto errore, dicendum, certum esse ibi fore verum & corporalem ignem: vbique enim Scriptura sacra de pœnis inferorum loquens, meminit ignis, ignem inculcat & minatur, & in ipsa sententia iudicis pœna ignis exprimitur; quod apertum est signum, esse verum ignem: quando enim aliquid Metaphoricè dicitur, non semper eodem modo exprimitur, nec ijsdem verbis, sed quod vno loco dicitur per Metaphoram, alibi propriis exprimitur verbis. Deinde, hoc igne corpora sunt vrenda: nulla ergo est ratio, cur non de vero & corporali igne loca Scripturæ intelligantur. Probatur hæc sententia ex Scripturis: Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.*

Esse ignem corporeum.

Probatur ex nouo Testamento.

Dices: Diabolus est incorporeus, ergo ignis qui ipsi paratus est, debet esse incorporeus. Respondeo, Negando consequentiam, quia non datur aliqua substantia incorporea instituta ad vrendos

spiritus, sicut datur ignis corporeus ad vrenda corpora. Omnis enim substantia hoc ipso quo est incorporea, est intelligens, & naturæ Angelicæ. Ignis autem corporeus etiam ad puniendos spiritus est aptissimus, quia diuinitus potest illi spiritus alligari & pati dolores ex eius præsentia, sicut anima dum est in corpore, vt infrà dicemus. Vnde meritò ignis corporeus etiam dæmonibus præparatus est. Confirmatur: Quia homines qui in illum mittentur, corpore constabunt, ac proinde ipse quoque ignis corporeus esse debet; ignis enim incorporeus corporibus non congruit. Sic Matthæi 3. dicitur: *Omnis arbor quæ non facit fructum boni, excidetur, & in ignem mittetur*, & infrà: *Congregabit triticũ suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. rursum Matth. 13. Dominus idipsum confirmat, adhibita duplici parabola. Primò, zizaniorum. *Sicut*, inquit, *colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis. ibi erit fletus & stridor dentium.* Per *scandala* intelliguntur omnes illi, qui aliis sunt causa peccandi, vel imperio, vt Tyranni; vel doctrina, vt hæretici; vel consilio, vt mali consiliarij; vel exemplo, vt illi qui suo facto alios ad malum excitant vel animant. Per eos *qui operantur iniquitatem*, intelliguntur ceteri peccatores qui non aliis, sed sibi tantùm causa peccati fuêre: hi omnes tamquam zizania in fasciculos collecti, in ignem æternum mittentur. Secundò, Idipsum confirmat proposita parabola sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis. Sicut enim piscatores, pertracta sagena in littus, seligunt bonos pisces à malis, & bonos colligunt in vasa, malos abiiciunt: *sic erit*, inquit, *in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium.* Marci 9. *Si scandalizauerit te manus tua, abscide illam; bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Idem repetit bis, agens de pede & oculo. *Gehennam* explicat per *ignem inextinguibilem*; & statim repetit, *Vbi ignis eorum non extinguitur*; vt intelligamus esse verum ignem, qui numquam possit extingui, sed semper ardeat & vrat. Addit in fine: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.* vbi insinuat rationem cur peccatores igne cremandi sint. sicut enim omnis victima, quæ Domino secundùm præscriptum Legis offe- 155

offerebatur, sale aspergéda erat & salienda, iuxta illud Leuit. 2. versu 13. *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies:* ita omnes peccatores, cum sint futuri veluti victima quæ iustitiæ diuinæ sacrificabitur, igne veluti sale condiendi & saliendi erunt. Comparat peccatores victimæ, & ignem sali: multis enim locis Scriptura sacra punitionem impiorum vocat sacrificium & victimam. Isaiæ 34. *Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom.* Ieremiæ 46. *Victima enim Domini exercituum in terra Aquilonis iuxta flumen Euphraten.* Ezechielis 39. *Conuenite, properate, concurrite vndique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israël.* Sicut enim victimæ occiduntur & cremantur in honorem Dei ad peccata expianda, & iram diuinam placandam: ita tota iniquorum multitudo æterno igne cremabitur, & Deo quodammodò sacrificabitur, vt eorum peccata suppliciis, quantum fas est, expientur, & ira diuina hac quasi satisfactione conquiescat. Rectè etiam *ignis* comparatur *sali:* sicut enim sal vim quamdam igneam habet teste S. Hilario, qua vrit & conseruat corpora: ita ignis vrit corpora damnatorum, sic tamen vt numquam ea consumat, sed semper integra seruet ad pœnas. Apocalypsis 14. *Si quis adorauerit bestiam*, (id est, si quis consenserit Antichristo,) *cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni: & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* & cap. 20. *Qui non inuentus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Cap. 21. *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.*

Can. 5. in Matthæum.

156 Eiusdem ignis sæpè mentio fit in veteri Testamento. Deuteronomij 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitq; terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Loquitur de igne qui succendetur in die iudicij, quando Dominus furorem suum contra peccatores declarabit: (præteritum enim accipitur pro futuro, more Prophetico,) qui ignis non solùm terram & montium fundamenta comburet, sed etiam peccatores inuoluet, & ardebit vsque ad inferni nouissima, seu *vsque ad voraginem inferiorẽ*, vt habent Hebræa, עד שאול תחתית *Had sceol tachthith.* Ex quibus manifestum est, ignem quo mundus exuretur & quo impij in inferno cruciabuntur, esse eiusdem rationis. Iudith 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vran-*

Confirmatur ex veteri Testamento.

tur, & sentiant vsque ad sempiternum. Similis locus est Ecclesiastici 7. *Humilia valdè spiritum tuum; quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Psal. 10. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* & Psal. 20. *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* Sensus est: Eo tempore quo Dominus iram suam declarabit, hoc est in die Iudicij, omnes inimicos suos igne inuoluet, ita vt ipsi instar clibani ardeant, & mox eos ad inferos præcipitabit, vbi æterno igne inuoluentur. *Conturbabit eos.* יבלעם *Ieballehem, deglutiet eos.* dicitur Dominus *deglutire* suos inimicos, quia faciet vt à terra deglutiantur. Hieronymus vertit, *præcipitabit eos*, quod idem est. *Et deuorabit eos ignis*: non quidem sic vt pereant, sed vt ab igne vndique inuoluantur, & absorpti ab igne videantur. Psal. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem deijcies eos, in miserijs non subsistent. In miseriis non subsistent* Hebr. במהמרות בל יקומו *Bemahamoroth bal iacumu*, id est. *In foueas profundas ne resurgant.* & ita quoque vertit Hieronymus. vbi indicatur, ignem in quem deijcientur, esse in profundissima fouea, è qua nemo possit emergere, quæ est ipse infernus. Isaiæ 30. *Præparata est ab heri Topheth à rege præparata, profunda, & dilatata: nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Hæc sententia à S. Hieronymo & veteribus intelligitur de loco inferorũ, qui à Deo summo Rege & Iudice iam olim præparatus est diabolo & omnibus ei adhærentibus. Hic locus & *profundus est*, vtpote in terræ visceribus; & *dilatatus*, vt tot corporum sit capax. *Nutrimenta eius ignis*, nempe *sulphureus*, quem locus iste intra sua viscera continet, & *ligna multa*, damnatorum corpora, quæ instar lignorum aridorum ardebunt. Peccatores enim in Scriptura vocantur *ligna arida*. Si quæras qua vi ignis iste succendetur, respondet Propheta, *Flatus Domini tamquam torrens sulphuris succendens eam.* id est, vis diuina perinde Topheth seu gehennam succendet, ac si torrens sulphuris ardentis in eam iisfunderetur. Idem apertè docet Tertullianus locis suprà notatis, & S. Augustinus lib. 21. De Ciuit. cap. 10. etsi dubitet de illa flamma, de qua Lucæ 16. dicitur, *Crucior in hac flamma*: tamen absolutè definit, ignem infernum esse corporeum. *At gehenna*, inquit, *quòd etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum.* S. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 29. *Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.* Nec obstat quòd

Ezech. 17, 24
Marci 11, 20
Lucæ 23, 31.

Tertullianus
Augustinus.

Gregorius.

quòd idem Gregorius lib. 15. Moral. cap. 14. dicere videatur, *ignem gehennæ esse incorporeum.* Est enim error Typographicus, omissa negatione, ita enim legendum: *At ignis gehennæ, cùm non sit incorporeus,* &c. Vt benè notauit Feuardentius lib. 14. Theomachiæ Caluinisticæ cap. 13. idque manifestum est tum ex ipsius contextus discursu, tum ex eo quòd dicat hunc ignem exurere reprobos corporaliter. Opponit autem hunc ignem nostro igni; quòd noster cùm corporeus sit, debeat assiduè foueri nouis fomentis appositis; ille verò, etsi non sit incorporeus, non debeat foueri, sed semel ab initio conditus, durat inextinguibilis. Denique eadem est omnium Scholasticorum sententia. Neque dissentit Damascenus, cùm lib. 4. De fide orthodoxa cap. vltimo ait, *impios & peccatores proijciendos in ignem æternum non materialem, qualis est apud nos, sed qualem nouit Deus*, vt benè notauit Clichthoueus, & D. Thomas in 4. d. 44. q. 3. artic. 2. ad 1. non enim est *materialis, qualis est apud nos*; quia non eget assiduè noua materia qua alatur, nec consumit corpora quæ vrit, nec lucet, nec extingui potest. Si Damascenus putaret esse incorporeum, diceret esse ἀσώματον, & νοητὸν πῦρ, vel absolutè ἄϋλον. Denique cùm impios corpore indutos velit in hunc ignem coniici, non potuit sentire esse incorporeum: quomodo enim corpora coniici possunt in ignem incorporeum, & ab illo vri ac torqueri? Ex his aliisque locis plurimis tum Scripturæ sacræ, tum sanctorum Patrum, luce meridiana clarius est, Primò, apud Inferos esse verum ignem corporeum, qualis est apud nos, (etsi alias quasdam proprietates diuina virtute
157 sit habiturus) quo impij cruciabuntur. Secundò, Ibidem quoque esse sulphur & ignem sulphureum, patet Psal. 10. Isaiæ 30. Apocalypsis 14. 20. & 21. Idem confirmatur ex eo, quòd Sodoma & finitimæ ciuitates igne sulphureo sint subuersæ, Genes. 19. de quibus ait S. Iudas, quòd *ignis æterni pœnam sustinentes, facti sint exemplum orbi*; manifestè indicans, ignem sulphureum esse æternum: loquitur enim de pœna, quæ toti mundo fuit conspicua, quæ æterna non fuit, sed ignis sulphureus, cuius pœnam ipsi sustinebant, æternus est, quamuis non idem numero. Est etiam sulphur aptissimum punitioni impiorum, tum propter vim igneam qua facilè & vehementer exardescit; tum propter odoris tetri acrimoniam, quæ fœtori peccatorum congruit; tum quia suffitu in expiationibus domorum sulphur adhiberi solet, vt inquit Plinius lib. 35. c. 15. Inquinarunt peccatores domos suas, nempe animam & carnem suam,

Esse ignem sulphureum.

Sulphur aptissimum supplicio impiorum.

suam, peccando dum viuerent. Vnde conueniens est, vt Deus igne sulphureo hasce domos, quantum fas est, expiet, & quodammodò sanctificet. Supplicium enim peccatorum est genus quoddam expiationis & purgationis. Huius quoque rei signum est, quòd infinita vis sulphuris partim semper ardentis partim non ardentis sub terra lateat, vt ex thermis & montibus ardentibus, qui plurimi sunt per orbem, manifestum est: nam & thermæ sulphur olent, & ignes montium sulphurei sunt. Ipsa quoque fulmina, quæ iræ diuinæ sunt symbola, igne sulphureo constant, & sulphur olent. Hæc de igne & sulphure.

Vtrùm apud inferos sit frigus.

Sequitur nunc, vt videamus vtrùm ibi quoque sit frigus: multi 158
enim tum ex antiquis tum ex recentioribus putant, ibi etiam esse asperrimum frigus, vt impij ex stagno ignis transferantur in stagnum niuis, & hinc vicissim rapiantur in stagnum ignis, idque perpetua quadam vicissitudine. Fundamentum huius sententiæ sunt ista verba Iob 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius.* Ita sentit sanctus Hieronymus in

Hieron.

c. 10. Matthæi, explicans illum versiculum: *Sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Duplicem,* inquit, *esse gehennam, nimij ignis & frigoris, in Iob plenissimè legimus.*

Beda.

Beda in Commentario illius loci Iob 24. *Quasi duas gehennas Iob dicere mihi videtur, ignis & frigoris, per quas diabolus, hæreticus, & homo impius commutetur.* Hos duos secuti sunt multi alij, quos recenset Pineda in illum locum Iob, tribuitur etiam Augustino lib.

Pineda. Augustinus.

De triplici habitaculo, vbi cap. 2. sic habetur: *Principalia duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile, ignis inextinguibilis.* Sed verisimilius est, librum illum non esse Augustini, cùm non habeatur in Indiculo, & stylus valdè discrepet, etsi Auctor sit pius & eruditus. Non solet Augustinus de huiusmodi arcanis ita absolutè pronuntiare, præsertim Scripturis tam parum fauentibus. Contrariam

Non esse ibi frigus.

sententiam tenent plerique Theologi recentiores cum Dominico Soto in 4. d. 50. a. 4. & Abulensi q. 559. in cap. 25. Matthæi, quod probari potest Primò, Quia Scriptura nusquam, vbi de inferno agit, meminit frigoris, sed tantùm ignis. Secundò, Si stagnum niuis vel aquæ gelidæ apud inferos, cur diues Epulo petiit guttam aquæ ad refrigerandam linguam. Tertiò, Illa vicissitudo non esset tormentum, sed solatium: quis enim in medio ignis constitutus, non aspiret ad stagnum aquæ niualis ad extinguendum ardorem? Etiam bestiæ, si ambustæ incendium euaserint, se in aquas conii-

Luc. 16.

ciunt,

ciunt, vt aliàs vidimus. Quartò, Frigus non habet vim torquendi, sicut calor, quia inducit stuporem, ita vt absque magno cruciatu inferat mortem, vt patet in illis qui frigore moriuntur. Quintò, Quomodo illud stagnum niuis vel aquæ immenso calore, qui ibi est, non incalescit? an fortè procul distat à stagno ignis? Quomodo tam infinita multitudo transfertur ab hoc in illud? Omitto alias rationes, quæ facilè cuiuis rem attentè consideranti occurrent. Itaque verius puto, non esse ibi tale frigus. Ad locum Iob respondeo, iuxta nostram versionem esse imprecationem pœnæ temporalis in adulteros. *Maledicta*, inquit, *sit pars eius* (hereditas, possessio) *in terra, nec ambulet per viam vinearum*, sed in locis desertis procul ab omni amœnitate & fertilitate. *ad nimium calorem transeat ab aquis niuium*; vratur æstu & gelu, affligatur omnibus huius vitæ incommodis: & *vsque ad inferos peccatum illius*. pœna adulterij duret illi vsque ad sepulchrum, vel donec rapiatur ab inferno. Potest sic verti ex Hebræo: *Æstus & calor rapiunt aquas niuis, sepulchrum peccatores*: & tunc sensus est: Sicut terra æstuans & calor absumunt aquas niuales, ita infernus eos qui peccauerunt. Vide plura apud Pinedam. *Explicatur locus Iob.*

159 Tertiò quæritur, Vtrùm ibi sint vermes rodentes corpora damnatorum. Multi affirmant. quibus fauent aliquot Scripturæ loca. Iudith 16. *Dominus vindicabit in eis, in die Iudicij visitabit illos: dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum.* Loquitur de inimicis populi Dei. Similis locus est Ecclesiastici 7. *Memento iræ, quoniam non tardabit. Humilia valdè spiritum tuum, quia vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Isaiæ vltimo: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Idem ter repetitus à Domino Marci 9. Sed probabilius est, non esse ibi vermes corporales qui rodant corpora; sed nomine vermis indicari conscientiæ morsum & perpetuam accusationem: ita S. Hieronymus in caput vltimum Isaiæ, Ambrosius in c. 14. Lucæ in fine, D. Thomas in 4. d. 50. q. 2. a. 3. & alij passim DD. S. Augustinus lib. 21. De Ciuitate cap. 9. fusè hanc rem discutiens, vtramque partem censet probabilem, magis tamen propendet in nostram sententiam. Ratio cur non videantur ibi vermes corporei ponendi, est, quia cùm omnis morsus bestiarum ad dolores ac morsus ignis sit lusus, vel parui momenti, non videtur operæpretium vilissimas bestiolas nouo miraculo facere immortales in acerrimo igne, vt hominem crucient, præsertim cùm morsus vermium sit exi- *Vtrùm ibi sint vermes corporei.* Hieronymus. Ambrosius. S. Thomas. Augustinus.

guus, & molestiam potiùs adferat quàm acrem cruciatum. Vnde potiùs serpentes & dracones ponendi fuissent, si bestiæ aliquæ ibi ad cruciandos homines esse debebant. Verùm tantum tormentum adfert ignis sulphureus, præsertim in arcto conclusus, vt nihil vel à vermibus, vel à malleis & incudibus, vel à nive & glacie addi posse videatur. Accedit quòd, cùm toties in Scriptura, dum agitur de pœnis impiorum, *ignis* & *vermis* coniungantur, necesse sit per *vermem* aliquid magni denotari, quod cum igne totum supplicium nobis exhibeat: hoc autem non est aliud quàm conscientiæ remorsus & accusatio, qui, vt notat S. Thomas rectè, dicitur *vermis*, quia nascitur de putredine peccati, & rodit animam, sicut vermis corporalis de putredine carnis, & rodit carnem. Hic in eo consistit, quòd assiduè conscientia sua ipsos accusabit & condemnabit, quòd suis peccatis æternam gloriam, quam facilè potuissent obtinere, amiserint, & æterna supplicia incurrerint. Hinc geminus nascetur dolor, qui immensa quadam acerbitate cor eorum tamquam vermes infestissimi corrodet, nimirum, quòd sua stultitia tantum bonum neglexerint, & in tanta mala se præcipitauerint. Hæ accusationes seu cogitationes, & hi mœrores, vermes sunt acerbissimi, quorum morsus est præcipuum damnatorum tormentum: plus enim illos affligit apprehensio æternitatis tanti boni sua culpa amissi, & tanti supplicij contracti, quàm solitarius ignis. Itaque nisi per vermem duplex illa cogitatio & duplex dolor inde nascens intelligatur, non plenè à Domino Marci 9. nec vsquam alibi impiorum pœna descripta erit, seu præcipua pars omissa. Nec obstat, quòd hæ cogitationes sponte videantur sequi ex ipsa sententia damnationis; quia etiamsi aliquo modo sponte sequantur, tamen nisi aliquid aliud accedat, non erunt ita perfectæ, nec continuæ, nec ita affligent. Vnde Deus peculiari influxu facit, vt damnati clarè & assiduè ista apprehendant, nec mentem possint ab his cogitationibus auertere. quò autem clarior est apprehensio, eò dolor erit maior, ac furor & rabies in seipsos acrior. Ad testimonium Iudith respondet S. Thomas, *carnem* accipi pro anima: commodiùs dixisset, *carnem* phrasi Hebræa ibi accipi pro toto homine. Sensus est: Cùm Dominus iudicabit orbem, & impij resurrexerint, dabit ignem & vermes in carnes eorum, id est, in ipsos carne indutos, vt vrantur igne, & sentiant vermium istorum morsum in sempiternum. Simili modo dicitur: *Vindicta carnis impij*, id est, ipsius impij carne induti, *ignis & vermis*. *Ignis* pro carne, *vermis* pro animo, cuius

Vermis est conscientia remorsus.

Vermis iste consistit in gemina cogitatione & gemino mœrore.

S. Thomas.

Explicatur locus Iudith.

Eccli. 7.

cuius tamen dolor in carnem redundat, quia *ſpiritus triſtis exſiccat ossa*. Simili phraſi Apoſtolus ad Corinthios dixit: *Nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſsi ſumus: foris pugnæ, intus timores*. Vbi *timor* ponitur pro afflictione carnis, id eſt hominis in carne paſſibili conſtituti. Et alibi; *Caro & ſanguis regnum Dei non poſsidebunt*, id eſt, homo carne paſſibili indutus. Omitto alias quorumdam expoſitiones. Prou. 17. 2. Cor. 7.

160 Quartò, Vtrùm ibi ſint tenebræ & fumus, fletus & ſtridor dentium. Reſpondeo, hæc omnia ibi ſine fine affluere. De *tenebris* habemus Iob 10. vbi infernum vocat *Terram miſeriæ & tenebrarum, opertam mortis caligine, vbi ſempiternus horror inhabitat*. Eccleſiaſtici 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ*. Matthæi 8. *Filij regni* (Iudæi increduli) *eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium*. Hic *infernus* per tenebras exteriores denotatur. Idem repetitur Matthæi 22. & 25. Vocantur *exteriores*, quia ſunt extra locum conuiuij, & totum regnum Sanctorum. 2. Petri 2. *Quibus caligo tenebrarum reſeruatur*. Loquitur de ſeductoribus. Meritò priuantur omni luce corporali, qui lucem ſpiritalem & diuinam contempſerunt. Nec obſtat quòd ibi erit ignis: quia ignis ſulphureus parum lucet, & ea ipſa lux non læta ſed pallida & mœſtitiæ plena; *ſuoq; repercuſſu* (teſte Plinio) *pallorem dirum præſentibus ſuffundit*. Has tenebras augebit atra nebula ſeu fumus ſulphureus, quo omnia erunt pleniſſima. Vnde Apocal. 14. *Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum*. Idem repetitur Apocal. 19. non tamen aſſiduè nouus fumus aſcenſurus eſt, ſicut apud nos, ſed ſicut materia eius, nempe ſulphur numquam conſumetur; ita nec fumus ipſe, ſed ſemper conſeruabitur, & ſemper aſcendet, & ſurſum tendet quantum poterit. Credibile etiam eſt, eodem fumo ingentes excitandos procellas, de quibus Pſal. 10. *Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*. & in Epiſtola Iudæ, *quibus procella tenebrarum ſeruata eſt*; nempe cùm ſurſum tendens, vndique à ſummis inferorum partibus repelletur. his vehementiùs exardeſcet ille ignis. Iſa. 30. *Flatus Domini, ſicut torrens ſulphuris, ſuccendens eam*. Erit etiam ibi *fletus*, gemitus, & vlulatus immenſus, abſque tamen lacrymarum effuſione, vt docet S. Thomas d. 50. q. 3. a. 3. quia non fiet humorum reſolutio. cuius ratio eſt, non quia abſque motu cæli, (qui tunc ceſſabit) nulla poterit fieri alteratio, vt ipſe exiſtimat: ſed quia Deus non permittet corpora diſſolui, vt ſemper pati

De tenebris, fumo, fletu, &c.

Tenebræ exteriores.

Lib. 35. c. 15.

S. Thomas.

queant. Neque ad fletum requiritur lacrymarum effusio, sed sufficit ea oris, oculorum, & totius vultus perturbatio ac dissolutio cum eiulatu & vociferatione, quæ in amarissimè flentibus esse solent. *Fletus* iste index erit summæ tristitiæ, *stridor dentium* summi doloris, quem sentient ex igne. Sicut enim sunt duæ partes præcipuæ afflictionis damnatorum, nempe summa tristitia animi, ex apprehensione tanti boni amissi & tanti mali contracti; & summus dolor corporalis, ex igne & aliis causis externis: ita quoque duplex est signum externum huius afflictionis, *fletus* & *dentium stridor*. Illa duo indicauit Dominus per *vermem* & *ignem*: hæc verò cùm ait, *ibi erit fletus & stridor dentium*.

De situ & dispositione damnatorũ.

Supereſt vt aliquid dicamus de dispositione & situ damnato- 161
rum. Quidam ponunt ibi vastissima spatia, quæ ad multas leucarum centurias extendantur, per quæ damnati raptentur & discurrant. sed nihil opus est tanta loci amplitudine, vt suprà ostensum: nam ex Apocalypsi constat, omnes mittendos in stagnum ignis sulphurei. sic enim ibi habetur: *Qui non inuentus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*, nempe sulphurei, vt patet ex antecedentibus & sequentibus. Dicitur *stagnum* ratione materiæ liquidæ, nempe sulphuris liquati & ardentis. Itaque omnes erunt in hoc stagno. Idem patet ex cap. 21. vbi dicitur; *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure: quod est mors secunda.* Hîc omne genus peccatorum addicitur stagno sulphureo. quare cùm multa millia millionum ibi futura sint, non poterunt in illo stagno seorsim disponi, (opus enim esset plusquam centum leucis:) sed necesse erit alios supra alios coaceruari, sicut cùm magna copia oiſciculorum vel fabarum in ardenti oleo frigitur. hoc etiam est conueniens diuersitati peccatorum, vt quò quisque grauius peccauit, eò sit profundior in stagno, & grauiore prematur pondere incumbentium: quò minùs grauiter, eò minùs sit depressus, & minori pondere grauetur. Idem confirmatur ex aliis Scripturæ locis. Ecclesiastici 21. *Stuppa congregata synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. Congregata* quia instar stuppæ in cumulum colligentur; & paterfamilias Matth. 13. iubet zizania colligi in fasciculos ad comburendum. Isa. 24. *Congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum: & claudentur ibi in carcere: & post multos dies visitabuntur.* Loquitur de damnatis, quos dicit in vnum colligendos, & instar vnius fascis

Apoc. 20. Omnes erunt in stagno ignis & sulphuris.

fascis in lacum inferni mittendos, vnde numquam sint exituri, sed quantumuis multum temporis accipias, adhuc eorum pœnam (hoc enim designat illud *visitabuntur*) duraturam. Rursus Isaiæ 30. comparantur *lignis multis, seu aceruo ingenti lignorum ardentium.* Quòd si hoc stagnum ponatur in centro, (quod suprà verisimilius esse diximus:) etiam ex hoc capite, necessarium erit alios super alios accumulari, quia nullum habebunt fundum cui insistant, vt benè notauit Sotus d. 45. a. 2. rectèque illud stagnum dicetur *abyssus inferorum*, quia fundo carebit. De magnitudine huius stagni suprà diximus, abundè satis magnum esse, si diameter sit vnius leucæ seu 20000. pedum, sic enim ambitus erit trium leucarum. Tale stagnum facilè capiet omnia damnatorum corpora, ita vt omnia in stagno esse possint, tanto tamen corporum accessu non parum vndique intumescet, dilatabitur & eleuabitur, iuxta illud Isaiæ 5. *Dilatauit infernus animam suam*, id est seipsum vel stagnum suum, quod est veluti anima ejus, vtpote præstantior pars, ac veluti medulla, & intima viscera. Totum hoc stagnum cum omnibus corporibus iniectis ardebit, eritque tota illa iniquorum congeries ardens tamquam victima Domino & holocaustum pro peccato, quod sacrificium numquam complebitur, sed semper peragetur coram Domino & omnibus Sanctis; sicut ipsum peccatum semper expiabitur, & numquam erit expiatum. Hinc non solùm ignis foris applicabitur corporibus vt suo contactu cruciet, sed ipsa etiam corpora ardebunt, sicut in holocaustis fieri solet. Insinuatur Isaiæ 30. *Nutrimenta eius* (Topheth) *ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris, succendens eam. Ligna* illa non sunt aliud quàm corpora iniquorum, qui fuerunt ligna arida. Hinc peccatores comparantur arbori infructuosæ excindendæ & in ignem mittendæ, & stupæ collectæ, & fasciculis zizaniorum, quæ omnia igni iniecta ardent. & Psal. 20. *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui*, nimirum vt ardeant sicut ligna in clibano. *Deuorabit eos ignis.* Omnia ista apertè indicant ipsos arsuros instar materiæ quæ accenditur. Vnde stagnum sulphuris ardentis non tam erit necessarium vt igne torqueantur, quàm vt in pœnis suis sepeliantur, iuxta illud, *Sepultus est diues in inferno.* ita vt nullum eis possit extrinsecus accedere refrigerium, nec possint aliquid leuaminis accipere à libera respiratione vel clamore, qui in magnis tormentis naturaliter adhiberi solet ad doloris aliquantulum solatium. Huc referri potest, quòd 1. Regum 2. in Cantico Annæ dicitur: *Impij in tene-*

Magnitudo huius stagni.

Mat. 3. & 7. Lucæ 3. Eccli. 21. Matth. 13.

Lucæ 16.

tenebris conticescent. quod intellige de ijs, qui profundiùs demersi erunt: qui enim saltem capite extabunt, clamare poterunt; quales fortè erunt, qui minùs grauiter peccarunt. Quòd si omnes ita demergantur, vt nullus supernè extet, compescentur omnes clamores, & omnes blasphemiæ vocales, eritque ibi magnum silentium: quod non parum augebit ipsorum tormentum, dolore intus sæuiente, nec valente per vocem erumpere. Hæc de pœna sensus.

Pœna damni.

Pœna damni consistet in priuatione æternæ gloriæ, & omnium 162
bonorum ac gaudiorum quibus Beati fruentur, vel quæ aliquo modo possidebunt. Damnum hoc duplici ratione est infinitum; tum quia est amissio boni infiniti, tum quia durabit in infinitum. Hinc sequetur immensa quædam tristitia, quam ex consideratione tanti damni concipient. Sicut enim gaudium quod Beati ex possessione sempiterna tantorum bonorum percipient, erit ineffabile, ita tristitia quam damnati percipient ex æterna priuatione eorumdem bonorum, ineffabilis erit, ad cuius augmentum non parum faciet ea consideratio, quòd illa bona facile potuerint obtinere, & sua culpa amiserint.

Damni pœna duplici ratione infinita.

Triplex afflictio in damnatis.

Itaque generatim triplex erit afflictio in damnatis. Primò, Erunt summi dolores sensuum, totiusque corporis interiùs & exteriùs. Secundò, Erit summa animi tristitia ex consideratione tantorum malorum in quæ inciderunt. Tertiò, Erit summa tristitia ex consideratione bonorum quæ amiserunt, supra omnem autem modum affliget illos consideratio æternitatis, & quòd nullo vmquam tempore horum malorum erit finis, vel aliqua saltem mitigatio. Hinc sequetur desperatio, furor, & maledictio, qua & seipsos, quòd sibi tantorum malorum causa fuerint; & Deum qui ipsos condidit, & parentes qui genuerunt; & dæmones qui seduxerunt, & socios qui allexerunt, & omnem creaturam maledicent.

Consideratio æternitatis maximè augebit tristitiam.

CAPVT XXV.

De pœnarum æternitate, & qua ratione iustè pro vno peccato mortifero Deus infligat pœnas æternas.

Quatuor articuli Fidei maximè difficiles.

QVATVOR sunt mysteria nostræ sanctissimæ fidei maximè difficilia creditu menti humanæ; mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & æternitatis suppliciorum. Vnde plurimæ circa hæc fuerunt, & adhuc sunt hæreses. Quam ob causam diuina 163

quoque

quoque prouidentia curauit ea maximè confirmari & ſtabiliri, partim teſtimoniis Scripturarum, partim definitionibus Conciliorum, partim miraculis & ſanctitate vitæ eorum qui hæc dogmata propagarunt. Verùm, omiſſis cæteris, agamus de pœnarum æternitate. Hanc negant omnes athei, & qui animam mortalem faciunt, quorum plerique etiam ſunt athei. Verùm hi omnes pœnas quæ poſt hanc vitam infligantur, è medio tollunt, cùm tollant eum qui infligat, vel cui infligantur. Negant quædam Anabaptiſtarum ſectæ, vt quidam Auctores de illis ſcripſerunt. Ethnicis etiam, quando ad fidem conuertendi, valdè difficilis eſt creditu. Valdè enim videtur abhorrere à recta ratione, & à benignitate ac miſericordia Dei, propter peccatum quod momento tranſit, infligere pœnas æternas adeò atroces. Negauit olim Origenes, & docuit, omnes animas impiorum & dæmones poſt aliquot ſæcula liberandos, & Angelicæ luci ac felicitati reſtituendos: nimirum quando per ignem & ſupplicia inferorum plenè fuerint expiati. Verùm hanc felicitatem putabat non fore perpetuam; ſed rurſum poſt aliquot ſæcula in miſeriam commutandam; longo enim ſæculorum decurſu fore vt tædio diuinæ contemplationis affecti, peccato ſe contaminent; ob quæ rurſum detrudantur in corpora; in quibus ſi iniquè vixerint, demergendos in ignem tartari; quo expiati, rurſum cælo & diuinæ contemplationi reſtituantur. Hanc viciſſitudinem felicitatis & miſeriæ in omni creatura rationali ſtatuebat æternam, ita vt infinities eædem animæ, & ijdem dæmones ſint futuri nunc beati, nunc miſeri. Refert S. Hieronymus Epiſtola ad Pammachium contra errores Ioannis Ieroſolymitani, & S. Auguſtinus De Hæreſibus cap. 43. & alij Patres.

Bulengerus lib. 2. contra Anabaptiſtas cap. 15.

Origenis error de æterno circulo felicitatis & miſeriarum.

Multa abſurda continet hæc doctrina, quæ non eſt huius loci operosè refutare: euertit enim fundamentum religionis Chriſtianæ, & omnes diuinas promiſſiones: eneruat & ad nihilum pœnè redigit pretium Sanguinis Chriſti, & omnia ſalutis noſtræ remedia. ſi enim æterno quodam circulo voluemur per miſeriam & felicitatem, & numquam planè liberi erimus à tyrannide peccati, quid magni nobis Chriſtus per ſuam paſſionem contulit? quid magni nobis poſt hanc vitam expectandum? nam etiam cùm videbimur aliquid felicitatis habere in cælo, erimus verè miſeri expectatione futuri lapſus & malorum impendentium. Sanè longè melius & optabilius erat numquam extitiſſe in rerum natura, quàm ſemper tyrannidi peccati & tantis malis eſſe obnoxium & expoſitum.

Refutatur.

Denique,

Denique, si circulus iste Origenis admittatur, concedendum erit, Christum debere infinities pati, vt animæ quæ de nouo in corpora relegatæ fuerunt, redimantur; infinities quoque futuram resurrectionem, & Iudicium vniuersale. Omitto alia absurda, quæ hæc sententia secum trahit.

Pœnas impiorum fore æternas.

Nunc breuiter ex Scripturis ostendamus has pœnas sempiternas 164
fore, nec vllam vllo vmquam tempore sperandam liberationem. Iudith 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum.* Psal. 48. *Introibit vsque in progenies patrum suorum, & vsque in æternum non videbit lumen.* semper erit in tenebris & afflictione, nullam percipiet vmquã consolationem. Psal. 91. *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ,* decreta tua de hominibus, &c. *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, vt intereant in sæculum sæculi: tu autem Altissimus in æternum Domine.* quasi dicat: Tunc apparebit consilium tuum, & cogitationes tuæ, nempe quòd omnia condideris & sic constitueris, vt impij æterno supplicio, iusti æterna donentur gloria. Isaiæ 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* quæ verba ter repetuntur à Domino Marci 9. Ex quibus perspicuum est, cùm in aliis locis ignis dicitur *æternus,* vel supplicium *æternum,* τὸ *æternum* non posse accipi pro longissimo aliquo tempore finito, vt volebat Origenes, sicut interdum accipitur in Scripturis: sed de vera æternitate, quæ nullum habet finem. *Vermis* enim *qui non morietur,* in æternum viuet, & numquam finem habebit: *& ignis qui non extinguetur,* siue qui inextinguibilis est (vt Marcus habet) sine fine ardebit. Daniel. 12. *Multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt alij in vitam æternam, & alij in opprobrium vt videant semper. Vt videant,* id est, vt sentiant, experiantur, sustineant opprobrium æternum. Matth. 3. *Paleas comburet igni inextinguibili.* & cap. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum,* &c. & infrà: *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Sic ergò supplicium impiorum erit æternum, sicut vita horum erit æterna. Atqui vita iustorum erit propriè æterna, ita vt nullum vmquam finem habeat, vt patet tum ex Symbolo, in quo credimus *vitam æternam;* tum ex plurimis Scripturæ locis, quibus præmium iustorum dicitur *hereditas incorruptibilis, immarcescibilis, æterna; vbi non erit amplius mors aut luctus,* & similia. Ergo supplicium iniquorum erit propriè æternum, ita vt numquam sit

1. Petri 1, 4. 2. Cor. 5, 1. Apoc. 21, 4.

ter-

terminandum. 2. ad Thessalon. 1. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit glorificari in Sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Denique Apoc. 14. *Si quis adorauerit bestiam,* (id est, Si quis consenserit Antichristo, vel præcursoribus eius hæreticis) *cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni, & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem die ac nocte.* Omitto alia loca plurima. Eamdem veritatem tradunt omnes Patres: nec quidquam ferè est, quod æquè vel in Scripturis vel in Patribus inculcetur, atque præmiorum & pœnarum post hanc vitam æternitas.

165 Verùm difficile videtur intellectu, qua ratione tanta pœna iustè peccato mortifero respondeat. Vnde variæ adferuntur huius rei causæ. Prima est, quia etsi actus peccati re ipsa breuis fuerit & citò transierit, affectu tamen peccantis fuit æternus: vellet enim peccans, (si fieri posset) semper in suauitate & oblectatione, quam peccando percipit, permanere. ita S. Gregorius lib. 4. Dial. c. 44. *Vellet,* inquit, *sine fine viuere, vt posset sine fine peccare: districtus autem Iudex corda pensat & affectus, non facta. Ad magnam erga iustitiam iudicantis pertinet, vt numquam careant supplicio, qui in hac vita numquam voluerunt carere peccato.* Hæc ratio continet bonam & vtilem congruentiam, non tamen satisfacit intellectui; quia multi peccant, qui talem affectum non habent, sed solùm ad breue tempus cupiunt oblectationem vel commodum ex peccato, cum proposito abstinendi in posterum. Nec refert, quòd si semper eædem circumstantiæ manerent, semper vellent peccare: quia sicut re ipsa eædem circumstantiæ non manent, ita neque re ipsa talem voluntatem habent, neque ea de re cogitant. Deinde, etiamsi in omnibus qui peccant esset talis affectus, quo cuperent semper viuere, vt semper possent voluptatibus peccatorum frui, (qui sanè est in multis;) hic tamen affectus est inefficax, neque potest æquari affectui æterno, aut peccatis quæ æterno tempore committerentur, ac proinde ex hoc capite non potest mereri pœnam æternam. Vnde alij DD. causam huius referunt in naturam peccati mortalis, quod tollit principium vitæ spiritualis, nempe charitatem, & infert mortem animæ. Vnde sequitur, esse irreparabile; & consequenter, mereri pœnam æternam. Ita S. Thomas 1. 2. q. 87. a. 3. quem sequuntur multi alij. Cuius rationis vis consistit in eo, quòd omne peccatum mereatur puniri, donec sufficiens pro eo exhibeatur satisfa-

Qua ratione peccatū mortiferum mereatur pœnam æternā.

ctio ; vel donec peccator reparet ordinem quem peccando violauit, conuertendo se per charitatem ad Deum, à quo se auertit. Atqui is qui peccauit mortiferè, nullo vmquam tempore potest exhibere sufficientem satisfactionem, nec potest instaurare ordinem quem violauit. Ergo meretur puniri sine fine. Hæc ratio probabilis est, habet tamen non modicam difficultatem : quia etiamsi rectè crimen puniatur, donec reus plenam exhibeat satisfactionem, quando eam exhibere potest, & non vult, eò quòd tunc peccatum suum liberè continuet, & sit contumax: tamen nulla ratio vel æquitas postulat vt semper puniatur, quando nullo modo potest satisfacere, vel iniuriam damnúmve illatum compensare. Quis enim dicat, eum qui commisit furtũ, vel mutilauit aliquem membro, debere tamdiu flagellari & torquẽri, quamdiu non sarcit damnum, cùm non sit in eius potestate illud sarcire?

Propter peccata quæ committuntur in inferno, non continuatur pœna.

Dices: Damnati semper peccant, & numquam abstinent à peccando, ergo merentur semper puniri. Respondeo: Etiamsi semper peccent, non tamen punientur ob illa peccata, cùm sint extra statum merendi & demerendi ; sed solùm punientur propter actum peccati quem fecerunt in vita, quem vellent se numquam fecisse, & vehementer de eo dolent, quatenus tantorum malorum ipsis causa extitit, & si possent, omnibus modis cuperent pro eo satisfactionem iustam exhibere. Quòd autem semper peccent, id prouenit ex desperatione, quia sciunt se numquam liberandos: ac proinde iam supponitur pœna æterna propter solum actum præteritum decreta. Quidam vtuntur hac ratione, qua putant perspicuè concludere: Omnis pœna infligitur propter culpam; ergo tamdiu durare debet pœna, quamdiu perseuerat culpa: atqui culpa post hanc vitam numquam remittitur in inferno, ibi enim nulla est pœnitentia; ergo nec pœna finiri debet. Verùm nequ hæc ratio satisfacit; nulla enim æquitas postulat, vt reus tamdiu puniatur, quamdiu non recipitur in gratiam, vt patet in rebus humanis, ex quibus philosophari debemus de diuinis : non etiam tanto tempore punitur reus, quia manet in culpa habituali, quam non potest delere ; sed quia per actum suum meruit tamdiu puniri. potest autem pœna peccato debita exhaustiri & finem habere, etiamsi ipse maneat despectus & vilis in Republica. Neque dubium est, quin Deus posset aliquod peccatum non mortiferum condignè punire, etiamsi culpa seu macula peccati non condonetur, vt quando veniale coniungitur cum peccato mortifero. Pari modo nulla æquitas postulat, 166

lat, vt quia Deus non ſtatuit dare gratiam damnatis qua pœnitentiam agant, ideireò debeant in æternum puniri: non enim ideò puniuntur in æternum, quia non agunt pœnitentiam, aut quia Deus non ſtatuit illis dare auxilium; ſed ideò non ſtatuit eis dare auxilium, quia eorum peccatum quod olim fecerunt, poſtulat æternam pœnam; & conſequenter, vt in perpetuum eis denegetur auxilium, quo ſalubriter poſſint pœnitere.

167 Itaque fatendum eſt, ipſum peccatum per ſe tantam pœnam mereri, non quia deleri non poteſt, ſed quia per ſe tantam malitiam continet, vt æterna caſtigatio ſecundùm legem iuſtitiæ ei reſpondeat. Quod confirmatur, Quia peccatum mortiferum per ſe meretur aliquam pœnam, quæ illi ex æquo reſpondeat; & talis pœna à Deo cognoſcitur. hæc autem vel eſt finita, vel infinita. Non finita, quia alioquin aliquando foret exhaurienda; & quidquid vlteriùs pœnæ irrogaretur, eſſet ſupra condignum, & excederet limites iuſtitiæ. Ergo infinita: ac proinde ipſum peccatum ſecundùm ſe, & ratione propriæ malitiæ, præciſa conſideratione illa, an ſit delebile an indelebile, meretur pœnam infinitam duratione. Quod vt meliùs intelligatur, explicandum eſt capite ſequenti, in quo conſiſtat malitia peccati.

Peccatum mortiferum per ſe meretur pœnam æternam.

CAPVT XXVI.

In quo conſiſtat malitia peccati, & quo modo mereatur pœnam infinitam, ſeu æternam.

168 QVOD ad priorem partem attinet, communior Doctorum ſententia eſt, malitiam peccati conſiſtere in quadam priuatione, idque ob duas potiſſimùm cauſas. Primò, quia hoc ſancti Patres paſſim inſinuant. Secundò, quia ſi malitia conſiſteret in aliquo poſitiuo, Deus eſſet auctor peccati, quod dictu nefas. Verùm id diuerſis modis explicatur, præſertim à recentioribus, adeò vt quinque vel ſex modi explicandi & ſententiæ reperiantur: non enim conueniunt, nec in aſſignanda bonitate illa, in cuius priuatione conſiſtat malitia peccati, nec in ſubiecto in quo immediatè ſit illa priuatio, nec in modo explicandi illam priuationem: nam multi dicunt non eſſe priuationem, ſed negationem.

Primus modus explicandi eſt eorum, qui dicunt, malitiam peccati commiſſionis (de hoc enim hîc agitur) conſiſtere in priua-

Varij modi explicandi hanc ſententiam.

tione rectitudinis debitæ ineſſe ipſi actui, qui peccatum dicitur: verbi gratia, malitiam furti conſiſtere in eo, quòd iſte actus accipiendi alienum careat rectitudine iuſtitiæ; malitiam fornicationis in eo, quòd careat rectitudine temperantiæ ſeu caſtitatis. Vnde bonitatem, in cuius priuatione ſeu abſentia conſiſtit malitia, ponunt in honeſtate virtutis oppoſitæ, ſubiectum autem huius priuationis ſtatuunt ipſum actum.

Secundus modus eſt eorum, qui priuationem illius bonitatis ponunt non immediatè in ipſo actu peccati, ſed in voluntate volente operari circa tale obiectum; vt ideò furtum ſit malum, quia priuat hominem bonitate iuſtitiæ.

Tertius modus eſt eorum, qui non conſtituunt malitiam peccati in priuatione honeſtatis oppoſitæ, ſed in priuatione conformitatis cum lege diuina: & hanc priuationem collocant immediatè in ipſo actu peccati. Iuxta quam ſententiam ideò furtum eſt malum, quia caret conformitate cum lege diuina *Non furaberis.*

Quartus modus eſt eorum, qui ponunt malitiam in carentia perfectionis neceſſariæ, vt actus ſit conueniens ſubiecto.

Quintus modus eſt eorum, qui rem verbis adhuc magis inuoluunt, & dicunt, formale peccati commiſſionis conſiſtere in ſola excluſione perfectionis actualis bonitatis, quæ oppoſito actui virtutis ineſſe deberet ex vi præcepti negatiui prohibentis actum prauum.

Omnes hi modi explicandi mihi videntur alieni à mente SS. Patrum & S. Thomæ, & à veritate, quod ſigillatim conabor oſtendere. Vnde

Malitia peccati non eſt priuatio rectitudinis debitæ actui.

Dico primò, Malitia formalis peccati non eſt ſtatuenda in priuatione rectitudinis, quæ debeat ineſſe actui. 169 Probatur primò, Quia nulla rectitudo debita eſt actui peccati, verbi gratia, volitioni furandi, mœchandi, occidendi, blaſphemandi, odio Dei, &c. cùm talis actus nullius rectitudinis ſit capax: nulla enim ratione, nullaque potentia fieri poteſt, vt talis actus interior voluntatis (qui per ſe & immediatè peccatum eſt) rectè fiat, & ipſa malitia ita eſt illi intrinſeca, vt poſita libertate nullo modo poſſit ab eo ſeparari. Hinc abſentia talis rectitudinis conſiderata in actu non eſt priuatio boni, ſed mera negatio. atqui ob negationem ſeu abſentiam boni, cuius res non eſt capax, non poteſt dici mala, ſed ſolùm minùs bona. Brutum enim non poteſt dici malum, quia caret bono rationis; nec dolor malus, quia caret bono voluptatis: ſed ſolùm hac ratione poſſunt dici minùs bona.

Reſpon-

Respondent quidam, Etiamsi nulla rectitudo sit debita isti actui, quatenus est talis speciei, & versatur circa tale obiectum in specie; debita tamen est illi quatenus consideratur in genere vt actus humanus & liber; ea enim ratione est capax rectitudinis, & priuationis oppositæ: ac proinde malitia eius poterit consistere in priuatione rectitudinis debitæ illi actui, vt est actus humanus. Sed contrà, Iste actus secundùm nullum gradum in ipso existentem est capax rectitudinis, neque rectitudo virtutis illi gradui istius est debita, ac proinde non potest dici malus quòd desit ei rectitudo debita. Nec refert quòd actui libero, quatenus liber est, debita sit rectitudo; quia hoc debitum non est in vllo actu particulari, sed in ipsa voluntate quæ tenetur & debet ponere rectitudinem in suis actibus: quod si non faciat, in ipsa erit priuatio rectitudinis, nõ in actu. *Responsio quorum am.* *Refutatur.*

Secundò probatur: Si tota ratio malitiæ peccati cõsistit in priuatione rectitudinis quæ actui debebat inesse, ergo tota ratio cur odiũ Dei est malum, est, quia caret bono amoris diuini, seu honestate quæ est in amore diuino: & consequenter, is qui odit Deum, non plus peccat, quàm qui non amat, cùm debet amare. Non enim potest plus peccare, quàm sit malitiæ in actu. atqui in actu tota malitia est absentia amoris, seu bonitatis quæ in amore cernitur: ergo odium Dei non poterit esse maius malum, quàm sit absentia amoris. Numquam enim effectus formalis potest esse maior ipsâ formâ seu ratione formali à qua prouenit. atqui absurdum est dicere, odium Dei non esse maius malum quàm sit defectus amoris; & voluntatem blasphemandi non esse maius peccatum, quàm defectum laudandi.

Tertiò, Idem probatur à simili in malis naturalibus: dolor enim non tantùm dicitur malum animantis, quia caret bono voluptatis, sed etiam, & maximè, quia per se naturæ repugnat, eamque malè afficit. Longè enim alia sentitur afflictio, & aliter natura afficitur dum adest dolor, quàm cùm solùm deest voluptas. Sicut longè aliud est, esse amarum, quàm carere dulcedine; esse dolorificum, quàm esse priuatiuum voluptatis. Idem dicendum de errore & similibus. Ergo pari modo etiam in malis moralibus, non solùm est priuatio honestatis oppositæ, sed etiam positiua, repugnantia, quæ rationi & naturæ rationali, vt liberè operanti, repugnet. Ob has rationes quidam fatentur, malitiam peccati non consistere in priuatione rectitudinis quæ debeat inesse ipsi actui, qui nullo modo est capax illius, sed dicunt, debere inesse ipsi operanti

seu voluntati: & hæc erat secunda sententia. Contra quam

Non consistit in priuatione rectitudinis quæ debeat inesse operanti.

Dico secundò, Malitia peccati commissionis non consistit in priuatione rectitudinis, quæ debeat inesse ipsi operanti. Probatur primò: In operante numquam est priuatio rectitudinis debitæ, nisi quando tenetur benè operari. cùm enim non tenetur benè operari, non est illi debita vlla actualis rectitudo; ac proinde absentia illius non est priuatio, sed mera negatio. atqui omnia ferè peccata commissionis admittuntur extra illud punctum temporis quo est obligatio benè operandi; ergo illa vel non sunt peccata, vel eorum malitia non consistit in priuatione rectitudinis, quæ deberet inesse operanti. Secundò probatur, huc applicando rationem secundam suprà positam. Hinc enim sequetur, odium Dei non esse malum, nisi quia ab homine excludit bonitatem actus amoris: nec maius peccatum esse, odisse Deum, quam non amare quando est amandus: quod manifestè falsum est & absurdum. Tertiò idem confirmatur ex iis quæ dicta sunt isti tertia ratione. Dolor enim, error, & tristitia, dicuntur mala naturæ sentientis & intelligentis, non solùm quia priuant eam voluptate, veritate & gaudio: sed etiam quia per se & natura sua repugnant naturæ rationali, eamque malè afficiunt. Idem ergo dicendum de malis moralibus: nulla enim est ratio, si in physicis detur malum positiuum, cur non etiam in actibus moralibus. Quartò, Priuare rectitudine debita subiecto, vel operanti, non est ratio formalis intrinseca actui malo, sed solùm est quid extrinsecum, nempe effectus formalis secundarius; sicut priuatio frigoris in aquâ non est quid intrinsecum calori, sed effectus eius secundarius, qui ipsi calori in eodem subiecto coniungitur. Vnde sequitur, non ideò actum esse malum primariò, quia priuat bonitate virtutis; sed idcò priuare, quia malus est: ita vt prius sit actum esse malum, quàm inducere in subiecto priuationem, cùm priuatio sit effectus malitiæ eius. Confirmatur: Ideò enim actus peccati priuat bono virtutis, quia disconueniens seu repugnans rationi: atqui eadem est ratio cur sit malus primariò, nimirum quia repugnans rationi. ergo quia malus, priuat; non autem ideò primariò malus, quia priuat. Itaque ratio mali in actu est prior ratione priuationis, quæ est in subiecto: & consequenter non consistit primariò in illa priuatione, sed in aliquo alio. Dico *primariò*, quia non est negandum quin possit etiam dici malus ratione huius priuationis quam inducit: rectè enim dicitur malum, quod inducit priuationem boni. Sed hæc non est primaria & intima

170

intima eius malitia. Sicut dolor dici potest malus, quia priuat bono voluptatis: hæc tamen non est primaria eius malitia, nam per se est subiecto disconueniens, & malè illud afficit, vt experientia docet.

171 Quidam, vt defendant, malum etiam in naturalibus consistere solùm in priuatione vel negatione, dicunt dolorem esse malum animalis non præcisè ratione suæ perfectionis positiuæ, sed quia caret perfectione quæ necessaria est vt sit conueniens animali. Idem dicere debent de omnibus rebus, quæ per suam entitatem positiuam alteri malæ dicuntur. Contra quam sententiam

Non cõsistit in carentia conuenientiæ.

Dico tertiò: Tota malitia talium rerum, quæ alicui malæ dicuntur, non consistit in eo quòd careant perfectione necessaria vt eidem sint congruæ & conuenientes. Est contra quartam. Probatur: Quia alioquin maximus dolor non esset maius malum quàm minimus: nam vterque æquè caret perfectione quæ est necessaria, vt sit conueniens animali. Similiter vnus error non erit maius malum intellectus quàm alius, quia vnus non magis caret perfectione veritatis quàm alius; & hoc peccatum non erit maius illo, quia æquè caret perfectione virtutis, quæ necessaria vt actus sit conueniens. loquor de peccatis quæ sunt contra eamdem virtutem. Secundò, Quia iudicio communi hominum numquam æstimatur magnitudo mali ex eo quòd illa res, quæ mala alteri dicitur, careat perfectione aliqua qua sit conueniens alteri; sed vel ex præstantia boni quo priuat, vel ex repugnantia quam habet cum subiecto, & afflictione quam infert. ergo tota malitia rei non consistit in carentia illius conuenientiæ. Tertiò, Longè maius malum est animanti, affligi doloribus, quàm carere qualitate aliqua vel bono positiuo conuenientiæ; ac proinde malitia doloris non consistit in sola carentia perfectionis necessariæ vt sit conueniens animanti, sed aliquid amplius addit. Confirmatur: Quia alioquin tota ratio mali consisteret in eo, quod est non esse bonum: idem enim est, carere perfectione per quam sit alteri conueniens, & non esse bonum. atqui commune iudicium hominum id refutat. His adde, hanc carentiam perfectionis necessariæ vt res sit conueniens subiecto, esse meram negationem, quæ necessariò fundatur in aliqua ratione positiua, per quam repugnat ei esse conueniens: ac proinde malitia consistet in illa ratione positiua, quæ est fundamentum istius negationis, & prior ratione. Denique nihil potest dici malum ob negationem, sed solùm minùs bonum. Hæc ergo sententia vera esse non potest.

Dico

Non consistit in priuatione conformitatis cum lege diuina.

171 Dico quartò: Malitia peccati non consistit primariò in priuatione conformitatis cum lege diuina. Est contra tertiam sententiam. Probatur primò? Actus peccati non est capax illius conformitatis; ergo non potest dici malus, quia priuatus est hac conformitate: nihil enim potest dici malum ex eo quòd non habeat perfectionem, cuius non est capax; alioquin lapis erit malus, quia caret ratione, sensu, vita. Secundò, Conformitas cum lege diuina in omnibus præceptis negatiuis consistit formaliter in negatione actus; nihil enim à nobis exigunt illa præcepta, quàm vt abstineamus ab opere malo, vt patet in præcepto *Non occides*, *Non furaberis*, *Non adorabis deum alienum*, &c. hæc enim per se præcisè non exigunt aliquem actum positiuum, præsertim qui sit virtutis, sed solùm omissionem operis vetiti: & per illam omissionem sumus sufficienter conformes legi prohibenti. Quo posito, sequitur, malitiã peccati commissionis consistere in priuatione negationis: quia conformitas cum lege prohibente est negatio actus mali. atqui priuatio negationis non fit formaliter nisi per aliquid positiuum: ergo malitia peccati consistet in aliqua ratione positiua. Vnde hæc sententia seipsam elidit. Tertiò, In illa conformitate negatiua nihil est boni moralis, vt per se patet; quia *non furari*, *non occidere*, nihil habet boni moralis, cùm sit mera negatio actus mali: ergo eius priuatio & absentia non potest actum reddere formaliter malum. Denique quis dicat hominem ideircò solùm malè facere occidendo, furando, blasphemando, quia non est conformis legi diuinæ hæc prohibenti? vel quia non occidere, non furari, non blasphemare est bonum?

Si dicas, hanc conformitatem cum lege diuina prohibente, non consistere præcisè in abstinendo ab opere malo, sed in voluntate abstinendi, in qua voluntate est bonum morale. Contrà: Quia lex diuina prohibens non requirit per se positiuam voluntatem abstinendi, sed solùm abstinentiam operis mali; & quamuis sæpè talis voluntas interueniat, non est necesse vt sit moraliter bona: potest enim quis concipere voluntatem abstinendi ab opere malo propter aliquid indifferens, verbi gratia, ne incurrat periculum mortis vel infamiæ, &c. & ita non erit in illo actu aliqua bonitas, cuius priuatio actum peccati reddat malum.

172 Dico quintò: Ratio formalis peccati non consistit in sola carentia rectitudinis debitæ ab operante. Hæc propositio parum differt à secunda: sed quia à quibusdam modus loquendi nonnihil mutatus

tus est, ideò eam sub hac forma proponimus. Probatur primò: Illa rectitudo debita ab operante, vel debita est illi actui qui dicitur malus, vel alicui alteri. Non actui malo; quia hic non est capax rectitudinis, ac proinde nulla rectitudo est ei debita. Non etiam alteri actui; quia hic actus non potest dici malus ex eo, quòd in alio actu teneor operari benè, & non operor: verbi gratia, Nemo dixerit me malè agere furando, quia careo rectitudine, quam teneor ponere in alio actu: vel malè agere blasphemando, quia careo rectitudine laudis diuinæ. Denique longè peius est odium Dei, blasphemia, & similia peccata positiua, quàm carentia rectitudinis debitæ ab operante, nempe amoris & laudis diuinæ. His accedit, quòd plerumque dum quis peccat, nullam debeat ponere rectitudinem, honestatem, aut virtutis actum, sed solùm teneatur abstinere ab opere seu voluntate mala: ac proinde nulla sit in illo carentia rectitudinis debitæ, quæ reddat actum malum.

173 Dico sextò: Ratio formalis peccati commissionis non est posita in sola exclusione bonitatis actualis quæ oppositio actui virtutis inesse deberet ex vi præcepti negatiui prohibentis actum prauum. Est contra vltimum modum explicandi hanc negationem. Probatur primò: Quia ex vi præcepti negatiui prohibentis actum prauum, nulla debet inesse bonitas oppositio actui virtutis; ergo malitia moralis non consistit in exclusione illius bonitatis. Consequentia est manifesta. Antecedens probatur: Nam præceptum negatiuum *Non furaberis*, *Non occides*, non postulat, vt actui qui furto vel homicidio opponitur, insit aliqua honestas virtutis; sed solùm vt abstineas ab actu furti & homicidij, non curando quomodo actus oppositus fiat, siue ex affectu virtutis, siue ex affectu boni indifferentis, &c. Secundò, Bonitas actualis, quæ est in actu iustitiæ quo quis reddit alteri quod suum est, non inest illi ex vi præcepti negatiui prohibentis furtum, vel rei alienæ detentionem; sed ex vi proprij obiecti & affectu illius, vt per se notum est: neque etiam ex vi illius præcepti tenetur operans in se vel in suo actu aliquam actualem honestatem ponere, sed solùm tenetur ab opere malo abstinere. Tertiò, Si tota malitia actus praui consistat in sola exclusione actualis bonitatis virtutis oppositæ; ergo odium Dei non est maius malum, quàm defectus & absentia amoris: & blasphemia non est maius malum quàm absentia laudis, vt suprà ostensum. Denique, Vel intelligenda est ista sententia de exclusione bonitatis actualis ab actu peccati, vel ab ipso operante. Neutrum dici potest;

test; ergo, &c. Non prius; quia actus peccati non est capax bonitatis actualis. Non posterius; quia inde sequeretur, odisse Deum non esse maius malum quàm non amare.

Duplex malum, naturæ & moris.

His refutatis, explicanda est vera sententia. Pro qua notandum 174
est, duplex esse malum, naturæ & moris. Malum naturæ seu naturale est, quod naturæ, vt rationem naturæ habet, est dissentaneum, eam malè afficit, vel etiam tollit, siue sit quid priuatiuum, vt cæcitas, surditas, ignorantia, mors; siue quid positiuum, vt dolor, tristitia, error. Et quamuis potissimùm locum habeat in natura sentiente & rationali, quæ bonum & malum suum sentire potest; tamen etiam suo modo in sensu carentibus & rebus inanimis reperitur. Est enim malum & bonum plantarum, gemmarum, terrarum, & similium, non solùm quatenus considerantur vt veniunt in vsum hominum, sed etiam secundùm propriam speciem. Bonum enim cuique rei censetur, quod illi conueniens est, eamque secundùm conditionem naturæ suæ perficit: malum, quod illi repugnat, vel dissentaneum est naturæ, eamque malè afficit.

Malum moris dicitur, quod est dissentaneum naturæ rationali, quatenus est agens liberum, seu quod est contra regulam rectæ rationis: vt sunt omnia peccata, siue commissionis, siue omissionis.

Ex quibus patet, quòd sicut in genere mali naturæ reperitur malum positiuum & priuatiuum, ita etiam in genere mali moris, adeò vt in hæc duo membra ex æquo diuidatur. Sicut enim ratio boni consistit in eo quod est esse alicui conueniens: ita ratio mali in eo quod est, esse disconueniens. Potest autem aliquid esse disconueniens dupliciter. Primò, tamquam priuatio boni debiti, sicut cæcitas, surditas, &c. Secundò, tamquam quid positiuè repugnans naturæ, eamque contra naturam disponens & afficiens, vt dolor, error, qualitatum exuberantia. Idem cernitur in malo moris: potest enim dupliciter quid esse disconueniens homini rationi vt rationi; nimirum per modum puræ priuationis, sic omissio operationis quando deberet quis operari, est quid disconueniens; & per modum positiuæ operationis, vt sunt omnia peccata commissionis.

Notandum secundò, Malum tam naturæ quàm moris rursus 175
duplex esse: aliud enim est purum malum absque vlla admixtione boni, vt quæuis priuatio boni debiti naturæ, vel operationi seu agenti libero; vt cæcitas, surditas, infirmitas, omissio boni operis præcepti: hæc enim etsi necessariò sint connexa rei bonæ, nempe subiecto quod per se bonum est, tamen in se nihil boni habent, &

mala

mala sunt, quia subiecto sunt disconuenientia, & illud suo modo malè afficiunt, dum formaliter ipsius bonum tollunt. Nulla verò negatio malum censendum est: quia etsi nihil boni in se habeat, tamen quia nulli bono est disconueniens, quasi malè afficiens illud, & priuans bono debito, reuerà malum non est, sed solùm non bonum. Sicut carere ratione, non est malum bruto, quia non priuat illud vllo bono quod ipsi sit conueniens, sed est naturalis ipsius conditio. Multò minus aliquod ens positiuum potest esse purum malum: qua in re fœdè hallucinati sunt Manichæi, qui ponebant duo regna, & duo rerum principia, nempe regnum seu terram lucis cum suis elementis & principibus, qui omnes erant per se suamque substantiam boni: & regnum seu terram tenebrarum cum suis elementis & principibus tenebrarum, qui omnes per se suamque substantiam erant mali. Ex horum conflictu factam esse commixtionem lucis & tenebrarum, & sic conditum mundum. Hos variis locis refutat S. Augustinus tom. 6. & alij sancti Patres, ostendentes omnem substantiam esse per se bonam; & malum nihil esse aliud, nisi priuationem & absentiam boni, vbi loquuntur de puro malo, ad mentem Manichæorum.

Manichæorum error.

August. hæresi 46. & contra Epist. fundamenti, & lib. contra Fortunatum, Epiphanius hæresi 66.

Aliud non est purum malum, sed dicitur malum, quia etsi in se aliquid boni sit, tamen alteri malum est, & malè ipsum afficit. Sic dolor dicitur malum animantis, & tristitia, & error, quia quodlibet horum non solùm impedit bonum subiecti, sed etiam per se est disconueniens, & prauè disponit subiectum. Simili modo calor potest dici malum aquæ, non solùm quia excludit frigus, quod est eius bonum, vtpote conueniens eius naturæ; sed etiam quia per suam entitatem positiuam ei est disconueniens. Simili ratione omnis actio praua, etiam præcisa libertate, mala dicitur, quia per se est disconueniens naturæ rationali, ita vt honestè fieri vel appeti nequeat, seclusâ ignorantiâ. Nec refert quòd omnia ista in se aliquid boni habeant, & bona sint; quia quod in se bonum est per modum entis positiui, potest esse malum alteri per eamdem entitatem qua sibi bonum est. Est enim sibi & in se bonum, quatenus habet omnem perfectionem debitam sibi secundùm suam speciem. Est malum alteri, quatenus per eamdem perfectionem est alteri dissentaneum & repugnans, & malè illum afficit.

Notandum tertiò, Rationem & magnitudinem mali æstimari non solùm ex bono quo priuat suum subiectum, vel ex repugnantia quam habet ad subiectum vel operantem; sed etiam ex damno

vel iniuria quam infert alteri, vt patet in peccatis iniustitiæ, & omnibus aliis quæ in alterum committuntur. His positis,

Malitia peccati non consistit in aliqua physica vel reali ratione.

Dico septimò: Etiamsi actus prauus secundùm suam entitatem 176
physicam sit aliquo modo malus, non tamen præcisè ratione illius entitatis est peccatum formaliter, ac proinde ratio formalis peccati non consistit in aliqua entitate vel ratione physica ipsius actus. Prior pars, quòd talis actus non solùm ratione alicuius priuationis, sed etiam per se aliquo modo malus sit, est communis sententia DD. & patet ex dictis in secunda Notatione, & ex ipsa mali definitione, quod est, esse dissonum ac repugnans naturæ. Hinc talis actus per se dicitur malum & peccatum obiectiuè, vel materialiter & fundamentaliter. Altera pars, quòd actus prauus ratione suæ entitatis præcisè non sit peccatum formale, neque habeat malitiam formalem peccati ratione cuius imputetur ad culpam, probatur: Quia si ille actus desinat esse liber, vel desinat consideratio rationis circa malitiam, etiam desinet esse peccatum, & tamen nulla realis mutatio facta erit in ipso actu. Esse enim liberum & non liberum in actu, sunt denominationes extrinsecæ à causa sic vel sic disposita, non solùm in actibus externis, sed etiam internis ipsius voluntatis, vt modò suppono. Sicut rationem aduertere vel non aduertere quale illud sit quod voluntas vult, est extrinsecum actui voluntatis. Hinc manifestè sequitur, malitiam formalem peccati non consistere in aliquo positiuo physico. Et hoc potissimùm est quod DD. intendunt, qui confugiunt ad priuationem, ne Deum faciant auctorem peccati.

Non consistit in aliqua relatione reali.

Dico octauò, Actus prauus non est etiam peccatum aut malus 177
moraliter ratione alicuius relationis vel ordinis realis, ac proinde malitia peccati non consistit in aliqua relatione reali. Probatur: Quia actus qui dicitur peccatum, siue sit interior voluntatis, siue exterior, ad tria comparari potest, ad quæ aliquam relationem habere videtur; nimirum, ad operantem, ad legem prohibentem, & ad obiectum. Ad nullum autem horum habet relationem realem. Non ad operantem; quia etiamsi dependentia actus ab operante sit aliquis modus vel ordo aut relatio realis, tamen in hac præcisè non consistit formalis malitia peccati, sed in dependentia actus quatenus est liber & cognitus, quæ sunt denominationes extrinsecæ actui. Nulla autem relatio realis potest fundari in denominatione extrinseca, vt in eo quod est, esse cognitum, volitum, liberum, dextrum, sinistrum, &c. ratio enim fundandi extrinseca, vel

Relatio realis non potest fundari in denominatione extrinseca.

ac-

accepta ab eo quod est extrinsecum fundamento, non potest in fundamento ponere, vel ei adferre relationem realem intrinsecam. Non etiam ad legem prohibentem; quia esse prohibitum lege, est denominatio extrinseca in actu: vnde non potest fundare relationem realem in actu. Deinde ipsa ratio legis non est quid reale, sed rationis, nempe regula practica mente concepta. Vnde repugnantia qua repugnat actus huic regulæ, non potest fundare relationem realem; præsertim cùm actus possit incipere & desinere esse contra legem, absque vlla sui mutatione, sola mutatione facta in lege, vel in libertate voluntatis, vel in consideratione intellectus: vt si lex incipiat esse; vel si cùm esset, abrogetur, actu adhuc durante. Si voluntas incipiat liberè influere in actum, vel cùm anteà liberè influeret, desinat liberè influere, actu continuato, &c. Denique non habet etiam actus relationem realem ad obiectum quatenus prauum est; quia quòd obiectum sit prauum, plerumque prouenit à quibusdam circumstantiis extrinsecis, quæ nihil ponunt in obiecto. Acceptio enim rei alienæ, etsi ordinem realem habeat ad rem illam quatenus est res expetenda, hac tamen ratione non est mala; sed solùm est mala, quatenus est acceptio rei alienæ domino inuito. atqui quòd res sit aliena, aut quòd dominus sit inuitus, non est quiddam in ipsa re, sed solùm denominatio extrinseca à iure & voluntate alterius: ac proinde in acceptione non est aliqua relatio realis ad rem vt aliena est. Idem cernitur in actu fornicationis, adulterij, contumeliæ, blasphemiæ, &c. quòd enim hæc femina sit soluta, vel alteri iuncta matrimonio, nihil reale in illa ponit: ac proinde non potest in actu (quo ipsa cognoscitur voluptatis causa) esse ratio alicuius relationis realis. Malitia quoque contumeliæ & blasphemiæ fundatur in significatione verborum, quæ nihil reale ponit in verbis. Idem locum habet etiam in actibus internis, qui tendunt in obiecta sua quatenus sunt delectabilia vel vtilia, non autem quatenus debitis circumstantiis carent. Vnde ad illas nullum ordinem realem habent.

Ordo actus ad obiectum quatenus prauum, non est realis.

178 Hinc patet falli Caietanum 1.2.q.18.a.5. dum putat, habitus & actus vitiorum tendere in obiectum formale contrarium obiecto formali virtutis, & ab eo accipere speciem positiuam & realem physicè contrariam habitibus & actibus virtutum. Virtus enim tendit in suum obiectum, quatenus honestum seu consentaneum rectæ rationi: vnde esse tali vel tali modo consonum rectæ rationi, est obiectum formale eius in qualibet materia, & in tendentia ad

Sententia Caietani refutatur.

tale obiectum, consistit bonitas moralis actus, supposita eius libertate; est que hæc tendentia quid reale & physicum in actu, speciem ei tribuens simul moralem & physicam. Vitium verò non tendit in suum obiectum, quia inhonestum vel rationi dissonum, aut quia caret debitis circumstantiis; (imò optaret vitiosus totum esse rationi consonum, & abesse circumstantias prauas;) sed quia delectabile, vel vtile, vel honorificum: & hinc accipit suam speciem physicam & realem, quæ consistit in reali ordine ad tale obiectum, ad circumstantias prauas, aut inhonestatem obiecti, vel quatenus ipsum rationi dissonum, non habet vllum ordinem realem; quare nec inde accipit aliquam speciem realem & physicam.

Habitus vitij & virtutis habent repugnantiam moralem, non physicam.

Vnde manifestum est, habitum virtutis & vitij, verbi gratia, temperantiæ & intemperantiæ, non habere physicam repugnantiam; similiter nec actus: quia non tendunt physicè in obiecta formaliter contraria. Si tamen habitus & actus vitiorum considerentur secundùm esse morale, quatenus subsunt libertati & considerationi seu regulæ rationis, sic habent repugnantiam cum virtute; quia tendunt in obiectum, quod spectatum cum illis circumstantiis, est rectæ rationi & obiecto virtutis contrarium, & ab illo sic spectato speciem moralem & malitiam accipiunt: quæ tamen species non est quid physicum in actu vel habitu, sed solùm quid morale, prouenies ex interpretatiua tendentia in obiectum prauum, & in ipsam obiecti prauitatem. Hoc ipso enim quo sciens & volens fertur in obiectum prauum seu inhonestum, censetur velle inhonestatem & turpitudinem actus, etsi ipsam actu formali vellet abesse: & ratione huius tendentiæ habet speciem moralem, & consequenter malitiam, quæ in actibus internis voluntatis in hac tendentia constitui potest. ideò enim mali sunt, quia in obiectum regulæ rationis repugnans feruntur: neque id sententiæ S. Thomæ repugnat, vt infrà patebit. Hinc fit vt species moralis sit accidentaria speciei naturali tum actus, tum habitus praui: secùs in actibus & habitibus bonis, vt dictum est. Ex his manifestum est, in actibus prauis non posse reperiri vllam relationem vel modum realem, in qua eius malitia formalis possit constitui.

Dico nonò: Formalis malitia peccati non consistit in aliqua priuatione propriè dicta, quæ sit in ipso actu, neque in aliquo reali positiuo, sed in priuatione quadam morali, nempe in recessu à regula rationis, & in auersione à Deo. Prior pars constat ex refutatione aliarum sententiarum. Altera pars est apertè S. Tho- 179

Consistit in quadam priuatione morali.

mæ

mæ 1.2.q.72.a.1. *Ad rationem*, inquit, *peccati duo concurrunt, actus & inordinatio eius, quæ est per recessum à lege Dei.* Vbi *inordinationem* posit pro formali peccati, & hanc inordinationem statuit in *recessu à lege Dei.* & in Resp. ad 2. *Peccatum non est pura priuatio, sed actus debito ordine priuatus.* & hanc *priuationem* in argumento, *Sed contra*, explicat per *esse contra legem Dei.* Idem clarè tradit quæstione 71.a.6. *Habet actus humanus quòd sit malus ex eo, quòd caret debita commensuratione: omnis autem commensuratio cuiuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua si diuertat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis humanæ est duplex; vna propinqua & homogenea, scilicet ipsa ratio humana; alia verò est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei.* Hîc malitiam ponit in eo, quòd est esse incommensuratum suæ regulæ; quod non fit solùm per puram priuationem, quæ non suscipit magis & minùs, sed etiam per repugnantiam quamdam & contrarietatem. & in Responsione ad 5. explicat hanc priuationem per *esse contra Deum, & contra legem æternam: & contra rationem.* Idem clarissimè docet q.87.a.4. *In peccato sunt duo, quorum vnum est auersio ab incommutabili bono, quod est infinitum: vnde ex hac parte peccatum est infinitum. Alterum est inordinata conuersio ad bonum commutabile, & ex hac parte est finitum.* Hîc malitiam peccati, quatenus mortale est, ponit *in auersione à Deo:* quæ auersio non consistit in nuda priuatione propriè dicta, sed in recessu à Deo; qui recessus fit per actum positiuum habentem repugnantiam moralem contra legem diuinam, & ipsum Deum.

180 Quæ sententia vt melius intelligatur, notandum est, sicut in rebus arte factis totum bonum consistit in conformitate operis cum regula artis, & totum malum in recessu ab hac regula: ita in moralibus totum bonum consistit in conformitate cum regula rationis, & lege æterna, & totum malum in recessu ab hac regula. Hîc recessus dicitur priuatio, non physica, sed moralis: quia cùm homo deberet se conformare suæ regulæ in operando, vel saltem non facere contra illam; faciendo actum prauum, non conformat se illi, sed ab ea recedit. Porrò multis modis ab aliqua regula in operando recedi potest: longè enim magis recedit à regula is qui positiuè facit contra illam, quàm qui solùm priuatiuè se illi non accommodat, aliquid omittendo quod ipsa præscribit. Sicut qui odit Deum, longè magis recedit à Deo, & auertitur ab illo, quàm qui non amat cùm deberet amare; qui blasphemat, magis quàm qui non

Malum in moribus consistit in recessu à regula rationis.

Multis modis recedituir à regula.

non laudat, &c. Itaque hæc priuatio suscipit magis & minus; ac proinde non omnia peccata contra eamdem virtutem sunt æqualia & eiusdem speciei; quod tamen sequeretur, si malitia consisteret in priuatione propriè dicta honestatis contrariæ. Hoc ergo modo intelligendus est S. Thomas & sancti Patres, cùm dicunt peccatum consistere in priuatione. ac de S. Thoma satis constat ex iis quæ ex ipso adduximus, & ex aliis locis plurimis.

Quod ad sanctos Patres attinet: S. Basilius in Constitut. monasticis cap. 3. *Vitium*, ait, *nihil est aliud quàm virtutis desertio*, id est, recessus à regula rationis quæ virtutem præscribit. S. Augustinus lib. 2. De lib. arb. cap. vltimo. *Nulla ergo natura est quæ non sit à Deo: motus ergo ille auersionis (quod fatemur esse peccatum, quoniam defectiuus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est) vide quò pertineat, & ad Deum non pertinere non dubites*. Vocat peccatum *motum auersionis* & *motum defectiuum*, non quòd illi insit aliqua priuatio propriè, sed quia per illum homo recedit & deficit à Deo eiusque amicitia, & motus ille inducit amicitiæ priuationem. omnis defectus dicitur esse ex nihilo; quia quòd res possit aliquo modo deficere à sua regula, vel à suo bono, hoc prouenit non ex aliqua qualitate vel conditione à Deo ipsi impressa, sicut quòd possit operari: sed ex eo quòd ipsa sit ex nihilo. S. Fulgentius lib. De fide ad Petrum cap. 21. *Malum nihil aliud est, nisi boni priuatio. vnde geminum constat esse creaturæ rationalis malum: vnum quo voluntariè ipsa deficit à summo bono Creatore suo, alterum quo inuita punietur.* Vbi etiam pœnam sensus vocat *priuationem*, cum non sit propriè priuatio, sed quid positiuum cui priuatio annexa. Denique, quando peccatum definitur à S. Augustino *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*, & ab Ambrosio *cælestium inobedientia mandatorum, & diuini præuaricatio præcepti*, satis declaratur quomodo hæc priuatio sit intelligenda.

Malitia peccati explicatur à Patribus per priuationem quæ est effectus peccati.

Notandum tamen est, SS. Patres malitiam peccati interdum 181
explicare per priuationem boni, non quod debeat inesse ipsi actui peccati, sed quod debeat inesse homini operanti, quodque per ipsum peccatum destruitur. Vnde declarant malitiam peccati ab effectu quem causat in anima, spoliando illam bonis quæ possidebat, vel habere debebat, nempe bonis habitibus & functionibus quibus Deo coniungebatur. Hic enim effectus est nobis notior, quàm intrinseca peccati malitia. Quòd enim peccatum priuet hominem gratia diuina, charitate & coniunctione cum Deo,

aliis-

aliisque virtutibus, & vita æterna, & reddat ineptum ad bonas operationes, facilè intelligitur, & inde optimè æstimatur quantum malitiæ sit in peccato. Hoc modo intellige Dionysium, cùm cap. 4. De diuinis nominibus p. 4. ait, *malum in dæmonibus & hominibus esse priuationem diuinorum bonorum, defectum habituum & operationum, prolapsionem à naturalibus bonis*. id est, à bonis naturæ consentaneis. quamuis ipse non tam loquatur de malitia actus transeuntis, quàm de malo quod post actum remanet in subiecto, quod manifestè in priuationibus situm est. Eodem modo Vasquez exponit multos alios Patres. sed multi ex illis exponi possunt de priuatione, quæ consistit in recessu à virtute, vel lege diuina, vel ab ipso Deo, & statu gratiæ.

182 Notandum secundò, hanc auersionem vel inordinationem, quam dicimus esse formalem malitiam peccati, non esse aliquam conditionem physicam seu realem intrinsecam ipsi entitati actus: quia actus potest acquirere & amittere hanc conditionem absque vlla sui intrinseca mutatione, per hoc quòd incipit vel desinit esse liber; vel quia ratio aduertit vel non aduertit esse contra regulam rationis, vel legem æternam, vt suprà ostensum. quod est manifestum indicium, non esse quid reale aut physicam aliquam priuationem: hæc enim non potest accedere & recedere sine reali & intrinseca mutatione rei cui inesse concipitur. sed est quid morale, resultans in actu vel omissione actus, posita sufficiente libertate & rationis consideratione. Hoc ipso enim quo quis sciens & aduertens opus esse contra rectam rationem vel legem diuinam, liberè illud vult, resultat in actu voluntatis illa ratio inordinationis & auersionis, ita vt nullo modo id possit impediri. Ex quibus perspicuum est, formale peccati, siue concipiatur per modum priuationis, siue per modum cuiusdam repugnantiæ moralis, non esse ens, nec quid creatum, sed *nihil*, vt rectè dixit S. Augustinus Tract. 1. in Ioannem. *Peccatum*, inquit, *non per ipsum factum est, & manifestum est quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cùm peccant*. quod tamen ipse non solùm intelligit de ipsa formali malitia, sed etiam de toto actu peccati, quem dicit esse *nihil*, & non esse à Deo, idque explicat exemplo idoli, quod Apostolus dicit esse nihil in mundo.

Non est aliqua conditio realis in actu

Malitiam esse formaliter nihil.

Vbi aduertendum, secundùm Augustinum, actum peccati, & ipsum motum voluntatis quo auertitur à Deo, dici *nihil* ob duas causas. Primò, quia etsi Deus concursu generali ad illum motum concurrat, ille tamen motus non est quid à Deo intentum aut

Quare peccatum dicatur esse nihil Augustino.

procuratum; nec vires inseruit vt tales motus fierent: sed planè contra intentionem Dei fiunt ab homine. hinc negat talem motum esse à Deo. Idem apertè negat lib. 12. Confessionum cap. 11. & lib. De perfectione iustitiæ, Ratiocinatione 4. dicit, *talem motum qui peccatum dicitur, non esse rem, sed actum: & Deum qui est auctor omnis rei; non esse auctorem istius motus.* Secundò dicitur *nihil*, quæ hominem facit nihil, nempe priuando illum omnibus meritis & vita diuina gratiæ, ita vt nihil apud Deum æstimetur, tamquam mortuus. Simili modo *idolum* dicitur *nihil* ab Apostolo, quia nullius est pretij & dignitatis in eo quod præ se fert, cùm nihil habeat diuinitatis.

Peccati mortiferi malitia consistit in quadam iniuria in Deum.

Dico primò: Malitia formalis peccati non solùm consistit in 183
recessu à regula rationis, seu (quod idem est) in repugnantia actus cum regula rectæ rationis, aut natura rationali; sed etiam in quadam iniuria quæ irrogatur Deo; quæ reperitur in omni peccato mortifero. Hæc est sententia S. Thomæ in omnibus locis quibus docet malitiam peccati mortiferi consistere in *voluntaria auersione* à Deo: hæc enim auersio ideò tantum malum est, quia est contemptus quidam Dei & vilipensio. vnde dicit S. Thomas, *peccatum ratione auersionis esse infinitum, & mereri pœnam infinitam.* Est etiam commnnis sententia DD. hoc tempore, qui ex hoc capite tribuunt peccato mortifero quamdam infinitatem. Probatur primò de peccatis quæ directè sunt contra Deum. Nemo enim dixerit, totam malitiam blasphemiæ, odij Dei, idololatriæ, periurij, sacrilegij, consistere in eo quòd isti actus sint dissoni naturæ rationali, vel eam dedecorent, & turpi labe afficiant; vel quia repugnant rationis regulæ: cùm ex communi hominum iudicio ista censeantur grauissima peccata, eò quòd contemptum vel iniuriam apertam in Deum contineant, ac proinde sint dissentanea Deo, vtpote eius honori & dignitati repugnantia. Deinde, quodlibet peccatum mortiferum non solùm malum dicitur, quòd naturæ rationali sit dissentaneum; sed maximè quia contemptum quemdam vel iniuriam Dei continet, non quidem semper expressum, & formalem, sicut blasphemia & odium; sed implicitam & interpretatiuam, quatenus per peccatum contemnitur lex diuina in re graui, & consequenter ipse legislator: sicut inter homines, si supremus Princeps sub pœna mortis prohiberet furtum vel adulterium, & ego eius in præsentia, ipsoque inspectante ista peccata committerem, communi hominum iudicio censerer contemnere

temnere auctoritatem Regiam & Regem ipsum, eiusque amicitiam & bona omnia quæ promiserat, eique iniuriam facere lædendo ipsius honorem, quatenus actus ille est signum contemptus & vilipensionis. Similis contemptus continetur in omni peccato mortifero. Confirmatur ex Scripturis: Quia omnis qui peccat, in Scriptura sacra dicitur *contemnere Deum*; & qui obedit Deo, dicitur ipsum *glorificare & honorare*. 1.Regum 2. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Hîc omnes qui peccant, dicuntur *Deum contemnere*; quia violando ipsius mandata, censentur eum eiusque amicitiam & promissa omnia nihili facere. Leuit. 6. *Anima quæ peccauerit, & contemptо Domino negauerit proximo depositum*. vbi peccatum explicatur per contemptum Dei. & cap. 26. sæpè dicitur *peccator spernere legem Dei; ambulare*, id est, agere *contra Deum, & aduersari Deo; irritum reddere eius pactum*. & Num. 15. *esse rebellis Deo*. 1.Regum 15. *Quasi peccatum ariolandi est, repugnare* (Deo:) *& quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere*. vbi Samuel loquitur de omni peccato quo præceptum diuinum violatur, & comparat peccatis quibus apertè fit iniuria Deo. Sicut enim ariolus relicto Deo consulit dæmonem, eique tamquam Deo adhæret; & idololatra honorem Dei transfert ad rem creatam: sic peccator relicto Deo eiusque amicitia & reuerentia ipsi debita, conuertit se ad rem creatam, eam hîc & nunc præferens Deo. Denique passim in Scripturis peccator dicitur *se auertere à Deo, relinquere Deum, abijcere Deum eiusq; leges*, &c. Ex quibus patet, secundùm Scripturam sacram, malitiam peccati esse ponendam potissimùm in ordine ad Deum, eamque consistere in hoc, quòd Deus eiusque amicitia contemnatur, & honor eius atque auctoritas violetur. Hunc contemptum alij explicant per auersionem à Deo, vt dictum est.

Peccatum in Scripturis explicatur per contemptum Dei.

184 Itaque duplex in omni peccato mortifero malitia distingui potest, altera alteri subordinata, vt colligitur ex S. Thoma 1.2. quæstione 71.a.6.ad vltimum. & Caiet. ibidem, nempe, ex ordine ad operantem, seu quatenus est actus dissentaneus naturæ rationali, eamque dedecorat; & in ordine ad Deum, quatenus est quidam contemptus & vilipensio Dei. Ex priori ordine non habet actus rationem peccati mortiferi, sed solùm actus praui in genere: ex altero verò habet rationem peccati mortiferi. Vnde in omni peccato mortifero reperitur: omnia enim in eo conueniunt, quòd includant quemdam contemptum Dei; alia maiorem, alia minorem. in

In omni peccato mortifero duplex malitia.

quibusdam enim magis directè contemnitur Deus, vt in odio Dei, in blasphemia, in idololatria, in infidelitate, sacrilegio, periurio, violatione voti, desperatione, & similibus quæ magis directè sunt contra Dei honorem: in aliis solùm indirectè & interpretatiuè, quatenus violatur & contemnitur lex diuina in re graui, & consequenter ipse legislator, eiusque amicitia & promissa omnia, & minæ omnes.

Si non esset Deus, non esset peccatum mortiferum.

Ex quibus sequitur primò, Si nullus esset Deus, nullum fore 185
peccatum verè & propriè mortiferum, sed omnia fore venialia: quia carebunt illa malitia quæ spectatur in ordine ad Deum. imò eo posito, expressè contemnere Deum, non maius esset peccatum, quàm contemnere chimæras vel rem impossibilem. Vnde solùm actus diceretur malus quatenus dedecorat operantem, & lædit proximum vel Rempublicam.

Dices: Ergo infideles qui non norunt Deum, non peccant mortiferè. Respondeo negando consequentiam: Quia etsi non norint Deum distinctè cognoscendo eum esse conditorem cæli & terræ, norunt tamen confusè & in genere esse aliquod Numen cui peccatum displiceat, quodque illud vindicet. hinc remorsus & occultum flagellum ob scelera patrata. Vnde apud omnes gentes sunt aliqui sacerdotes vel magi, qui peccata expient, & Numen placent. Quòd si fortè sunt aliqui adeò barbari vt nihil sciant de Numine, hi tamen possunt mortiferè peccare, quia ita in malum feruntur, vt etiamsi scirent esse vnum Numen illud prohibens, nihilominùs ex vi illius affectus malum patrarent. Vndè virtualis quidam contemptus Numinis in illorum affectu continetur. Quò tamen maiorem quis habet de Deo notitiam, eò ceteris paribus
Luc. 12. grauiùs peccat, iuxta sententiam Domini: *Seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Quò enim clariùs cognoscit Dei maiestatem, eò etiam magis censetur eam contemnere dum eius præcepta violat.

Si Deus peccata non prohibuisset, nullum esset peccatum mortiferum.

Sequitur secundò, Nullum etiam fore peccatum mortiferum, 186
si Deus peccata non prohibuisset, saltem per legem naturæ mentibus hominum insculptam. Si enim peccata non essent à Deo ita prohibita, vt homines intuitu Dei seu reuerentiæ diuinæ non tenerentur illa vitare, non censerentur Deum contemnere, vel iniuriam irrogare patrando peccata, sed solùm naturam suam dedecorare, & contra rectam rationem agere. Verùm sicut impossibile est,

vt

vt actus liber rectæ rationi repugnans non sit prohibitus à Deo, ita etiam impossibile est vt non sit peccatum mortiferum, si sit in re graui ab homine Deum aliquo modo cognoscente.

Dices: Furtum, adulterium, periurium, & similia quæ sunt contra legem naturæ non ideò mala sunt, quia prohibita lege naturæ, sed ideò sunt prohibita quia mala: ideò enim ratio naturalis & lex æterna dictat illa esse fugienda quia in se mala sunt. Vnde prius est illa esse mala, quàm esse prohibita, & malitia præuenit prohibitionem: ergo etiamsi fingamus non esse prohibita, retinebunt tamen suam malitiam. Respondeo, ante omnem prohibitionem considerari in illis quamdam malitiam obiectiuam & materialem, quatenus isti actus sunt dissoni naturæ rationali, ita vt non possint rectè appeti, nec recte fieri ab eo qui ratione vtitur. Potest etiam in illis considerari quædam malitia formalis, quatenus fiunt ab aliquo liberè contra regulam rectæ rationis: hæc tamen per se non est mortifera, vt ostensum est. Vnde non potest in istis actibus considerari malitia mortifera, nisi sint contra legem diuinam, ita vt diuina auctoritas per illa censeatur contemni, & homo à Deo auerti. quò fit vt prius sit actum esse prohibitum lege diuina, quàm esse formaliter peccatum mortale; cùm peccatum mortale constituatur per legis diuinæ contemptum. Docet hoc apertè S. Thomas 1. 2. quæst. 71. art. 6. ad 4. vbi dicit, *omne peccatum esse malum, quia prohibitum lege æterna.* quod intellige de malo formaliter: nam quòd sit malum obiectiuè vel materialiter, non habet ex vlla prohibitione extrinseca, sed ex intrinseco ordine ad naturam rationalem. & quæst. 87. a. 4. ponit malitiam peccati mortalis in auersione à Deo; quæ auersio nihil est nisi quidam Dei contemptus.

Prius est esse malũ quàm prohibitum: non tamen prius est esse peccatũ mortiferũ, quàm esse prohibitum à Deo.

187 Sequitur tertiò, Peccatum mortiferum continere malitiam infinitam, non quidem absolutè & omnino, sed respectiuè. Docet hoc S. Thomas 1. 2. q. 87. a. 4. vbi dicit, *Peccatum ex parte auersionis est infinitum.* Idem habet 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. quem sequuntur plerique Doctores. Ratio est, Quia quò maiestas quæ contemnitur est maior, eò offensio est grauior: atqui maiestas Dei quæ contemnitur peccato mortifero, est infinita; ergo offensio etiam quamdam infinitatem habet. Maior est per se clara, & constat ex rebus humanis: maior enim censetur iniuria, contemnere virũ nobilem quàm plebeium, & Principem quàm nobilem, & summum Pontificem quàm Principem sæcularem. quò enim maior debetur reuerentia,

Continet peccatum mortiferum malitiam infinitam.

eò iniuria ceteris paribus est grauior. cùm ergo Deo debeatur ex parte sua reuerentia infinita, iniuria vel contemptus illius habebit malitiam quodammodò infinitam. Dico *quamdam infinitatem habere:* quia non est absolutè infinita in ratione malitiæ, sicut meritum Christi in suo genere est infinitum: alioquin omnia peccata essent paria: imò vnum peccatum contineret malitiam omnium peccatorum, & singula tantum haberent malitiæ, quantum omnia simul. Ratio verò cur illo argumento non concludatur absoluta infinitas in ratione malitiæ, est; quia obiectum non attingitur adæquatè, vnde non adæquatè influit in actum, nec tribuit ei plenè suam infinitatem. Sicut enim Deus sine fine potest perfectiùs & perfectiùs amari, ita etiam per peccatum potest sine fine magis & magis contemni ac odio haberi. Hoc ipso tamen quo absolutè censetur contemni, actus contrahit quamdam infinitatem malitiæ, vtpote superioris ordinis, respectu omnium bonorum operum. Vnde dico, hanc malitiam esse infinitam comparatiuè seu respectiuè; quia etsi non sit absolutè & omni modo infinita, tamen adeò magna est, vt nullis bonis operibus puræ creaturæ, quantumuis multis & magnis, ex æquo compensari possit: tanta enim est peccati mortiferi malignitas, vt posita in lance diuinæ iustitiæ, præponderet omnibus bonis operibus omnium Sanctorum, etiamsi ea millies plura & maiora forent quàm reuerà sunt: quæ consideratio est valdè terribilis. Neque hoc incredibile videri debet; quia omnia bona opera quibus Deus honoratur à Sanctis, etsi in se considerata sint maximæ æstimationis, & ipsi propterea sint digni vita æterna, tamen respectu maiestatis diuinæ sunt instar nihili: nulla enim gratia fit ei per ista omnia, cuius maiestati & beneficiis omnia ista sunt debita; nec ista solùm, sed infinities plura & maiora. Itaque nihil magni omnia ista sunt Deo. At contemni à sua creatura, quæ infinitis nominibus ipsi est obstricta, & quæ infinitum amorem & honorem ei præstare deberet si posset, hoc maximi æstimatur, vtpote maximè repugnans eius maiestati & beneficiis. Vnde pluris à Deo æstimatur in ratione mali, quàm omnia opera bona in ratione boni; & magis Deum affligeret, si capax esset doloris, quàm omnia bona opera exhilararent.

Cur malitia peccati non sit absolutè infinita.

Est infinita comparatiuè.

Malitia peccati mortiferi posita in lance diuinæ iustitiæ, præponderat omnibus bonis operibus iustorum.

Simile cernitur inter homines: parui enim momenti est apud 188
Regem quòd à suis honoretur; neque id gratiam censet, sed debitum: sed grauissimè fert, si contemnatur, præsertim ab ijs quos maximis beneficiis affecit.

Hinc

Hinc docent sancti Patres, nullam puram creaturam Deo potuisse pro peccato humani generis condignè satisfacere, ac proinde necessarium fuisse adiustam satisfactionem, vt Deus fieret homo. Athanasius Orat. 2. cõtra Arianos: *Si Deus homo factus non fuisset, numquam nos à peccatis vindicati ex mortuis resurrexissemus*, &c. Augustinus in Enchir. cap. 108. cùm antè dixisset non esse confidendum in homine, rationem adfert: *Nam neque per ipsum liberaremur vnum Mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, nisi esset Deus.* Basilius in Psal. 48. explicans illum versic. *Frater non redimit, redimet homo; Non nudus*, inquit, *homo redimet, sed homo Deus Iesus Christus, qui solus potuit dignam redemptionem adferre.* Idem habet Ambrosius explicans eumdem Psalmum. Commentarius Ambrosij in cap. 9. ad Hebræos: *Tantum fuit peccatum nostrum, vt saluari non possemus aliquando, nisi vnigenitus Filius Dei moreretur pro nobis.* Fulgentius lib. De Incarnatione & Gratia cap. 4. *Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi vnione Verbi Dei*, &c. Leo Serm. 1. de Natiuitate: *Nisi esset Deus verus, non afferret remedium; nisi esset homo verus, non præberet exemplum.* & Serm. 12. de Passione: *Quia ergo primi hominis vniuersa posteritas vno simul vulnere sauciata corruerat, nec vlla Sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis euincere, venit è cælo medicus singularis*, &c. & Epist. 83. *Quæ reconciliatio esse poterat, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causam Mediator Dei hominumq; susciperet?* idem docet plurimis aliis locis. Vide etiam Anselmum lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 20. & 21. & lib. 2. capite 6. Estque communis sensus non solùm Doctorum, sed omnium Christianorum.

Nulla creatura potuit pro peccato mortifero dignè satisfacere.

189 Ex his potest adferri ratio, cur peccatum mortiferum iure plectatur pœna æterna. Si enim tanta est eius malignitas, vt nullis bonis operibus puræ creaturæ potuerit ex æquo compensari, sed ad hoc necessarium fuit Deum incarnari, vt condigna satisfactio diuinæ iustitiæ exhiberetur; mirum non est, si dicatur mereri pœnam æternam. Quod enim adeò malũ est, vt nullis bonis quantumuis longo tempore continuatis compensari & exæquari possit, meretur pœnam quouis tempore finito longiorem; ac proinde æternam: Idque per se & directè, ratione malitiæ quæ est in actu; non autem quia peccator non potest pro eo satisfacere, aut se in eo ordine vnde excidit reponere, aut vitam spiritualem reparare, aut maculam delere. Etsi enim hæc omnia concurrant in pec-

Ratio cur pœna æterna debeatur peccato mortifero.

peccato mortifero, ex his tamen non est petenda propria ratio cur ei debeatur pœna æterna, sed ex ipsa malitia actus: ex qua etiam ista impotentia sequitur.

CAPVT XXVII.

Nonnullæ Obiectiones contra malitiam peccati diluuntur.

SEQVITVR vt diluamus quasdam rationes quæ oppugnant ma- 190
litiæ peccati infinitatem. Quidam enim putant, peccatum mortiferum non magis esse infinitum in malitia, quàm amor Dei & contritio sunt infinita in bonitate: omnia enim ista solùm esse infinita ex parte obiecti. Sicut enim peccatum dicitur quodammodò infinitæ malitiæ, quia per illud contemnitur Deus, vel quia Deo per illud fit iniuria; ita amor Dei dicetur esse infinitæ cuiusdam bonitatis, quia tendit in Deum infinitæ bonitatis, volendo illi bonum infinitum. Imò amor videtur magis infinitus in bonitate, quàm peccatum in malitia; quia directè totus tendit in Deum propter eius bonitatem infinitam, & directè vult illi bonum infinitum quantum potest, nempe omne bonum intrinsecum & extrinsecum. At peccatum mortiferum (præsertim quod non versatur circa Deum) non contemnit directè Deum, nec vult illi aliquid mali; sed solùm censetur homo per illud non curare Deum & eius legem, & ita solùm interpretatiuè illum contemnere: ergo longè magis infinitudo obiecti influet in actum amoris, illudque reddet infinitæ bonitatis, quàm in actum peccati. Itaque si obiectum spectemus, non potest ex eo colligi maior infinitas malitiæ in peccato, quàm bonitatis in amore: si verò spectemus vtriusque actus meritum, peccatum etiam non superabit amorem; quia sicut peccatum meretur pœnam æternam, ita amor æternam gloriam. & ita vtriusque meritum est æquè infinitum. Pari modo, si spectemus effectum quem habent in hac vita, vt sunt contraria, peccatum non superat amorem & contritionem: sicut enim peccatum, dum iustus peccat, mortificat omnia bona opera, ita etiam amor vel contritio, dum peccator conuertitur, delet penitus omnia peccata, ita vt numquam reuiuiscant. Confirmatur; Quia amor Dei & contritio ex vi naturæ suæ delent omnia peccata mortifera, sicut lux tollit tenebras; ita vt nec per diuinam potentiam hæc possint simul

Sententia quorumdam, peccatum ratione malitiæ esse magis infinitum quàm sit amor Dei ratione boni.

simul consistere: alioquin homo non fieret perfectè iustus per intrinsecam iustitiam (quod videtur repugnare Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 7.) nam peccatum tolleretur non per formam intrinsecam, sed per extrinsecam condonationem. ergo per se & vi naturæ suæ compensat omnem peccati malitiam: ac proinde non minus boni est in amore, quàm mali in peccato.

191 Hæc sententia mihi semper visa valdè mirabilis. Incredibile enim videtur, Deum tanti æstimare amorem quo ipsum amo, quanti peccatum quo ipsum offendo; & tantum delectari actu quolibet amoris, quantum offenditur actu peccati. Denique ex natura rei tantam esse vim actus amoris, vt Deus per absolutam potentiam non possit retinere peccata, si homo illum semel amet; hoc est, si doleat quia ipsum offendit, & statuat in posterum omnia eius præcepta seruare. Manifestè enim hæc refutari videntur exemplis humanis. Quis enim eum, qui iniuriam fecit Principi, vel eius legem violauit, ita vt mereatur mortem, dicat satisfacere ex æquo, si illum amet, & doleat de suo facto, & promittat emendationem? quis dicat, ex natura rei tanti debere æstimari illum dolorem ex amore profectum, quanti iniuriam & legis violationem; nec iure posse Principem iniuriam retinere, & pro meritis punire? Hoc ipso enim quo quis meritus est amittere vitã & bona omnia, etiamsi millies amet, millies doleat & veniã petat, non censebitur aliquid vllo modo æquiualens offerre quod mereatur condonationem. Multo ergo minùs qui iniuriam irrogat diuinæ maiestati, ob quam non temporalem, sed æternam mortem & æternum supplicium meretur, poterit aliquid æquiualens exhibere, aut Deum ad condonandum compellere, etiamsi millies amet, doleat, & veniam petat.

Responsio & refutatio illius sententiæ.

Dolor de iniuria non est iusta compensatio inter homines, multò minùs apud Deum.

192 Dices esse disparem rationem: Princeps enim non tenetur peccatum condonare, quia expedit violatorem legum puniri ad exemplum aliorum; Dei autem punitio quam infert post hanc vitam, non fit ad exemplum. Deinde, actus illi quibus reus amat, dolet, & petit veniam à Principe, sunt actus naturales, qui non habent illam vim satisfaciendi pro iniuria, & reconciliandi Principi: actus verò quibus peccator amat Deum, & dolet de peccatis, & veniam petit, sunt actus supernaturales, quos Deus ipsemet per auxilium gratiæ in nobis operatur. vnde ex natura sua habent vim delendi peccati, & reconciliandi Deo.

Responsio aduersa sententiæ.

Sed hæc solutio parui est momenti. si enim actus ille doloris & peti-

Refutatur ista responsio.

petitionis veniæ est æqualis delicto, illudque natura sua delet, & iniuriam abolet; iniquè punietur reus à Principe propter delictum, siue illa punitio sit necessaria ad exemplum, siue non: iniquum enim est, punire crimen pro quo iam est plenè satisfactum. Neque etiam refert quòd actus illi sint naturales: quia iniuria in Principem vel Rempublicam, pro qua exhibentur, est etiam naturalis & politica, ac proinde eiusdem ordinis. Vnde multò maior est proportio istorum actuum ad delendam iniuriam politicam, quàm amoris supernaturalis ad delendam iniuriam diuinam. Quare si amor & contritio supernaturalis eius est naturæ, vt vi sua, velit nolit Deus, tollat peccatum & iniuriam contra Deum, sicut lux tollit tenebras; multò magis amor & dolor naturalis in Principem & Rempublicam tollet iniuriam politicam & naturalem commissam in illos. Quare cùm hoc prorsus absurdum sit, & contra communem iudicium omnium Gentium, multò magis illud absurdum censeri decet. Neque illa supernaturalis conditio quæ tribuitur actibus nostris, potest illos ita eleuare, vt faciat æquales iniuriæ in Deum: quia iniuria hoc ipso quòd est in Deum (qui est infinitæ maiestatis) incomparabiliter magis eleuatur, & fit altioris ordinis, quàm omnes nostri actus boni eleuentur ex ordine quem habent ad Deum. Addo, istam supernaturalitatem, quę in hac vita est in actibus nostris, esse valdè imperfectam & infimam, adeò vt vix videatur illa differentia inter actus ordinis naturalis & supernaturalis. Nec obstat, quòd Deus nobis auxilium ad hos actus præbeat; quia id facit vt nos ad veniam ab ipso impetrandam disponamus, non vt per illos formaliter peccatum deleatur, aut æquivalens exhibeatur. Denique, si amor vel contritio vi sua expelleret peccatum, sicut lux tenebras, longè potentius illud expelleret, quàm si condignè vel etiam ex iustitia mereretur eius remissionem vt per se patet. Quod enim ita repugnat peccato, vt ne quidem per absolutam potentiam cum eo itare possit, longè potentiùs illud exterminat quàm quodlibet meritum: cùm nullum meritum possit esse tantum, vt per se & vi sua Deum necessitet ad condonandum peccatum, sicut iuxta illam sententiam necessitat amor & contritio. Sed omnis necessitas quam inducit meritum, prouenit non ex natura rei, sed ex diuina promissione. Atqui nemo Doctorum audet amori vel contritioni tribuere vim meriti condigni respectu remissionis peccatorum: nemo enim concedet, peccatorem ex condigno mereri veniam & amicitiam

Supernaturalitas actuum imfimo in hac vita.

citiam Dei. Ergo multò minùs eis tribuent vim delendi peccatum physicè, sicut lux abolet tenebras. qui enim negat illis vim minorem, multò magis negabit illis maiorem. Et sane, si illa sic abolent peccatum sicut lux tenebras, frustrà disputatur an peccator per istam mereatur veniam, & quo modo, cùm suppetat ratio multò efficacior, quàm sit ratio meriti. Falsum etiam erit quod docet Concilium Trid. sess. 6. capite 6. & 7. per ista *nos disponi ad iustificationem, quæ peccatorum remissione & interna satisfactione ac renouatione constat, & fit susceptione gratiæ & donorum.* Sicut enim illuminatio non disponit ad expulsionem tenebrarum, sed intrinsecè continet ipsam expulsionem: ita amor & contritio non disponent ad iustificationem, cùm ipsam intrinsecè contineant, & formaliter conferant.

193 His sic explicatis ac suppositis, Respondeo ad Argumentum suprà allatum: Si actus isti physicè spectentur, voluntas longè magis per amorem tendit in Deum, quàm per pleraque peccata mortifera auertatur: quia per multa peccata mortifera non auertitur à Deo physicè, sed solùm interpretatiuè. imò amor amplius voluntatem ad Deum conuertit physicè, quàm odium possit auertere: quia Deus propter se non potest odio haberi, (sed solùm propter effectus quosdam, vt quia punit peccata, &c.) sicut propter se amatur. Verùm hoc parum iuuat ad æstimationem moralem istorum actuum, quatenus pertinent ad honorem vel iniuriam Dei: nam in ratione honoris vel obsequij, parum est Deo quòd à creatura sua ametur, cùm ipse ratione dignitatis suæ infinito amore & honore dignus sit, & ratione beneficiorum suorum longè plùra possit exigere: at indignissimum est, si ab illa contemnatur, cùm hoc infinite quodammodò illi bonitati & maiestati repugnet. Cùm enim ille ex parte sua & beneficiorum quæ contulit, infinito amore & honore sit dignus, infinite etiam ex parte ipsius repugnat illi omnis contemptus & inhonoratio. Vnde vnum contemptum plùris facis in ratione mali, quàm infinitam obsequia creaturæ in ratione boni & honoris. Idem cernitur in rebus humanis: plus enim æstimat Princeps vnam iniuriam vel noxam capitalem subditi, quàm mille obsequia; & tamen excessus dignitatis Principis supra dignitatem priuati est finitus, imò modicus, cùm sint eiusdem naturæ: excessus autem dignitatis diuinæ supra omnem creaturæ excellentiam est omnino infinitus. Ratio autem huius diuersæ æstimationis est, quia magnitudo iniuriæ & contemptus & inhonorationis crescit ex magni-

Ad obiectiones initio num. 190. allatas.

Amor magis conuertit animum physicè ad Deum, quàm peccatum, imò quàm odium auertat ab illo.

Ex ijsdē capitibus quibus crescit iniuria, decrescit obsequium & satisfactio.

magnitudine eius cui fit, & ex indignitate eius qui illam irrogat, & ex obligationibus quibus ipse obstrictus est ei quem contemnit: magnitudo verò obsequij, honoris, & satisfactionis decrescit & minoris æstimatur ex magnitudine eius cui exhibetur, & indignitate exhibentis, & obligationibus quibus alteri est deuinctus. Itaque ex illis capitibus quibus crescit æstimatio iniuriæ & contemptus, decrescit & vilescit æstimatio amoris, obsequij, & honoris. Hinc nullius puræ creaturæ satisfactio potuit vllo modo par esse offensæ mortiferæ: ac proinde vt genus humanum iustæ satisfactionis interuentu redimeretur, necessarium omnino fuit vt Deus assumeret naturam humanam, & per illam iustam satisfactionem exhiberet, vt ostensum est. Sicut enim quantitas culpæ seu offensionis crescit ex magnitudine eius qui offenditur; ita quantitas satisfactionis & obsequij crescit ex magnitudine eius qui satisfactionem exhibet. Vnde sicut is qui per peccatum offensus est, erat infinitæ dignitatis; ita etiam is qui iustam satisfactionem exhiberet, debebat esse infinitæ dignitatis.

Aliter amor Dei meretur vitam æternam, aliter peccatum mortem æternam.

Ad illud quod adferebatur de merito vtriusque actus. Longè aliter amor Dei meretur vitam æternam, aliter peccatum mortem æternam. Peccatum enim per se vi sua & secundùm iustitiæ legem meretur æternum supplicium, quia malitia eius est infinitæ æstimationis coram Deo, eo modo quo suprà explicatum: at verò actus amoris Dei quantumuis crescat, non est per se dignus vita æterna. Quis enim dicat, mancipium, eò quòd diligat suum Principem, & velit ei obedire, mereri regnum aut eximium statum apud Principem, aut vt adoptetur in filium? Multò minùs homo, qui essentialiter Dei est mancipium, amando Deum meretur ex natura rei regnum cælorum, vel adoptionem diuinam; præsertim cùm ob beneficia accepta omnem amorem & omne obsequium ei debeat, & Deus centuplo amplius possit exigere. Itaque hoc totum preuenit ex infinita Dei erga creaturam suam benignitate, & benignissima ordinatione; quæ volens creaturam suam euehere ad communionem suæ gloriæ, statuit vt ille se ad hoc, quantum humano modo fas est, disponeret, & dignum redderet; non quidem dignitate æqualitatis; (hæc enim est impossibilis;) sed cuiusdam proportionis, qualis in infima natura rationali per auxilia gratiæ naturæ tali congruentia dari potest. Hoc vt fieret, statuit certas ad gratiam adoptionis obtinendam dispositiones, inter quas amor Dei vel contritio in peccatore sit vltima; ita vt illa posita, eodem momen-

Amor Dei per se præcisè non est dignus vita æterna, quàtumuis sit perfectus.

194

momento condonentur omnia peccata, ornetur anima dono gratiæ, detur Spiritus sanctus, & per Spiritum adoptio diuinæ filiationis. Non erant illi actus, amor inquam & contritio, vllo modo digni tantis bonis, sed aptior ad illa bona dispositio ex parte hominis esse non poterat. quo fit vt talis dispositio in Scriptura dicatur digna. *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ*. Dum enim homo per auxilium gratiæ facit quod in se est, Deus acceptat tamquam dignum, & sua benignitate supplet, statuendo vt talia dona ad præsentiam talis dispositionis etiam quantumuis magno peccatori donentur. Obtenta autem filiatione diuina, fit vt non solùm amor Dei, sed omnia & singula bona opera, præsertim quæ ex gratia, sint meritoria vitæ æternæ, ad quod illa opera iam ratione operantis maiorem proportionem habent. Ex eo enim quòd sint opera filiorum Dei, (quibus ex adoptione debetur æterna hereditas,) & fiant per Spiritum adoptionis iam inhabitantem, dignitatem quamdam singularem contrahunt, ratione cuius dicuntur digna vita æterna; & nos dicimur mereri illam ex condigno. Vnde illa dignitas operantis magis eleuat opera in ratione meriti, quàm perfectio vlla intrinseca, etiamsi in infinitum cresceret; quia facit meritoria vitæ æternæ ex condigno. Itaque non tam propter dignitatem operum, quàm propter dignitatem operantium, operibus iustorum vita æterna est promissa. Peccatum verò per se non ratione conditionis subiecti meretur pœnam æternam. Hinc facilè respondetur ad alterum. Quòd enim peccatum mortificet omnia opera bona, extinguat gratiam, pellat Spiritum sanctum, priuet iure hereditatis, inducat reatum pœnæ æternæ, habet vi sua, nempe ratione malitiæ suæ: quòd verò amor & contritio extinguat peccatum, & restituat omnia bona amissa, non habent ex propria dignitate, sed ex mera Dei benignitate, vt ostensum est.

125 Ad confirmationem vltimo loco allatam, negandum id quod asseritur: tantum enim abest vt amor vel contritio vi sua & formaliter deleat peccatum, vt ne ipsi quidem dono gratiæ, quo homo iustificatur (ad quod contritio solùm est dispositio) id tribuendum putem, si spectetur solùm physicè vt qualitas talis naturæ; quia nulla qualitas creata eam vim habet, vt ita tollat iniuriam Deo factam, sicut lux tenebras: iniuria enim Dei est superioris ordinis quàm omnia bona creata. Si tamen consideretur donum illud moraliter, quatenus ex ordinatione diuina coniunctam habet donationem Spiritus sancti, sic habet vim delendi omnis peccati mor-

Spiritus adoptionis reddit opera bona digna vita æterna.

Nulla qualitas creata sua physica potest tollere peccatum, potest tamen considerata vt habet annexam donationem Spiritus sancti.

mortiferi; quia hoc peccatum nullo modo cum adoptione diuina, quæ fit huius Spiritus donatione, consistere potest: fieri enim nequit vt quis habeat Spiritum sanctum inhabitantem, & simul sit in peccato; siue vt sit filius Dei, heres regni, & inimicus Dei, reus æternæ damnationis. Neque huic vllo modo repugnat Concilium Tridentinum, sed maximè fauet; tum quia amorem & contritionem solùm dicit esse dispositionem ad obtinendam remissionem peccatorum & iustificationem; tum quia, etsi dicat nos iustificari per iustitiam inhærentem, tamen distinguit remissionem peccatorum à fide, spe, & charitate, quibus iustificamur: quasi non ex natura rei, sed ex sola Dei ordinatione (etsi consentanea naturis rerum) remissio peccatorum sit adnexa illorum donorum infusioni. verba Concilij sunt: *Vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*, &c.

Iustificatio peccatoris constat duabus partibus

Dices: Iustificatio peccatoris constat duabus partibus iuxta Concilium, remissione peccatorum, & infusione donorum: ergo si remissio peccatorum non fit formaliter per infusionem donorum, non tota iustificatio, sed solùm pars eius fiet per dona intrinseca. Respondeo: Si illa dona spectentur physicè, admitti potest quod infertur, secùs verò, si moraliter: quia sic adnexam habent donationem Spiritus sancti, cuius præsentia necessariò delet peccatum; ac proinde per illa sic considerata, censetur formaliter fieri ipsa remissio. Vnde cùm iustificatio peccatoris duabus partibus constet, remissione peccatorum, & interna renouatione qua voluntas fit conformis legi diuinæ. Vtrumque formaliter fit per dona creata supradicta, præsertim per donum charitatis & gratiæ habitualis: sed prior pars vi morali, quatenus hoc donum annexam habet donationem Spiritus sancti: altera vi physicâ.

CAPVT XXVIII.

Peccatum mortiferum multiplici ratione ingens malum esse, & ingentia mala inferre.

DVPLICI ratione aliquid malum dicitur. Primò, Quia in se 196
formaleṁ malitiam continet, vt amentia, cæcitas, surditas. Secundò, Ratione effectuum malorum, qui ex ipso sequuntur. sicut venenum assumptum magnum malum dicitur, quia mortem in-

infert. Vtroque modo malum est peccatum mortiferum: nam per se formaliter & intrinsecè malum est, duplici malitia. Primò, Quatenus habet præcisè repugnantiam ad regulam rationis, & naturam rationalem quà rationalis est. Hinc enim actus habet vt dicatur in se turpis, inhonestus, malus, & dedecoret operantẽ, eumque reddat dignum contemptu ac probro: sicut econtrariò actus rationi consentaneus dicitur actus virtutis, & honestus, exornat operantem, eumque reddit dignum laude ac honore. Secundùm hanc potissimùm rationem Philosophi considerant virtutes & vitia: nam ordinem quem ista habent ad Deum, non ita cognouerunt. Quantum autem peccata sic considerata malitiæ continent, & rationalem naturam dedecorent, docet Boëtius lib. 4. De consolatione Philosophiæ, Prosa 3. & 4. vbi ostendit, quòd etsi externam hominis formam relinquant, tamen animum à sua dignitate, & ab arce rationis deiiciant, & ad belluarum conditionem deprimant, similes affectiones ei imprimendo. Ira enim inordinata similes reddit leonibus, rapacitas lupis, fraus vulpeculis, iurgium canibus, libido iumentis admissis, gula porcis, acedia torpedini, inconstantia auiculis, &c. Hinc Psalmo 48. dicitur: *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Loquitur Propheta de genere humano, quod in primo suo parente (qui omnium personam sustinebat) cùm esset in honore iustitiæ originalis, & dominus huius mundi inferioris, *non intellexit*, id est, non considerauit quid esset sui officij, quid Deus ab ipso requireret, vt sibi & omnibus posteris illum honorem conseruaret: & sic *comparatus est iumentis insipientibus*, tum quia insipientiæ id quod vetitum erat, amplexus est; tum quia illo honore & gratia spoliatus, ad omnes bestiarum affectiones insipienter se abiecit.

Peccatum mortiferum duplicem habet malitiam intrinsecam. Primò, vt repugnat rationi.

Philosophi considerant virtutes & vitia vt repugnant rationi.

197 Altera malitia peccato mortifero intrinseca, est quædam iniuria in Deum: qui enim peccat mortiferè, censetur contemnere Deum, ac proinde iniuriam quandam ei inferre. nam contemptus etiam inter homines, non solùm formalis & expressus, sed etiam interpretatiuus, iniuria contra honorem & existimationem debitam reputatur: vt cùm quis se indecorè gerit coram Principe vel alio viro honorabili, vel aliquid facit quo videtur eius amicitiam & fauorem parui facere. Porrò multis modis & sub multiplici ratione ac consideratione peccator Deum contemnere censetur. Primò, *vt Legislatorem*, quatenus non curat eius leges, eas liberè violando,

Secunda, vt est iniuria in Deum.

Peccator multis modis & sub multiplici consideratione Deum contemnit.

lando, idque Deo præsente & inspectante. Hoc ipso enim quo legem contemnit, censetur etiam contemnere legislatorem, totamque eius auctoritatem & maiestatem. Vnde Solacobus cap. 2. suæ Epistolæ ait: *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Rationem adfert: *Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit & Non occides*, &c. quasi dicat: Quia auctor totius legis singularum legum violatione contemnitur. Secundò, Contemnit illum *vt vltimum finem*, & obiectum beatitudinis ad quod tendere debebat; quasi nihili ducens illud bonum amittere, vt bonum temporale consequatur. Huc accommodari potest illud quod Ieremiæ 2. dicitur: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ cõtinere non volent aquas.* Hinc S. Thomas & alij Doctores dicunt, peccatorem per peccatum mortiferum auerti à Deo tamquam vltimo fine supernaturali. Tertiò, Contemnit illum *vt Conditorem* cum omnibus beneficiis quæ in creatione nobis contulit: non enim curat maiestatem infinitam Conditoris, nec quòd ab illo ex nihilo ad eius imaginem creatus, & capax Diuinitatis effectus, & tot bonis tum corporis tum animæ cumulatus; nec quòd mundus iste corporeus, & omnia quæ in mundo sunt, ipsius causa & ad eius vsum & obsequium sunt condita. Hæc omnia nihil curat, vt animo suo obsequatur. Hanc considerationem proponit Moyses Deuter. 32. *Hæccine reddis Domino populo stulte & insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te?* quasi dicat, Nónne consideratio tantæ benignitatis qua te condidit, & tantis beneficiis affecit, te à peccato reuocare debuit? Quartò, Contemnit illum vt *Redemptorem* cum omnibus beneficiis redemptionis, nihili faciendo quòd ipse pro nobis homo factus sit, & tot tantosque labores, dolores, acerbitates, denique crucem & mortem sustinuerit, vt nos ab æterna morte liberaret, & regni cælestis compotes efficeret. Hæc omnia tam parui pendit, vt illorum causa non moueatur, nec propter illa omnia velit aliquid suis cupiditatibus detractum; imò quantum in se est, omnia illa nefficacia reddit & irrita. Huc referri potest illud Apostoli ad Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Etsi enim locus iste potissimùm intelligatur de ijs qui recedunt à Christianismo, multi tamen intelligunt de

omni-

omnibus Christianis in genere qui peccant mortiferè : quia hoc ipso Christum filium Dei, eiusque Sanguinem quo redempti & ablusi sunt, & Spiritum sanctum quo filij Dei sunt effecti, censentur nihili facere, pro re nullius momenti omnia ista perdentes & irrita reddentes. Quintò, Contemnit Deum *vt Iudicem* cum omnibus suis minis & suppliciis quæ ipse potest irrogare : hoc ipso enim quo nihil horum curat, vel non mouetur horum omnium consideratione vt à peccato abstineat, meritò censetur hæc omnia contemnere & nihili pendere, vtvoluntati suæ satisfaciat. Sextò, Contemnit *vt amicum*, non curando quòd perdat eius amicitiam, beneuolentiam & fauorem, & quòd incurrat eius inimicitiam & indignationem. Itaque peccator & Dei timore caret, & amore. Timore, quia non curat Deum vt Iudicem, nec minas eius: amore, quia non curat eius amicitiam & fauorem. Hinc apparet summa fatuitas peccatoris ; & meritò in Scripturis omnes peccatores vocari stultos & insipientes, etiamsi mundo videantur sapientissimi. quid enim stultius quàm non timere eum, *qui potest & animam & corpus perdere in gehennam?* & non curare eius amicitiam, qui promittit regnum æternum ? Septimò denique contemnit *Dei benignitatem & longanimitatem*, qua illum ad pœnitentiam expectat. quod maximè locum habet in iis qui diu in peccato manent, vel sæpè peccant. Huc pertinet illud Apostoli ad Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* His addi possunt alia attributa diuina, quorùm consideratione & reuerentia homo moueri deberet ad vitandum peccatum : hæc enim omnia contemni censentur, vt omnipotentia, sapientia, sanctitas, immensitas, æternitas, iustitia, misericordia, prouidentia, &c. singula enim horum, vt à nobis concipiuntur, peculiarem quamdam reuerentiam & honorem postulant, eorumque consideratio nos à peccato absterrere meritò deberet. Ex quibus considerationibus patet quàm ingens malum sit peccatum mortiferum, quod tam multiplici modo infinito bono repugnat. Matth. 10.

198 Hæc de malitia peccati intrinseca. Quod verò attinet ad malos effectus quos infert, ratione quorum etiam malum dicitur, hi plurimi sunt, tamen generatim ad septem reuocari possunt. Nam Primò, priuat hominem dono gratiæ habitualis, quo ipse iustus erat, *Effectus peccati septem.*

& Deo charus, atque adeò Dei filius. Vnde per peccatum spoliatur iustitia & adoptione diuina, ita vt ex iusto fiat iniustus, ex amico Dei & filio, inimicus & extraneus. Vbi aduertendum, donum gratiæ habitualis seu charitatis duplicem vim habere: nam hominem reddit formaliter iustum, & facit Dei filium. Etsi enim hæc duo semper sint coniuncta, ex natura tamen rei sunt distincta, & per diuinam potentiam separabilia; posset enim quis esse iustus sic vt non sit simul Dei filius, si Deus iustitiæ non annecteret donationem Spiritus sancti: & contrà posset quis esse filius absque dono iustitiæ inhærentis, si Spiritus sanctus absque hoc dono daretur. Cur enim Deus per absolutam potentiam suam non posset ad solum actum charitatis dare Spiritum sanctum inhabitantem, & adoptare hominem in filium? Nunc verò ex diuina ordinatione hæc sunt coniuncta & inseparabilia. Cùm enim Deus velit hominem euehere ad communionem suæ gloriæ & beatitudinis, statuit vt dono gratiæ habitualis vel charitatis sit annexa donatio Spiritus sancti; & consequenter filiatio seu adoptio diuina, quæ secum affert ius diuinæ hereditatis. Donum igitur charitatis per se & vi sua physica reddit hominem iustum, id est conformem legi diuinæ, si peccatum abiit; quia in charitate includitur propositum totius legis diuinæ. Vnde charitas est vera iustitia Christiana, quæ nihil est aliud quàm supernaturalis conformitas cum lege diuina. Si autem peccatum mortale adsit, tollit illud quidem, non vi sua physica præcisè, vt suprà ostensum est, sed morali, quatenus nimirum annexam habet donationem Spiritus sancti, quæ nullo modo cum peccato consistere potest, fieri enim nullo modo potest, vt quis natus sit ex Deo (vt S. Ioannes loquitur) habeatq; Spiritum Dei inhabitantem per quem constituitur filius Dei, & simul sit in peccato mortifero. Itaque donum charitatis, quatenus habet annexum Spiritum sanctum, formaliter dicitur delere peccatum, & constituere filium Dei, & consequenter tribuere ius ad regnum. Quare si effectus peccati distinguere & seorsim considerare velimus, primus erit quòd *priuet hominem dono gratiæ habitualis & charitatis*, quo ipse iustus erat, & simul omnibus virtutibus supernaturalibus seu infusis, præter fidem & spem. Priuat autem non physica oppositione, qua repugnet illi dono, sed demeritoriè. Hoc ipso enim quo quis peccat, indignus redditur istis donis, & meretur illis priuari. Vnde eodem momento quo quis consentit in peccatum, Deus subtrahit suum influxum conseruatiuum

quo

Donum charitatis duplicem vim habet.

Esse filium Dei, & esse iustum per donum intrinsecum, per diuinam potentiam sunt separabilia.

Primus effectus, Priuatio iustitiæ habitualis.

quo ista dona in anima conseruabat, & sic illa repentè euanescunt, ita vt primum esse peccati, sit primum non-esse istorum donorum. Vnde ingens profectò eo momento fit mutatio in anima, cùm subitò illa vita, ille cælestis color & vigor extinguitur, & pulchritudo illa supernaturalis, qua Angelis sanctis & Deo anima similis erat, aboletur. Merebatur quidem simili modo peccator spoliari dono fidei & spei; sed hæc diuina benignitate relinquuntur in anima tamquam semen quoddam conuersionis, vt aliquando possit resurgere.

199 Secundus effectus erit, *Priuatio Spiritus sancti inhabitantis*, & consequenter adoptionis diuinæ, seu dignitatis filij Dei. Vt enim Sapientiæ 1. dicitur, *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* item: *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Nam hoc ipso quo donum charitatis (quod est veluti vinculum quo Deus animæ coniungitur) euanescit, soluitur ista vnio, & Deus recedit ab anima; non loco, sed affectu & cura singularis prouidentiæ; perit etiam dignitas filij Dei, quam per Spiritum Dei inhabitantem acceperat, & ex filio Dei fit filius diaboli, à quo origo omnis peccati. *Omnis enim qui facit peccatum, ex diabolo est*, vt S. Ioannes ait, & consequenter filius diaboli; nam vt ibidem ait, *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli:* nempe quòd filij Dei non peccent mortiferè, filij diaboli peccent. & Dominus Ioannis 8. Pharisæis volentibus eum interficere, ait: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Dicitur peccator *filius diaboli* ob duas causas. Primò, quia peccatum cuiusquam quamdam vitam seu formam à diabolo mediatè vel immediatè traxit, per quam illi assimilatur. Secundò, Quia sicut per donum gratiæ Spiritus sanctus habitat in anima vt eam sanctificet & regat ad bonum; ita per peccatum spiritus malignus incipit habitare in anima, vt eam regat & impellat ad malum. Itaque peccatum hominem ex summa dignitate & gradu honoris (quo maior esse non potest in hac vita) præcipitat ad summam vilitatem & statum infimum, quo non potest in hac vita esse abiectior, & detestabilior, faciendo ex amico & filio Dei filium diaboli & inimicum Dei; & loco Spiritus Dei inserendo spiritum diaboli. Ob hanc etiam rationem peccatum dicitur mors animæ, quia Spiritus sanctus inhabitans est vita animæ.

Secundus effectus, Priuatio Spiritus adoptiui.

1. Ioan. 3.

200 Tertiò, *Priuat iure cælestis hereditatis*, & omnium bonorum quæ Sancti in cælo possidebunt. Hoc ius sequitur adoptionem & digni-

Tertius effectus, Priuatio cælestis hereditatis.

Rom. 8. tatem filij. *Si enim filij*, inquit Apostolus, *& heredes.* vnde soluta adoptione, & amissa filij dignitate, perit etiam ius hereditatis, & ex herede Dei ac regni cælestis fit heres diaboli & inferni. Maximi æstimatur apud homines esse filium potentis Monarchæ, & habere ius ad regnum terrenum ac temporale; at infinitè amplius est esse filium Dei, & habere ius ad regnum æternum & hereditatem cælestem. vnde etiam damnum infinitæ æstimationis censendum, cùm hoc totum amittitur.

Quartus effectus. Amissio omnium bonorum operum.

Quartò, *Priuat hominem omnibus suis meritis* ac bonis operibus, quæ ipse apud Deum instar magni thesauri habebat: hæc enim omnia redduntur illi inefficacia & quasi mortua, etiamsi plurima sint & maxima. Imò, etiamsi quis tantum meritorum haberet quantum omnes Sancti simul iuncti, si vel vnum peccatum mortiferum superueniat, omnia illa extinguet & inutilia reddet: perinde enim damnabitur (nisi illud peccatum ante mortem deleatur pœnitentiâ) ac si nihil vnquam boni fecisset. Docet hoc Dominus apud Ezechielem cap. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur*, &c. Hoc modo multi in fine vitæ perdiderunt omnes labores suos & opes spirituales quas in cælo condiderant.

Quintus effectus. Priuatio singularis protectionis.

Quintò, *Priuat hominem singulari protectione diuina*, & cura illa 201
qua Deus solet filios & amicos suos prosequi: ipsa enim conditio filij & amici Dei postulat, vt Deus peculiari modo illum protegat contra omnes diaboli insidias, & maiora præbeat auxilia gratiæ præuenientis ad proficiendum in virtute. Hinc S. Ioannes Epist. 1. cap. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare: quoniam ex Deo natus est.* idem repetit cap. 5. *Semen Dei* hoc loco est charitas: forma quam per generationem diuinam accipimus, qua sumus filij Dei, est Spiritus sanctus nobis per charitatem coniunctus & inhabitans. Hic ita nos corroborat, protegit, & iuuat, vt vinci à peccato non possimus, imò vt non possimus peccare; nempe si charitatis instinctum & Spiritus sancti inhabitantis impulsum sequi velimus: seu, si in charitate velimus permanere. nam vt idem ait cap. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Manet Deus in eo* vt eum sanctificet, protegat, & singulari cura regat. Hac cura peculiari redditur indignus per peccatum, & dignus efficitur qui à Deo deseratur, & sinatur potestati diaboli, cui se per peccatum fecit seruum & mancipium. nam, vt ait Apostolus, *à quo quis superatus est, huius & seruus*

1. Pet. 2.

effi-

efficitur. Hinc fit vt qui vnum peccatum mortiferum patrauit, mox trahatur in aliud & aliud, vel in idem sæpiùs incidat; quia & ipse in se factus est debilior, & diabolus fortior, & diuina protectio remissior. *Cur post primũ peccatum homo sapiùs cadat.*

Sextò, *Facit hominem reum æternæ damnationis*, & omnium suppliciorum ac damnorum quæ illa inuoluit. Sicut enim ius ad regnum cæleste sequitur adoptionem diuinam; ita reatus damnationis tamquam propria passio sequitur peccatum mortiferum. *Stipendium peccati mors*, inquit Apostolus; nempe & illa mors qua statim anima moritur, dum priuatur dono gratiæ & Spiritu sancto, qui est vita animæ: & illa æterna quæ post hanc vitam irrogatur, cui vita æterna opponitur. Addit enim Apostolus: *Gratia autem Dei vita æterna.* Vnde mortem illam quæ peccati est stipendium, opponit vitæ æternæ; ac proinde loquitur de morte æterna. Hæc dicitur peccati stipendium, quia peccatum per se, vt à nobis est, illud meretur, & hominem dignum facit tali mercede: at nullum opus nostrum, quantumuis sit bonum & supernaturale, per se meretur vitam æternam, sed hanc vim & dignitatem accipit à Spiritu adoptionis, quo quis constituitur filius Dei. *Sextus effectus, Reatus æternæ damnationis.* Rom. 6.

Septimò, Post hanc vitam *infert damnationem ipsam*, & omnia mala quæ in illa includuntur, de quibus Cap. sequenti. *Septimus effectus, Damnatio.*

202 Porrò quòlibet peccatum mortiferum, etiamsi vnicum sit, hæc omnia mala importare, Fide certissimũ est. Quodlibet priuat hominem dono gratiæ iustificantis, & ex iusto facit iniustum: quodlibet priuat Spiritu sancto inhabitante, & adoptione diuina, & omni iure cælestis hereditatis, & omnibus meritis, & auxilio peculiaris protectionis; ac proinde etiam reum facit æternæ damnationis: quia hæc omnia insolubili catena sunt connexa & inter se deuincta. Quod confirmatur: Quia Spiritus sanctus in Scripturis minatur æternas pœnas, non solum ijs qui multa peccata commiserunt, sed absolutè omnibus peccatoribus, & omnibus iniquis, & omnibus Dei inimicis, & omnibus qui etiam vel vno peccati genere se inquinarunt, vt omnibus fornicariis, mollibus, furibus, homicidis, maledicis, & similibus. Psal. 10. *Pluet super peccatores, laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Psal. 91. *Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.* Matthæi 13. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de media iustorum, & mittent eos in caminum ignis.* Et Apostolus 1. Corinth. 6. *Nolite errare: Neque fornicarij,* *Etiam vnicũ peccatum mortiferum omnia hæc mala infert.*

rÿ, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque auari, neque ebriosi (μέθυσοι,) neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Atque vel vnus actus peccati mortiferi facit hominem peccatorem, & iniustum, & iniquum, & inimicum Dei, & filium diaboli; vnus actus facit furem, adulterum, fornicarium, mollem, maledicum: vna etiam voluntaria ebrietas facit μέθυσον, id est ebrium. sic enim illud *ebriosi* accipi debet: μέθυσος enim propriè μεθύοντα seu ebrium significat. Vnde ad damnationem per ebrietatem non requiritur vt quis illi sit deditus, sicut nec in aliis peccatis, sed sufficit vna ebrietas. His adde testimonium S. Iacobi: *Qui in vno offenderit, factus est omnium reus*, hoc est, non minùs damnabitur quàm si totam legem violasset, licet non ad æqualem pœnam. Ratio est, Quia eo ipso quo vnum peccatum mortiferum committit, contemnit Deum totius legis & iustitiæ auctorem, & paratus est etiam alias leges violare cùm occasio se obtulerit. Hæc de præcipuis peccati malis, quæ in hac vita infert peccatori.

Cap. 2.

CAPVT XXIX.

De malis quæ peccatum infert post hanc vitam.

DIXIMVS generatim de malis quæ peccatum statim infert peccatori; nunc breuiter agendum de illis quæ irrogat post hanc vitam: vtilissimum enim est, hæc breui compendio sæpè ob oculos proponere, & attentè considerare. Quantum malum sit peccatum, homines in hac vita non percipiunt, quia effectus eius non sentiunt, quo fit vt etiam parui illud æstiment. Verùm post hanc vitam, quando acerbissimos eius fructus gustabunt, vel alios gustantes videbunt, tunc tandem clarè cognoscent ipsum esse summum malum; nec vllum aliud genus mali cogitari posse, quod huic sit comparandum. Porrò mala quæ peccatum infert post hanc vitam, ad duo reuocantur genera, nempe ad pœnam damni, & pœnam sensus. 203

Pœna damni. Pœna damni consistit in eo, quòd sententia irreuocabili excludatur ab æterna beatitudine, & omnibus bonis quæ illa secum affert; ad quæ obtinenda ille à Deo conditus erat, & in hac vita constitutus, & tota gubernatio mundi à Deo directa. Hæc similis est confiscationi bonorum, cùm quis eiiciendus in exilium ad metal-

la,

la, priuatur primò omnibus bonis, & redditur inhabilis ad omnia tamquam seruus pœnæ. Pœna ista damni continet damnum quintuplex, secundùm quinque bonorum genera. Primum est, *Amissio cælestis patriæ*, seu splendidissimæ ac saluberrimæ illius regionis, omnibus opibus & deliciis redundantis; cuius materia auro & gemmis pretiosior, cuius amœnitas solis & stellarum vincit pulchritudinem. Describitur hæc ciuitas à S. Ioanne Apocal. 21. & in fine additur, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*. Secundum est, *Exclusio à contubernio* & familiaritate dulcissima tot millium Angelorum & hominum beatorum; quos intueri, cum quibus agere & versari etiam instar famuli ad obsequium, maior esset felicitas, quàm omnium huius mundi Regnorum & bonorum possessio. Si magna pœna censetur inter homines, cùm quis priuatur ciuitate & omni honore quem in ea obtinebat, vel obtinere debebat, & optimorum ciuium consuetudine, & eiicitur in perpetuum exilium in insulam barbaram ac sterilem: quanta pœna censendum hoc æternum exilium, quo quis tali ciuitate, tali honore, & talium ciuium familiaritate spoliatur? Tertium damnum est, *Priuatio illius amœnissimi spectaculi*, quod omnes Beati habebunt intuendo pulchritudinem omnium rerum naturalium, totamque mundi fabricam, & insuper omnium & singulorum Beatorum gloriam: ita enim diuinitus illustrantur, vt hæc omnia possint clarè intueri. Ex quo spectaculo incredibilem percipient voluptatem; adeò vt etiamsi homines iusti non acciperent aliud præmiu quàm hæc tria bona, nempe cælestem habitationem, contubernium cælestium ciuium, & claram totius naturæ conditæ cognitionem, cum ex cognitione Dei qua necessariò ex illa resultat, nihilominùs censenda esset non modica felicitas, imò longè maior quàm vmquam Philosophi animo concipere potuerunt. Damnati tali illustratione carebunt: vnde neque pulchritudinem rerum creatarum clarè cernere poterunt, neque voluptatem vllam ex illis haurire, sed solùm mœrorem: ficut demones, etiamsi omnes res creatas naturalis ordinis vtcumque cognoscant, nullam inde voluptatem percipiunt. cuius ratio duplex adferri potest. Prima, Quia tanto mœrore oppressi sunt propter æternam damnationem, vt omnis consolatio quam ex pulchritudine rerum creatarum capere possunt, sit instar nihili. Secunda, Quia cùm Deum summo odio prosequantur, etiam oderunt omnia ipsius opera, & detestantur eorum pulchritudinem. Sicut qui videt filios, amicos, hortos eius

Pœna damni continet quintuplex damnum.

Cur damnati ex rerū cognitione non percipiant oblectationem.

quem

quem acerrimè odit, non delectatur eorum pulchritudine vel ornatu, sed potiùs discruciatur animo, quia totum inimici bonum censet & apprehendit tamquam suum malum. Quæ duæ rationes etiam in hominibus damnatis locum habent. Quartum damnum est, *Priuatio luminis gloriæ*, & consequenter visionis, amoris & gaudij beatifici. Hoc damnum est omnium maximum, vtpote infinitum, quia infiniti boni amissio; sicut si quis infinitum thesaurum amitteret, ex quo summos honores & summas voluptates percepturus erat. Itaque in hoc damno multa damna infinitæ æstimationis continentur. Primò, Luminis gloriæ quo animæ eleuantur & corroborantur ad videndam essentiam diuinam. Secundò, Ipsius visionis beatificæ, qua planè similis Deo anima efficitur, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Tertiò, Amoris beatifici quo anima tota in Deum transfunditur, & vnus cum illo spiritus eminentissimo modo efficitur. Quartò, Gaudij beatifici quo de bono ipsius Dei gaudet, & tota eius dulcedine fruitur. Quintò, Gaudij illius eximij, quo quisque de sua beatitudine suisque bonis gaudebit & delectabitur. Quintum damnum est, *Priuatio gloriæ corporis*, nempe claritatis, impassibilitatis, agilitatis, & virtutis spiritualis penetrandi per omnia: habebunt enim corpora obscura, fœda, passioni obnoxia, ponderosa, & longissimè ab omni conditione spirituali remota: nisi quòd ignibus consumi numquam poterunt. Porrò hæc omnia damna versabuntur illis 204
assiduè ob oculos, eaque semper considerabunt, ac proinde incomprehensibilem animi mœrorem inde concipient. Fiet autem hoc tum naturæ quodam instinctu, quo quis cùm in graue damnum incidit, semper de eo cogitat, nec ullatenus ab eo potest auertere: tum maximè diuina virtute mentem damnatorum ad hoc applicante, & efficientè vt assiduè apprehendant & considerent, vt inde mœrorem assiduè percipiant. quod insinuari videtur Dan. 12. *Multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt; alij in vitam æternam, & alij in opprobrium vt videant semper.* quid *videant*, nisi suum opprobrium & sua damna, quæ propter sua peccata sunt perpessi, & patientur in æternum? Vnde non erit in potestate illorum mentem diuertere ab horum damnorum consideratione.

Hæc damna semper habebunt ob oculos ex duplici causa.

Ex varietate huius considerationis proueniet diuersitas afflictionis pœnæ damni in damnatis. Etsi enim damnū ipsum quod pœna damni vocari solet, par erit omnibus; (omnes enim æqualiter omnibus istis bonis excludentur & priuabuntur:) tamen afflictio quæ inde

Pœna damni erit eadem, sed afflictio diuersa.

inde proueniet, par non erit, siue hæc afflictio ad pœnam damni, siue ad pœnam sensus pertinere dicatur. Sicut enim maximi peccatores merentur maiorem pœnam sensus ab igne prouenientem, ita etiam merentur maiorem pœnam ex damno. Atqui pœna damni ex parte ipsius damni maior esse non potest, sed omnibus est æqualis; sed solùm potest esse maior vel minor ex parte afflictionis & mœroris, quem damnum ipsum adfert mediante consideratione. Itaque tota hæc diuersitas pendet ex diuersitate considerationis. Neque id mirum, cùm nullum damnum, quantumuis magnum, habeat rationem pœnæ afflictiuæ, nisi per considerationem applicetur ita vt animum discruciet. De ratione enim pœnæ afflictiuæ est vt repugnet voluntati, eamque mœrore afficiat. quòd si non apprehenditur damnum, vel nihili penditur, non habet rationem pœnæ afflictiuæ, sed tantum priuatiuæ. Quare sicut ignis non affligit, nisi ita applicetur vt dolorem inferat; ita etiam damnum non habet rationem pœnæ afflictiuæ, nisi per considerationem applicetur vt animum mœrore afficiat.

205 Dices: Paruuli sustinebunt pœnam damni, & tamen inde non affligentur mœrore, etiamsi eam considerent: ergo etiam alij damnati poterunt se continere, ne ex consideratione huius damni mœrore afficiantur. Respondeo, negando consequentiam. est enim valdè dispar ratio. Primò, Quia paruuli ad illa bona non nisi remotè jus habuerunt: nec vmquam in illorum potestate fuit ea consequi. Sicut rusticus non multùm dolet quòd non fuerit adoptatus à Rege, etiamsi aliqui alij Regis liberalitate ex eius vico adoptati fuerint, & magni Principes effecti, quia ad hoc non habuit ius vllum saltem propinquum. Secundò, Quia ob incertum euentum huius vitæ, & periculum horrendæ illius damnationis iniquorum, quam optimè cognoscent, gratulabuntur sibi, quòd ante vsum rationis ex hac vita subtracti fuerint, & isti periculo exempti: nam maxima pars illorum fuisset damnata. Itaque quia Deo aliter visum non est, contenti sunt sua sorte, eaque fortasse illis est gratior, quàm exponi periculis huius vitæ ad obtinendam beatitudinem: præsertim cùm multi etiam Christiani, si in illorum esset arbitrio, mallent similem statum, quàm versari in periculis damnationis cum ipe beatitudinis. Qui tamen affectus in ipsis est valdè inordinatus: quia Deo aliter visum, qui paratus est ipsos iuuare vt certò assequantur, si ex parte sua fecerint quod debent, & facilè possunt. Secus de illis qui viam salutis ignorant. Tertiò, Quia Deus singu-

Cur adulti potiùs quàm paruuli ex damni pœna mœrorem sustineant.

Cur paruuli non doleant de pœna damni.

lari prouidentia mentes eorum gubernat, vt forte sua contenti sint. non enim pœna damni affecti sunt, vt inde dolorem concipiant, cùm propria voluntate non peccauerint: sed quia propter peccatum primi parentis, illis bonis facti sunt indigni.

Hæ rationes in adultis locum non habent, cùm in illorum potestate fuerit illa bona consequi, & sua voluntate declinando à Deo videantur illa parui fecisse. Vnde priuãtur, non solùm quia aliquo modo indigni, sed quia ea contempserunt peccando: ac proinde oportet vt mœrorem ex hoc damno sentiant.

Soti & Abulensis sententia.

Dominicus Soto in 4. dist. 5. a. 4. secutus Abulensem, putat hanc maiorem afflictionem pœnæ damni prouenturam in maioribus peccatoribus ex eo quòd ipsi maiori odio prosequantur Deum quàm minores peccatores: quòd autem quis aliquem magis odit & censet inimicum, eò fert ægriùs damnum quod ab illo patitur. Verùm, etsi hoc interdum aliquid facere possit ad augmentum mœroris in damnis sustinendis, hic tamen non potest esse causa principalis. omnes enim summo odio quo possunt, Deum prosequuntur; & qui minora peccarunt, videntur habere maiorem causam murmurandi contra Deum, & tristandi de tanto damno, quàm qui plurimis peccatis illud meruerunt, vt facilè exemplis humanis ostendi potest. Vnde dicendum existimo, hanc diuersitatem afflictionis ex damno illo prouenire ex eo quòd perfectiùs & vehementiùs, vel minùs perfectè & vehementer magnitudo huius damni concipiatur, diuina iustitia id in mentibus eorum operante: iustum enim est, vt intelligant ac sentiant, quantum bonum sua culpa amiserint, idque eò ampliùs, quò grauiùs peccauerint. Neque mirum videri debet, Deum id supernaturali modo in mentibus eorum operari: quia longè magis mirum, quòd singulos in die Iudicij ita illustrabit interiùs, vt etiam aliorum peccata & cordium consilia cognoscere possint, vt ex Apostolo constat. Neque absurdum est, damnatis fieri aliquam reuelationem vel illustrationem mentis, quæ ad eorum damnationem & afflictionem pertineat. sicuti diuiti in inferno ostensus est Lazarus in sinu Abrahæ, & concessum loqui cum Abraham. Non tamen opus est vt huiusmodi illustrationes sint supernaturales in substantia, sicut nec illæ quæ fient in Iudicio. Similiter non est necesse vt ipsi intuitiuè Sanctorum gloriam aut ipsos Sanctos in cælo existentes videant: satis est vt abstractiuè eam cognoscant & de ea cogitent, sicut nos de rebus absentibus cogitamus. Beati tamen intuitiuè & clarè damnatorum

Diuina iustitia facit vt illi maiorem alij minorem tristitiam ex damno illo sentiant.

1. Cor. 4.

Lucæ 16.

Damnati nõ cognoscent gloriam Sanctorum intuitiuè, sed abstractiuè.

pœnas

pœnas cernunt, vt ex Scripturis constat, Isaiæ vltimo, & Apoc. 14. Facilè enim vis mentis lumine gloriæ illustratæ ad omnia ista pertingit. Multiplex etiam hinc fructus: nam primò facit ad cumulum gaudij, quòd videant miserias aliorum (quas ipsi auxilio gratiæ diuinæ euaserunt) easque cum sua felicitate componant. Deinde, hinc excitantur ad peculiarem gratiarum actionem, propter exhibitam sibi misericordiam. Denique prouocantur ad congratulandum iustitiæ diuinæ, quæ hoc modo ordinem iustitiæ à peccatoribus violatum instaurat, & sibi quodammodò satisfieri curat. Hæc breuiter de pœna damni.

206 Sequitur pœna sensus, quæ etiam quinque afflictionum genera continebit. Prima est *ex ipso loco*, qui & profundissimus est & obscurissimus, & à cælo, vnde omnis lætitia rebus inferioribus, longissimè distans, omni horrore, calamitate & mœstitia plenissimus. Profunditas carceris, obscuritas, & aëris malignitas multùm faciunt ad carceris grauitatem, quæ interdum tanta est etiam apud homines, vt magnis tormentis possit æquari. at carcer infernalis per se millecuplo grauior est omni carcere huius mundi: nam vel solùm esse in illa voragine, & in illis tenebris, absque vlla spe fruendæ lucis vel aspectus cælorum, & audire assiduè ploratus, clamores, furores, & blasphemias damnatorum, ingens supplicium quauis morte grauius censeretur, etiamsi nihil ab igne vel dæmonibus patereris. Vnde Iob cap. 10. vocatur *terra tenebrosa & operta mortis caligine, terra miseriæ & tenebrarum, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. & Isaiæ 34. Terra *sulphuris & picis conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur; & erit terra eius in picem ardentem*. à Domino Matth. 13. vocatur *caminus ignis*; à S. Ioanne Apocalypsis 14. & 19. & 20. & 21. *stagnum ignis & sulphuris*. Augebit huius carceris afflictionem murorum humitas & spissitudo, quæ omnem spem euadendi excludet. ambitur vndique & clauditur spissitudine terræ, quæ à cētro ad superficiem plusquam mille leucas continet. quis huiusmodi murum perfodiat; præsertim, cùm non nisi ascendendo id fieri possit? vbi pedem figet, ponere corporis semper ad ima per vacua spatia tendente?

Quinque afflictionū genera in pœna sensus.

Prima, ex loco obscurissimo & horrendissimo.

207 Secunda afflictio est, *ex dæmonum & aliorum damnatorum perpetua societate*. sicut enim Beatis singulis ingens gaudium & oblectatio erit, amicissimè versari cum aliis Beatis; ita damnatis ex contubernio & præsentia aliorum damnatorum ingens erit mœ-

Secunda, ex dæmonum & damnatorū societate.

ror & afflictio. Primò, Quia cogi seu iuper esse in medio miserorum, & omnium illorum malorum pati aspectum, auditum, querimonias, per se ingens est miseria. Secundò, Quia omnes se mutuò oderunt, nempe quatenus sunt creaturæ Dei ad eius imaginem conditæ. Sicut enim summè oderunt Deum, ita etiam odio habent quidquid est Dei, quatenus eius magnitudo, potentia, sapientia, iustitia, vel alia perfectio in eo resplendet. Atqui valdè molestum est pati assiduè præsentiam eorum quos oderis, quod maximè locum habet in iis qui ipsis fuêre causa damnationis, vt sæpè sunt parentes, vxor, filij, socij, & in primis dæmones, qui nusquam absunt; hos enim omnes acerbissimo odio prosequentur, tamquam auctores suæ perditionis: vnde grauissimum ipsis erit, quòd assiduè cum illis esse cogantur, & eorum maledicta, contumelias ac furias perpeti. Tertiò, Quia valdè credibile est, dæmones etiam post Iudicium fore tortores hominum, etsi quidam aliter sentiant, inter quos S. Bonauent. in 1. d. 47. & quidam quos sine nomine refert Magister Sent. eadem dicit. Sic enim ante Iudicium torquent animas damnatorum, vt ex multis reuelationibus constat; cur non etiam post? non enim minùs nunc pœna damnatorum est determinata per iustitiam diuinam, quàm tunc erit. æquum est vt sentiant clementiam & benignitatem dominorum, quibus per peccatum se subiecerunt, & quorum se fecêre mancipia. Idem consentaneum Scripturæ Ecclesiastici 39. *Sunt spiritus qui in vindictam creati sunt*. quamuis istius loci alium sensum putem. Adde, si Deus in hac vita permittit vt impij se mutuò lædant, quid mirum si id permittat aliquando in futura, & sinat eos tamquam rabidos canes in se mutuò sæuire? illa enim pœna, quam mutuo furore alter ab altero patitur, inter mala secundaria istius status computanda, tamquam accessio pœnæ principalis quæ à Deo infertur: sicut oblectatio quam beati percipient ex mutua consuetudine, inter bona accessoria status Beatorum. Vtrùm in illa facilè potest admitti variatio, vt nunc maior sit, nunc minor. Hinc patet, versari inter damnatos & dæmones per se longè fore grauius, quàm versari in aliquo specu pleno serpentibus & bufonibus. Hanc pœnam interdum indicat Scriptura, vt Isaiæ 34. sed allegoricè; & Matth. 25. *Qui paratus est diabolo & angelis eius.*

Dæmones torquebunt homines damnatos.

Tertia affiictio, eaque maxima, erit *ab igne sulphureo:* omnes enim mergentur in stagnum sulphureum ardentissimum (vt patet ex Apocalypsi Ioannis) etsi alij magis, alij minùs profundè. Magnis

208

Tertia, ab igne sulphureo.

Apoc. 14 19. 20. & 21.

gnis verò peccatoribus non solùm exteriùs ignis applicabitur, aut ipsi in ignem seu stagnum igneum mergentur, sed etiam in corpora, viscera, & ossa eorum ignis implicabitur, ita vt ipsi toti ardeant; sicut ex multis visionibus colligi potest, in quibus damnati toti ardentes apparuerunt. Sæuiet autem hic ignis in alios plus, in alios minùs, pro meritis cuiusque: quia operabitur vt instrumentum diuinæ iustitiæ, quæ illo tamquam flagello vtetur. Facile est Deo non solùm applicare ignem, vt vi sua naturali cũ concursu generali agat: sed etiam speciali concursu plus vel minùs ei cooperari, vt maiorem vel minorem impressionem faciat, & maiorem vel minorem effectum producat.

Cur corpora damnatorum igne non dissoluentur.

Petes, quomodo fieri possit vt corpora damnatorum tanto ardore non dissoluantur, sed semper integra perseuerent: ignis enim omnia mixta dissoluit in elementa, & omnem humiditatem extenuat in auras. Quidam putant ignem inferni non productum calorem in corporibus damnatorum, quia tunc motus cæli cessabit, sine quo nulla alteratio aut quiuis alius motus corporalis fieri potest; sed solum speciem intentionalem caloris, quæ non est corruptiua rerum. Ita Caiet. in Oratione quam habuit coram Summo Pontifice Iulio II. & plerique de schola S. Thomæ ipsum secuti in 4. dist. 44. q. 3. a. 1. Verùm hæc sententia non probatur: nam Primò, parum credibile omnes vires rerum corporalium earumque actiones & operationes ita pendere à motu cæli, qui solùm localis est, vt illo cessante, omnes debeant cessare, nec ignis etiam maximus possit corpus admotum vel iniectum calefacere, aut stuppam incendere. Nulla enim ratione tam intrinseca dependentia probari potest, vnde frustrà asseritur. Deinde, nulla etiam ratione vel experientia ostendi potest, dari aliquam speciem intentionalem caloris, sicut dantur species lucis & colorum quando illuminantur extrinsecus: soli enim luci & coloribus qui lucem æmulantur concessum videtur, vt speciem seu imaginem sui foras diffundant. Quis vnquam speciem caloris vel frigoris percepit, quæ non esset verus calor aut verum frigus, sed solùm imago & specimen illorum? Ratio est, quia calor & frigus se possunt diffundere per se producendo effectum eiusdem speciei: vnde superfluum est vt se diffundant per suam imaginem, quæ necessariò est alterius rationis & naturæ, perfectior enim est communicatio secundùm eamdem naturam, quam solùm secundùm imaginem. Lux verò & color non possunt se diffundere nisi per suam imagi-

Sententia S. Thomæ & Thomistarũ, &c. corpora solum passura per imaginem caloris.

Non dantur imagines caloris & frigoris, sicut lucis & coloris.

nem, qua corpus diaphanum afficiunt, & quasi tenuiter pingunt, & sibi assimilant quantum possunt. Hinc patet, non rectè colligi à quibusdam Philosophis: Si lux & colores illuminati imaginem sui diffundunt, etiam reliquorum sensuum obiecta similem imaginem debere diffundere. est enim dispar ratio, cùm reliqua obiecta habeant modum se communicandi & protendendi ad sensum per se, idque vel immediatè, vel producendo effectum eiusdem speciei: lux verò & colores non possint se nisi per imaginem suam communicare.

Verius est, passura ingentem calorem.

Itaque dicendum est, corpora damnatorum verum & ingentem 209
caloremsi ab igne perpessura, non tamen idcircò dissoluenda. ita docet Augustinus lib. 21. de Ciuitate cap. 9. & 10. & acriter defendit Dionysius Carthusianus in 4. d. 44. q. 10. Colligitur ex Scripturis: Iudith 16. *Dabit ignem in carnes eorum* (non imaginem & speciem ignis) *vt vrantur semper.* Matthæi 3. *Paleas comburet igni inextinguibili.* Marci 9. *Omnis enim igne salietur.* Valdè frigidũ esset, hæc & similia de quadam imagine ignis & caloris interpretari, & ab hac corpora dici vri, comburi, igne sæuiri. Quomodo autem corpora tanto æstu non dissoluantur, conatur ostendere S. Augustinus lib. 21. de Ciuit. cap. 4. exemplo salamandræ, montis Ætnæ, carnis pauonis, magnetis, & aliarum rerum, quarum conditio & vis incredibilis ijs qui non sunt experti. His adde exemplum auri, in quo temperamentum ita est firmum, vt vi ignis dissolui non possit, vt docet Plinius lib. 33. cap. 3. Quòd si vi naturę elementa in auro ita contineri possunt, vt vis ignis non possit ea soluere aut humidum, quo constant, in auras dissipare: quid mirum, si vis Dei infinita, creatrix naturæ, intimè præsens rebus omnibus, possit in corporibus humanis ita continere elementa & humores omnes, vt nulla fiat resolutio aut dissipatio, quamuis ea corpora instar ferri candentis igneścant? Idem dicendum de sulphureo stagno, quod apud inferos æternùm ardebit absque vlla resolutione vel consumptione.

Virtuti diuina facile est elementa continere ne dissipentur.

Vtrùm autem id fiat positiuo influxu supernaturali in res istas, 210
quo ita continentur vt resolui non possint, an per subtractionem concursus, non ita liquet. Mihi videtur sufficere, vt Deus calori, qui natura sua vim habet extenuandi & dissipandi humorem rebus infitum, subtrahat suum concursum, ne possit hunc effectum in corpore cui inest producere: quo concursu subtracto, calor non magis dissipabit aut extenuabit corporis humores quàm frigus. nihilo-

Subtractione concursus fieri potest vt calor non extenuet & dissipet humores.

hilominùs per hoc nihil de acrimonia eius quam in sensum exeret, detrahetur; quia hæc actio est alterius rationis.

Dices: Etiamsi corpus non dissoluatur, tamen ingens dolor interimit, vt docent Medici, & constat experientia; ac proinde non poterunt manere viui in igne. Respondeo, dolorem non posse interimere hominem, nisi quatenus dissipat spiritus; & accendit febrem qua humores dissipantur, vt ijdem Medici docent: vnde si Deus impediat hunc effectum per subtractionem concursus, vel alio modo; nullus dolor, quantumuis magnus, perimere poterit: manentibus enim in corpore omnibus dispositionibus & instrumentis necessariis ad vnionem animæ cum corpore, nullus dolor, nullum supplicium potest illam abigere aut auellere à corpore; sed illa, velit nolit, manet deuincta & illi colligata, etiamsi totum igne, instar metalli candentis, imbueretur. Quòd autem dispositiones illæ & instrumenta quæ necessaria sunt ad vnionem animæ cum corpore, non sint defutura corporibus damnatorum, vel ex eo colligere possumus, quòd ea accipient in resurrectione, qua omnia ad perfectum statum reformabuntur. At non videtur verisimile, eos confestim vi ignis & suppliciorum amissuros illum naturæ statum & temperamentum naturale quod in resurrectione acceperunt. Itaque Deus etiam in illis ardoribus & doloribus temperamentum illud conseruabit: quo conseruato, anima manebit deuincta corpori, nec poterit se ab illo liberare; ac proinde nec ipse homo poterit mori.

Dolor non interimit nisi dissipando.

Deus conseruabit in corporibus damnatorum temperamentum necessarium ad vnionem animæ.

Dices: Temperamentum corporis humani requirit certam mensuram caloris, quæ hîc non videtur futura: quia ardor ignis longè excedet. Respondeo: Etiamsi ardor ab igne impressus longè excedat mensuram caloris natiui, id tamen non obstat: quia cum mensura caloris natiui trium graduum potest consistere calor extraneus longè maior, vt patet in ardentissima febri. vnde etiam Deus illam cum summo calore conseruare poterit. Denique ad iustitiæ diuinæ prouidentiam pertinet, ita illa corpora integra & viua pœnis æternis conseruare, vt nec diuidi in partes, nec conteri, nec consumi, nec suffocari possint.

211 Quarta afflictio erit *omnium sensuum à propriis obiectis*. Visus enim tenebris & spectris horrendis, & stagni ardentis aspectu, & loci totius immanitate, & fumo acerrimo torquebitur. Auditus clamoribus, eiulatu, maledictis, blasphemiis, aliisque furoris & desperationis signis, nimirum eorum qui non planè demersi in stagno.

Afflictio omnium sensuum à suis obiectis

stagno. Odoratus odore teterrimo, quo omnia plena erunt. Gustus & lingua tum à sulphure ardente, tum ab amarissimo succo quo lingua & os imbuetur. Denique sensus tangendi ac totum corpus, non solùm ardore ignis, sed etiam mutua compressione & angustia immensa. valdè enim verisimile est, vt suprà diximus, alios super alios instar fascium & sarmentorum coaceruandos, sic vt inferiores vehementer comprimantur à superioribus, & extremas patiantur angustias. Singulæ istæ sensuum afflictiones per se & seorsim consideratæ tantæ erunt, vt quælibet satis sit ad hominem mox interimendum, si mori posset. Sicut enim Sancti in cælo tantas habebunt oblectationes in singulis sensibus, quantas nemo in hac vita percipere potest, etiamsi omnia mundi oblectamenta illi suppeterent: ita iniqui tantas, in singulis sensibus patientur afflictiones, quantas nemo in hac vita sustinere potest. sicut enim in illis magnitudini gloriæ & gaudij quod erit in mente, respondebit magnitudo felicitatis quæ erit in corpore & sensibus: ita in damnatis magnitudini miseriæ quæ erit in portione superiore, respondebit miseria corporis & partis sensitiuæ. Felicitas enim animæ & corporis, partis superioris & inferioris, seu partis intellectiuæ & sensitiuæ, debent esse commensæ in suo ordine, & exacta proportione subordinatæ? Idem planè dicendum de miseria.

Quinta afflictio erit *à verme assiduè rodente.* Hæc afflictio videtur esse præcipua: nam & ab Isaia c. 66. & à Domino Marci 9. præponitur pœnæ ignis: *Quorum*, inquit, *vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* ter idipsum eodem loco repetens. Plerique (& rectè) per hunc *vermem* intelligunt conscientiam mordentem. Hæc conscientia consistit in duabus cogitationibus (quæ etiam in quatuor vel quinque distingui possunt) quæ assiduè menti tamquam vermes inhærebunt, eamque affligent. Prima, Quòd sua culpa priuati sint æternis & maximis bonis, quæ facili negotio poterant consequi. Secunda, Quòd addicti æternis tormentis, quæ facilè poterant euadere. Hinc gemina nascetur tristitia, quæ immensa quadam acerbitate cor eorum tamquam vermis arrodet, nempe quòd inæstimabilem illam gloriam, quæ illis erat quasi in manibus, sua stultitia amiserint; & quòd in æterna tormenta se sponte præcipitauerint. Hæ cogitationes & hi dolores sunt vermes acerbissimi, quorum morsus, (id est tristitia inde nascens) est præcipuum damnatorum tormentum, vt suprà num. 159. ostensum est. Exacuit & animat hos vermes iustitia diuina, faciendo vt mens 212

Vermis consistit in cogitatione bonorum quæ amiserunt, & malorum quæ incurrerunt, & æternitatis eorũ.

Iustitia diuina exacuit hos vermes.

eorum

eorum hæc omnia assiduè & acriter apprehendat & cogitet; ac imprimis horum omnium æternitatem, nempe hæc damna & hæc supplicia fore æterna, & nullis vnquam sæculis finienda. ea enim est conditio æternitatis, vt omne bonum faciat infinitè melius, & omne malum infinitè peius, nimirum quod ad æstimationem attinet. Horum omnium consideratio eò in singulis erit vehementior vel minùs vehemens, quò plùs vel minùs olim peccauerunt, vt maior quoque vel minor sit tristitia pro mensura meritorum cuiusque.

213 Ex hoc etiam verme nascetur desperatio, ex desperatione furor & odium in Deum, & in omnia quæ Dei sunt, & in seipsos, ac in omnes damnatos: ex odio, blasphemiæ & maledicta. De desperatione, res est manifesta. Hoc ipso enim quo certissimè scient pœnas suas fore æternas, (hoc enim sententia Iudicis continebitur quam ipsi clarè percipient,) necessariò desperabunt, & omnem animi motum in bonum abiicient. Hinc furiosi impetus sequentur, sicut in hominibus desperatione actis fieri consueuit, nempe iræ & odij in Deum, quibus vellent illum perdere si possent, & quia non possunt ei nocere, crepabunt præ indignatione ac furore, & prorumpent in blasphemias & maledicta, quibus & Deum, & omnes Sanctos, & se ipsos maledicent. Insinuat hæc Dionysius lib. De diuinis nominibus cap. 4. p. 4. vbi in dæmonibus dicit *esse furorem irrationalem, cupiditatem amentem, & phantasiam præcipitem.* Si hæc in dæmonibus, multò magis in aliis damnatis. *Irrationalis furor* est insurgere contra Deum; *amens cupiditas*, optare illi malum; *phantasia præceps*, quidlibet contra illum animo concipere.

Desperatio ex hoc verme

Hinc patet, non esse opus vt Deus infundat illis habitum vel actum odij, vt absurdè à quibusdam olim scriptum est. Hoc enim planè repugnat diuinæ bonitati; alioquin ipsa esset proprie auctor peccati, & necessitaret voluntatem creaturæ ad actum internum maximi peccati. Nec obstat, quòd istud odium tunc non esset peccatum, cùm non esset opus liberum: quia etsi non sit ita peccatum vt debeat imputari ad nouam culpam; tamen in se est opus prauum, rationi & naturæ rationali repugnans, & bonitati diuinæ iniuriosum & contumeliosum: neque hæretici, qui Deum faciunt auctorem omnium scelerum, (vt Lutherus, Caluinus, Svvinglius, Melanchthon, Beza, & similes) ipsum alio modo auctorem faciunt quàm necessitando ad actum prauum. Similiter qui introducunt fatum.

Non infundit illis Deus actū vel habitum odij Dei.

Vnde nascatur odium Dei.

Odium hoc nascitur ex eo, quòd assiduè considerent suas pœ- 214
nas, quas sciunt à Deo infligi. Vnde apprehendunt illum tamquam summum malum, vtpote auctorem totius afflictionis: ac proinde summo odio illum prosequuntur, & propter illum quidquid ad illum vllo modo pertinet. Et quamuis sciant se iustissimè à Deo puniri, non tamen idcircò patienter ferunt, quia iustitiam oderunt, cuius legibus tantum sibi malum irrogari sciunt.

Peccant odio & blasphemiis.

Petes, Vtrùm peccent per istud odium & blasphemias? Respondeo, peccare; quia cum pleno rationis iudicio & satis liberè ista faciunt. nam etsi in genere videantur determinati ad malum, in singulis tamen actibus possent resistere & non consentire prauis impulsibus. Veràm quia hoc illis nullum adferret leuamen pœnarum, laxant habenas impatientiæ, & toto impetu animi contra Deum insurgunt. Hæc tamen peccata non imputantur ipsis ad nouam pœnam, quia ipsi sunt in termino: ac proinde ista sunt veluti flores & fructus illius status, sicut bona opera Beatorum non merentur nouam gloriam. Hoc ipso enim quo quis est in termino, cessat ratio meriti & demeriti, quæ nihil est aliud quàm tendentia ad terminum.

CAPVT XXX.

Quomodo ignis corporeus agat in spiritus.

RES hæc est valdè obscura, quamobrem diuersæ sunt de ea sententiæ.

Lib. 21. de Ciuit. c. 10.

Dæmones alligandi igneis corporibus.

In primis Doctores Scholastici, secuti S. Augustinum, ferè in eo 215
consentiunt, quòd omnes dæmones sint alligandi vel potiùs illigandi igni vel igneis corporibus, ex qua illigatione ingentem mœrorem concipient: priuabuntur enim iure naturali libertate, vt non possint vbique vagari sicut modò faciunt: eruntque sicuti captiui vnco alligati, quem secum trahere cogantur, cùm se mouere volunt. Et fortè hæc alligatio ex parte causa erit, vt ampliùs carcerem suum egredi nequeant. Quamuis enim vi sua naturali terram perrumpere possent, & sic etiam cum corpore cui alligati, erumpere foras in aërem: tamen vbi semel alligati fuerint, id illis non permittetur; sed sicut diuina virtute corpori igneo alligabuntur, ita eadem virtute intra fines inferorum detinebuntur, vt nullo modo possint egredi limites illius. Credibile etiam est, hæc corpora terri-

biles

biles habitura formas, illorum peccatis, & damnatorum hominum suppliciis congruentes: quas vel ipsi poterunt sibi formare, vel Deus ipse corporibus illis stabiliter tribuet, vt nihil desit quod oculis vel imaginationi sit horrendum. si enim corporibus sint illigandi, rationi consonum est, vt illa corpora formam habeant externam malitiæ illorum & crudelitati consentaneam, ad maiorem hominum damnatorum afflictionem.

Præter hanc alligationem, quidam non videntur agnoscere aliud supplicium ab igne in dæmonibus: vt S. Thomas 1. p. quæstion. 64. a. 4. & lib. 4. contra Gentes cap. 90. & multi Thomistæ. Verùm hoc difficile est creditu: Primò, Quia si solùm patiuntur alligationem, aptiora ad hanc pœnam erant saxa ingentia, vel moles terrarum, quæ sua grauitate & crassitie detinent, quàm ignis qui leuissimus est: & tamen Dominus Matth. 25. dicit *ignem ab initio paratum diabolo & angelis eius*. Deinde, non est dubium quin ita dæmones affligantur igne, sicut animæ corpore solutæ, quæ etiam sunt nudi spiritus. Sed animæ torquentur vi ignis, non alligatione tantùm: anima enim Diuitis non petit solui, sed *refrigerari*; nec dicit se teneri, sed *cruciari in flamma* infernali: vt intelligamus, simili dolore illam ibi affici, quo afficiuntur cùm sunt in corpore. Denique, hic videtur communis sensus & conceptio fidelium. quam sententiam apertè tenet S. Augustinus lib. 21. De Ciuit. cap. 10. *Cur*, inquit, *non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi; si spiritus hominum etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, miris & ineffabilibus modis, adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dando ignibus vitam.* Si non aliter afflgerentur ab igne quàm concipiendo tristitiam ex eo quòd illi sint alligati; non miris & ineffabilibus modis acciperent pœnam ab igne: facile enim est intelligere eos diuina virtute alligari igni, & inde concipere mœrorem. Idem confirmat Gregorius lib. 9. Moralium cap. 50. vbi postquam præcedentibus capitibus ostendisset, homines igne corporeo cruciandos, docet eodem modo etiam cruciandos dæmones. *Quamuis*, inquit, *angelorum & hominum longè sit natura dissimilis, vna tamen pœna implicat, quos vnus in crimine reatus ligat*. Quare passim Doctores docent, etiam alio modo eos ab igne affligi. Sed hoc variè à diuersis explicatur. Quidam di-

Non solam patiuntur alligationem.

Lucæ 16.

216

Quomodo affligantur spiritus ab igne.

cunt, Deum per ignem tamquam per suum instrumentum in intellectu dæmonis producere speciem intelligibilem ignis adeò vehementem, vt perturbet intellectum ipsius, eumque detineat in consideratione ignis cui alligatus est, & impediat ab aliarum rerum consideratione, & ob hanc causam dæmonem valdè tristari: ita Richardus in 4.d.44.art.2.q.3. Alij dicunt illum tristari, eò quòd species illa impressa sit à re tam vili, videlicet ab igne corporali, quasi contra ipsius dignitatem sit pati à re corporali. Ita quidam Thomistæ, vt refert Gabriel Vasquez 1.p.disput.243. Alij dicunt, Deum per ignem tamquam per instrumentum non imprimere quidem speciem aliquam præuiam cognitioni (quæ solet vocari species impressa) sed ipsammet cognitionem, qua velit nolit cogitur semper intueri suum ignem, & de eo cogitare, & idcircò illum affici tristitia. Ita Scotus in 4.d.44. q.2. & Supplementum Gabrielis, cum Occamo. Verùm hæ sententiæ parum sunt verisimiles, & facilè refutari possunt, easque fusè refutat Gabriel Vasquez loco citato.

Alij docent, Deum per ignem producere in ipsis dæmonibus non quidem speciem intelligibilem, aut cognitionem seu apprehensionem ignis, sed alterius rationis qualitatem spiritualem minimè conuenientem eius naturæ, quæ ipsos maculet & turpet, ac deformes reddat; & ea de causa ipsos vehementem tristitiam concipere. Sed mirum est, si aliqua qualitas possit illum magis deformem ac maculatum reddere, aut eius naturali pulchritudini esse magis aduersa, quàm habitus & actus vitiorum, & ipsa tristitia vel dolor. Quare non videtur alia qualitas impressa à Deo quærenda qua turpis reddatur, satis ipse se detestatur; etsi de præcipua sua turpitudine, nempe de actibus & habitibus vitiorum, parum doleat. Porrò omnes isti DD. ita hanc rem explicant, vt non videantur in natura spirituali agnoscere aliquem dolorem quàm tristitiam propriè dictam, quæ nascitur ex cogitatione mali, siue hoc in priuatione consistat, vt est pœna damni, siue in aliquo positiuo, vt sunt alia mala, ob quæ quis tristitiam concipere potest.

Verùm Scriptura Lucæ 16. & Matth. 25. & Patres aliquid amplius insinuare videntur, cùm igne torqueri & cruciari dicunt spiritus. Ignis enim potissimùm ob dolorem quem immediatè causat, formidatur, non ob tristitiam quæ ex eius præsentia animo concipitur: nisi enim dolorem inferret, parum illum curaremus. Vnde S. Augustinus ait, *spiritus adhærendo igni miris & ineffabilibus modis* 217

pœnam

pœnam seu dolorem ex eo accipere. & S. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 29. *Ex dictis Euangelicis colligere possumus, quia incendium anima non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur.* Idem satis apertè docet lib. 9. Moral. cap. 50. vt ostensum est. & confirmatur ratione; Quia si dæmones non patientur dolorem qualem anima ex igne sentit in corpore, sed solùm tristitiam ex cogitatione suorum malorum; solùm dimidiatam afflictionem habebunt hominum comparatione: nam homines non solùm tristitiam ex cogitatione, sed etiam immanissimum dolorem sensus patientur ab igne, qui dolor non erit in corpore, (quod per se nullius doloris est capax,) sed in ipsa anima: & longè videtur intolerabilior quàm omnis tristitia. Si dicas, hunc dolorem in dæmonibus compensandum per maiorem tristitiam; contrà reponetur, homines habituros tristitiam non solùm ex consideratione suorum damnorum, & aliorum malorum de quibus dolebunt etiam dæmones; sed etiam de acerbissimo dolore quem patientur ab igne, quam tristitiam dæmones non habebunt. Vnde omnibus consideratis, homines non minorem sed maiorem tristitiam videntur habituri quàm dæmones, si isti dolorem non habebunt. Hinc alij sentiunt, etiam dæmones ab igne passuros non solùm tristitiam, sed similem quoque dolorem, qualem patiuntur animæ in corpore. Cui sententiæ accedit Dominicus Soto in 4. d. 50. a. 2. vbi conuictus Scripturis & Patrum sententiis, dicit animam separatam & dæmones similem tristitiam passuros ab igne, qualem animæ in corpore patiuntur dum corpus vritur. vbi tamen Sotus non videtur admittere dolorem in anima, sed solùm tristitiam qualis ex dolore corporis percipi solet, quali ille dolor non esset in anima. Eamdem clariùs tenet Henricus Quodlibeto 8. q. 34. cuius explicatio non omnino probetur.

Si dæmones non patiuntur dolorem sicut anima, sed solùm tristitiam, afflictio eorum erit dimidiata.

218 Vt autem hæc sententia aliquo modo declaretur, quædam supponenda quæ à multis Philosophis probata, vel experientia nota. Primò, Ignem vi suæ naturali posse efficere dolorem in anima rationali dum est in corpore, vt experientia constat; non tamen vllo modo posse in ea producere calorem, sed hic manet foris extra animam, nempe in corpore; dolor tamen vi caloris resultat in anima. Secundò, Hunc dolorem non esse in corpore tamquam immediato subiecto; quia est actus vitalis qui immediatè debet procedere à principio vitali, & in eo recipi. Vnde ipsa anima est quæ dolet, quæ sentit, quæ videt, &c. corpus verò solùm est medium & instrumentum per quod externa obiecta aptantur, modificantur,

Explicatur quo modo possit concipi, spiritus ab igne pati.

& ad animam transmittuntur, vt via naturali possit hæc percipere. Tertiò, Vim percipiendi obiecta externa, quam sensum vocamus, non esse quid distinctum ab anima, sed ipsam animæ essentiam consideratam quatenus hæc vel illa percipere potest, vt multi hoc tempore docent: estque multorum Patrum & Scholasticorum sententia. Vnde hanc vim secum defert cùm a corpore recedit, etiamsi fortè naturaliter ea vti non possit. Cùm enim anima sit infimus spiritus, habet hanc vim percipiendi infirmam, ita vt naturaliter ea vti non possit, nisi organi corporei adminiculo, per quod obiecta ad illam transmittantur. Quartò, In dæmonibus & Angelis non solùm esse vim intelligendi, qua obiecta externa intelligendo cogitent vel speculentur, sed etiam percipiendi modo sensibili ipsis obiectis accommodato, etsi longè perfectiùs, & ex maiori interuallo quàm homines possint percipere. Si enim in anima rationali separata talis vis ponitur, quæ tamen propter imperfectionem egeat instrumento corporali; videtur rationi consentaneum, vt etiam in spiritibus anima perfectioribus ponatur hæc vis, etsi longè perfectior, ita vt instrumento corporeo non egeat: quæ tamen vis à vi intelligendi re ipsa non differat, sed sit ipsamet, quatenus eminentiori modo circa obiecta illa præstat, quod præstat sensus in corpore & per corpus. Confirmatur: Quia etiam in spiritibus aliud est intelligere essentiam vocis vel soni, aliud est vocem & sonum audire, & experientia cognoscere: aliud cernere naturam caloris & frigoris, aliud calorem & frigus sentire & experiri; non quòd spiritus possint in se calorem vel frigus recipere, sed quia actu vitali & proprio illorum præsentiam possint experiendo percipere. Quintò, Etiamsi res corporales seu obiecta externa per se vt causa integra non possint in spiritum naturaliter agere, aut illi aliquam qualitatem imprimere, tamen possunt concurrere vt causa partialis vnà cum potentia vitali ipsius spiritus ad producendum in ipso actum vitalem, vt multi Doctores tradunt, præsertim qui species negant, & admittunt actionem in distans.

Vide P. Hurtado in doctissimo Opere De anima disp. 4. Augustinus. Bernardus. Scotus. Bonauent. Gregorius. Occamus. Gabriel.

His positis, poterimus ita ratiocinari: Si ignis naturaliter per 219
suum calorem potest affligere spiritum hominis mediante corpore, cur idem ignis vt instrumentum Dei non poterit affligere eumdem spiritū sine vllo corpore mediō? Corpus enim solùm se habet vt medium, per quod immediatè calor spiritui applicatur, vt eius præsentia vi sentiēdi percipiatur: Deus autē non eget aliquo medio, sed facilè omnem medij effectum & defectum supplere potest.

Dices,

Dices, Non ideò anima affligitur quòd calor ipsi applicetur, sed quia corporis temperies violentè dissoluitur, & corpus destruitur, cui anima naturaliter erat vnita: vnde per sympathiam quam habet cum corpore, sentit corporis malum. Sed contrà: Hoc enim est contra doctrinam S. Thomæ & aliorum Doctorum, qui dicunt animas resumpto corpore per solas species intentionales caloris affligendas, absque vlla corporis alteratione aut calefactione: ergo iuxta horum sententiam, quòd anima tantum dolorem percipiat, non est ex eo quòd temperies corporis dissoluatur, sed est ex repugnantia quadam intrinseca illius obiecti in illo excessu considerati, cum sensu & natura illius substantiæ viuæ. Deinde, etiamsi corpora damnatorum calore sint alteranda, non tamen dissoluentur, nec temperies destruetur; ergo dolor non est ex eo quòd vi caloris corpus dissipetur. Denique, quædam venena statim dissoluunt temperiem, & tamen modicum vel nullum dolorem inferunt. Itaque quòd excessus caloris tantum dolorem inferat spiritui humano, prouenire debet ex aliqua naturali repugnantia ad illum spiritum. Quod si ita est, dicendum erit, animam à corpore suo separatam, si diuina virtute includatur igneo corpori, non minorem dolorem percepturam, quàm si in suo corpore esset, & illud totum arderet.

Non ideò præcisè patitur anima dolorem quòd temperies corporis soluatur.

Dicet forte aliquis, vim sentiendi seu percipiendi obiecta modo sensibili in spiritibus, esse subiectam illorum libertati quoad vsum; ita vt possint ea non vti si velint, & consequenter impedire ne obiecta externa agant concurrendo cum illa vi ad actum vitalem: & ita, si velint, nihil doloris percipient. Respondeo, id esse valdè credibile, spectata natura cum conditione eorum; vnde naturaliter non possunt pati à rebus externis, præsertim inuiti: diuina tamen virtute coguntur ea percipere, etsi maximè voluntate renitantur; hoc enim necessarium est ad eorum punitionem.

Illa vis est subiecta illorum libertati.

Rursum vlterius ita possumus ratiocinari: Si ignis naturaliter vim habet affligendi spiritum infimum, nempe animam humanam, siue in corpore siue extra corpus, id modò non refert; ergo diuina virtute ita poterit eleuari, vt etiam superiores spiritus, nempe dæmones, affligere possit. Vbi enim est vis aliqua naturalis, etsi imperfecta, ad aliquem actum; ibi locum habet eleuatio ad actum eiusdem generis perfectiorem & superioris ordinis. sicut quia in intellectu nostro est vis aliqua imperfecta cognoscendi spiritus & Deum ipsum, potest eleuari diuinitus ad cognoscendum clarè naturas

turas spirituales, & ad videndum Deum. Itaque ignis ita poterit à Deo eleuari per singularem concursum, vt agat in dæmones, sic vt vnà cum potentia illorum vitali, qua externa obiecta modo sensibili percipere possunt, ignis immediatè producat sensum caloris, & dolorem hinc resultantem, simili ferè modo quo in nobis. Magis sanè ad hoc videtur aptus ignis, quàm ad producendam speciem intelligibilem, vel cognitionem actualem sui, vel qualitatem aliam spiritalem spiritui incongruam, vt alij DD. ponunt, cùm videamus ipsum naturaliter dolorem in anima producere.

Ex his patet, quomodo hæc pœna concipi possit. Sicut enim 220
animæ rationalis, naturæ vi ita coniungitur suo corpori, vt se ab illo diuellere nequeat: ita ipsa & quiuis spiritus ipsi similis, etsi perfectior, virtute diuina alligari potest corpori igneo, ita vt se ab illo non possit vllo modo expedire. Neque hoc difficile est intellectu: cùm enim ipse sit omnipotens & intimè præsens omnibus corporibus & spiritibus, assiduè omnia creans & formans; promptum ei est spiritum corpori applicare, & insolubili vinculo spirituali adstringere, sicut reus funè vel catena, cippo vel trunco in carcere alligari solet. Deinde, sicut anima in corpore existens, statim naturaliter sentit ardorem qui corpori imprimitur, & vehementem dolorem; quia naturæ eius aduersatur, simul cum tanto calore quasi penetratiuè in eodem corpore vel spatio existere: ità ipsa vel alius spiritus alligatus corpori igneo, & simul penetratiuè cum illo in eodem spatio existens, diuina virtute id agente statim sentit ardorem illius corporis, & ingenti dolore afficitur. Quo sensu videtur dictum à S. Augustino, *spiritus adhærendo corporalibus ignibus, miris & ineffabilibus modis inde accipere pœnam* seu dolorem, vt suprà dictum est. & illudà S. Gregorio, *animam viuitis non solùm videndo, sed etiam experiendo pati incendia.* Quid enim est aliud *pati incendia experiendo*, quàm pati dolores incendij seu ignis, quales in hac vita pati solet?

Dices: Dæmones hoc tempore non sunt alligati ignibus corporalibus: ergo non patiuntur hanc pœnam ignis. Respondeo: Etsi valdè credibile sit, eos quibus concessum egredi & liberè vagari per aërem, nondum esse alligatos igneo corpori cui deputati; alioquin hîc ab hominibus quibuscum agunt posset percipi, nec ipsi omnia possent penetrare, &c. tamen etiam valdè verisimile est, eos non carere modò pœna ignis. Nam fieri potest, vt vbicumque ipsi sint, ignis inferni dolorem in eis, concurrente simul eorum potentia

Dæmones etiam extra infernum patiuntur pœnam ignis.

tia vitali (vt dictum est) pariat, cùm agat vt instrumentum Dei. Si enim astra per tot milliones milliarium possunt naturaliter agere in res inferiores; cur ignis inferni, vt instrumentum Dei, per mille leucas non possit agere in dæmones, eisque dolorem imprimere? Et hoc modo melius intelligitur Glossa Iacobi 3. cùm ait, *dæmones, vbicunque sint, ignem gehennæ secum ferre*, nimirum quia dolorem eius vbique sentiunt; quàm quia vbique cogitant se aliquando isti igni alligandos, vt quidam explicant.

Hæc de modo quo spiritus ab igne pati possint: quæ non asserendo, sed inquirendo & disputando à me dicta sint, vt Lector hunc modum consideret & examinet: natura enim spirituum nobis est obscurissima; & magis ex Scripturis & Patribus quid agere & pati possint, quàm ex Aristotelis suppositionibus inuestigandum: valdè etiam obscurum & inexplicabile, quomodo anima nostra, quæ purus spiritus est, corpori deuinciatur, eiusque passiones tam opere sentiat. Denique quomodo res externæ cum potentiis animæ ad sensionem & dolorem in anima excitandum concurrant. Multa in his nunc puto latere, & posteà deprehensum iri à nobis in altera vita, quæ modò ne suspicari quidē possumus. Hactenus de Iustitia.

CAPVT XXXI.

Recollectio precatoria de Iustitia.

221 QVIS *nouit potestatem iræ tuæ, aut præ timore tuo iram tuam dinumerare?* quis dignè expendere suppliciorum magnitudinem & multitudinem quæ peccatoribus præparasti, & per tuam omnipotentiam illis suo tempore irrogabis? Sicut enim infinita est misericordia tua, ita & iustitia tua: quæ etiam innumeris modis non solùm in futuro sæculo, sed etiam in præsenti (quod tamen proprie est sæculum misericordiæ) contra peccatores se patefecit, vt omnes te timere discant, & quos benignitas tua non mouet, saltem moueat seueritas. Declarasti iustitiam & iram tuam contra peccatum, quando tot millia angelorum (qui incomparabiliter omnibus hominibus sunt præstantiores) propter vnum peccatum de cælo in tartarum deturbasti, & æternis suppliciis subiecisti, nulla spe veniæ relicta: non tibi cordi fuit, quòd illi tanto essent numero, tanta naturæ excellentia & pulchritudine, tanto ingenio & rerum omnium notitia præditi: nec curasti omnem laudem, bene-

Pſal. 89.

2. Petri 2. Epist. Iud.

dictionem, gratitudinem, honorem & gloriam, quæ tibi ab illis in omnem æternitatem prouentura erat, si illis hanc culpam condonasses. Maluisti tantum & operis tui pulcherrimi, & gloriæ tuæ quæ ab ipso tibi obuenisset, damnum sustinere, quàm vnicum illud peccatum condonare. Rursum eamdem ostendisti, quando totum genus humanum propter peccatum primorum parentum iustitiâ originali, & primi status felicitate spoliasti, ac innumeris miseriis simul & morti addixisti. Ex qua pœna iam antè prouidebas fore, vt infinita hominum multitudo damnaretur, & vix centesimus quisque salutem obtineret. Hoc tamen totum propter primum illud parentum peccatum permittere in posteris voluisti. Quis non expaueſcat ad tantam iudiciorum tuorum abyssum? Vere magnus Dominus, & terribilis nimis, infinitè supra omnia eleuatus & supereminens, ad omnem laudem, gloriam & beatitudinem tibi per te sufficientissimus, nec nostris vel Angelorum obsequiis & laudibus egens; sed hoc tantùm postulans, vt obediatur voluntati tuæ.

Genes. 2. Rom. 5.

Demonstrasti quoque contra peccatores iram tuam, quando 222
inundante diluuio peccatorum, induxisti diluuium aquarum, quo totum genus humanum, præter octo homines in mundi seminarium reseruatos, deleuisti, & terram sceleribus contaminatam expiasti. Iterùm quando sulphure ardente cælitus immisso Sodoma & vicina oppida cum suis incolis funditus deleuisti, æterni incendij post mortem peccatoribus præparati specimen in hoc sæculo hominibus exhibens. Simili modo quadringentis pòst annis ira tua desæuiit in Ægyptios iniqua seruitute populum tuum prementes, quos in obstinatione vnà cum suo Principe persistentes, post maximas & admirabiles clades, mari Rubro demersisti. Neque populo tuo quem ex toto genere hominum peculiariter tibi delegeras, pepercisti; iubens vt rebelles vel terra dehiscente absorberentur, vel igne cælitus immisso cremarentur, vel gladiis confoderentur; omnibus ob peccatum murmurationis per quadraginta annos in arenis & locis horridis detentis & circumductis. Deinde sub Iudicibus sexies ob peccata sua ab hostibus subacti, & seruitute variisque calamitatibus oppressi. Denique peste, fame, bello, incendiis, tempestatibus, eluuionibus, terræmotibus aliisque flagellis genus humanum propter peccata sæpissimè castigasti, vt nulla fuerit natio hisce miseriis exempta. Sicut enim nusquam desunt peccata, ita par est vt nusquam etiam desint flagella, quibus pec-

Genes. 7.

Genes. 19.

Exodi 7. 8. 9. 10. 14.

Num 16. Psal 105. Exodi 32. Num. 14.

peccata castigentur, vt homines manum tuam sentientes resipiscant, & ad officium reuocentur.

223 Neque solùm externis istis calamitatibus peccata vindicas, sed etiam internis & spiritualibus, dum lucem & protectionem gratiæ tuæ peccatoribus subtrahis, & permittis eos a diabolo ad omnem nequitiam impelli. Hoc supplicium maximè formidabile, vtpote damnationi æternæ propinquissimum. Sic per aliquot annorum millia permisisti gentes (hoc est totum ferè mundum) ingredi vias suas, & diabolum tamquam huius sæculi principem ac Deum obtinere regnum, & instar Dei in mundo coli & adorari. Sic etiam dilectam olim plebem tuam, propter sua scelera (præsertim quia charitatem veritatis repulerunt, insuper & ipsam veritatem occiderunt) à te repulisti, subtracta gratia tua, & operatione erroris in eos dæmonibus permissa. Simili modo multa Christianorum Regna propter peccata, & maximè propter hæresim, à te derelicta, & infidelibus vel dæmonibus tradita. Hæc sunt iudicia iustitiæ tuæ, hæc impiæ desertionis stipendia, nimirum vt qui te & doctrinam tuam deserunt, à te deserantur, & dæmonibus illudendi permittantur, vt tenebras putent lucem, & lucem tenebras, bonum aspuant tamquam malum, & summum malum amplectantur pro summo bono. Etsi enim hoc flagellum in hac vita sit omnium maximum; quia tamen non videtur nec sentitur, non æstimatur; neque flagellum reputatur, sed beneficium: quod summæ miseriæ est argumentum. Actor. 14. 2. Cor. 4. 2. Thess. 2.

224 Huiusce modi aliisque in hac vita peccata castigas, & iram tuam ac iustitiam ostendis. Quæ verò supplicia, quas afflictiones & miserias in altera vita (quando iræ tuæ laxabis habenas, nec ampliùs eam continebit misericordia) peccatoribus præparasti, quis explicet? Ibi carcere profundissimo & omni horrore plenissimo concludentur, ibi in stagnum sulphureum igne exæstuans demergentur; ibi corpora ipsa in cumulum congesta instar lignorum aridorum in medio sulphuris stagno ardebunt; ibi fletus & stridor dentium præ doloris immanitate & impatientia; ibi dæmonum horrenda monstra igneis corporibus induta in miseros sæuient; ibi summi in corpore dolores, summæ in sensibus omnibus afflictiones; ibi in anima ex consideratione infiniti damni, & tantorum malorum, præsertim æternitatis (per quam totam hæc omnia damna & mala sine vlla mitigatione durabunt) incomprehensibilis tristitia & desperatio. O æternitas! in bonis infinitum bonum, in malis infini-

tum malum! quantum malum, quàm horrendum & intolerabile, ardere in fornace vel per vnum diem? quantum per annum? quantum per centum annos? quantum per mille, per centum millia annorum? Quantam tristitiam animo conciperes, si per centum millia annorum ardere deberes? at si accesserit æternitas, supplicium hoc erit infinitè maius, infinitè peius, & incomparabiliter maiorem animo tristitiam tibi pariet. Quanta debet esse tristitia illa quæ incomparabiliter maior & grauior est, quàm tristitia quæ ex incendio centum millium annorũ subeundo conciperetur? Quis ista perpendens non perhorrescat? quis non libenter, vt tanta mala euadat, & in securo portu se constituat, voluptates, honores & diuitias huius mundi contemnat, & arctam salutis viam capessat? quis summam non ducat fatuitatem, ob res terrenas & momentaneas, immensi & æterni mali periculo se exponere?

Rogo Domine per infinitam bonitatem & misericordiam tuam, 225
per merita & mysteria sanctissimæ humanitatis tuæ, vt auertas à me fatuitatem istam, & mentem meam lumine tuo & salutari sapientia electorum tuorum perfundas, qua peccati, quod tanta mala meretur, grauitatem clariùs cognoscere, & miserias illas acri cogitatione crebrò possim reuoluere; vt salubriter expendam quantus sit oceanus malitiæ in quouis peccato mortifero, ex quo in animam & corpus exundat tantum pelagus miseriarum; & tanto studio coner illud vitare, & tibi placere, quanto par est vt summum malum fugiamus, & ad summum bonum contendamus.

DE

DE PERFECTIONIBVS MORIBVSQVE DIVINIS

LIBER XIV.

DE VLTIMO FINE.

CAPVT PRIMVM.

Deum esse vltimum finem, cuius gratia sunt omnia.

1 SICVT Deus est suprema & prima causa efficiens omnium, ita etiam est vltimus finis. Vnde Apocalypsis 1. dicit: *Ego sum α & ω, principium & finis.* Quibus verbis declarat, se esse qui omnibus rebus per creationem initium dedit, & ijsdem finem imponet terminando cursum huius sæculi, & omnia iustorum desideria complendo & consummando, vt *Deus sit omnia in omnibus.* Complebit autem illa omnia non solùm vt causa efficiens eorum bonorum, ad quæ desiderij motus extenditur; sed etiam per se tamquam summum bonum & vltimus finis omnium, quo obtento erit quies desideriorum, & æterna fruitio. Ideò enim ab ipso producta & progressa sunt omnia quæ ipsius capacia sunt, (nempe omnia mente prædita,) vt per illuminationem & auxilium gratiæ ipsius ad ipsum reducantur, & in ipso æternùm feliciter quiescant. Angelica natura quia tota simul condita & valdè perfecta, breuissimo tempore cursum suum complevit, & in suum principium & vltimum

S Thomas 1.p.q 44.a.4

1.Cor.15.

finem recurrit. Natura humana, quia valdè imperfecta (vtpote infima & in infimo gradu naturæ rationalis) & continua successione propaganda, longum tempus postulabat. Vnde illa totum illud spatium concessum, quod à principio mundi vsque ad extremum Iudicij diem excurrit; quo die hoc sæculum & cursus temporalis finem accipiet, & inchoabitur dies æternitatis & Sabbatum sempiternæ quietis; quo omnes beati spiritus in vltimo suo fine sine fine felicissimè quiescent.

Duplex finis; qui, & cui, seu cuius gratiâ.

2 Porrò duplex à Philosophis & Theologis distinguitur *finis*: nam & bonum quod appetitur, finis dicitur; & persona cui illud appetitur. Illud vocari solet *finis qui*; hoc *finis cui*, vel *cuius gratiâ*. Vtroque modo Deus est vltimus finis naturæ rationalis, non tamen ratione carentis: omnium tamen est vltimus finis *cuius gratiâ*, quia propter ipsum omnia facta sunt, & permanent in æuum, nempe propter ipsius gloriam. Testatur id multis locis Scriptura. Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*. ad Romanos 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipsa* (ἐξ αὐτοῦ) *sunt omnia. Ex ipso*, quia ipse ex se omnia excogitauit, nemo illum docuit, nemo ipsi ostendit. *Per ipsum*, quia per se omnia fecit, nullius ope egens. *In Ipsum*, seu ad *ipsum*, quia omnia ad ipsum tamquam ad vltimum finem ex natura sua ordinantur. Rursum ad Hebræos 2. *Decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia*, &c. Denique idem insinuatur omnibus illis locis, quibus Deus dicitur *Dominus omnium*, vel *Dominus cæli & terræ*. *Dominus* enim est finis cuius gratiâ sunt omnia quæ eius dominio subsunt, nimirum vt eius commodis vel honori seruiant. Quare cùm vniuersitas rerum creatarum subsit dominio Dei, sitque natura sua ad hoc instituta vt illi seruiat, manifestum est, ipsum esse finem cuius gratiâ omnia.

Deum esse finem cuius gratiâ respectu omnium.

Act. 17. Matth. 11.

Quid Deus spectauit in rebus condendis.

3 Dicet aliquis, cùm Deus sit finis cuius gratiâ ipsemet fecit omnia, quid commodi vel boni spectauit in rebus condendis & gubernandis, quod ipsi ab illis prouenire queat? Respondeo, Deo nihil commodi aut voluptatis posse accedere à rebus creatis, cùm ipse per se sit infinitè perfectus, & omni ex parte beatissimus, vt qui omne bonum in se eminentissimè possideat. Homo condit sibi domum, & eam supellectile instruit, vt inde commodum percipiat: parat hortos, flores, fontes, picturas, & similia sensuum oblectamenta, vt voluptatem & recreationem ex istis hauriat, quia sibi per se ad omnem commoditatem & oblectationem non sufficit. vnde externis istis adminiculis opus habet. Deus autem

cum

cùm per se sibi ad hæc omnia sufficientissimus sit, nihil tale in condendo mundo & rebus omnibus quę mundi ambitu continentur, spectare potuit. Sicut enim soli, ex eo quòd radij ipsius incidant in nubes longè infrà positas, & multiplicem solis speciem ac varios colores ibidem exhibeant, nihil accedit; ita nec Deo quidquam accedit ex specie, varietate, pulchritudine, & multitudine rerum creatarum, quæ infinito quodam interuallo infra ipsum sunt positæ, & veluti in nihilo ex radio diuinæ lucis suspensæ. Finis igitur quem Deus in creatione & gubernatione totius Vniuersi spectauit, debuit esse quid extrinsecum, quale est, habere filios similes sibi, participes gloriæ & beatitudinis diuinæ. Hoc fuit obiectum primæ volitionis liberæ & primæ intentionis quam Deus ex omni æternitate concepit, ex qua reliquæ omnes volitiones liberæ nostro modo concipiendi sunt secutæ.

Deoex rebus creatis nihil commodi accedit, sicut nec soli ex rebus quæ radio ipsius illustrantur.

4 Itaque integer finis constans ex *fine cui* & *fine qui*, seu ex persona cui bonum appetitur, & bono quod appetitur, est, Deum habere filios sibi similes, gloriæ & beatitudinis diuinæ participes. Ad hunc finem diriguntur omnia quæ ipse operatur in creaturis vsque ad consummationem sæculi. Est huius rei aliqua adumbratio in causis rebus naturalibus, præsertim animalibus & plantis, quæ cùm perfectionem assecutæ fuerint, generant sibi simile, & perfectionem quam habent, in alios transfundere per communicationem conantur. Maior & expressior est in sole, qui abundantia lucis suæ, cùm in se sit perfectissimus, diffundit lumen, quod est imago lucis, in lunam & alia omnia, eaque lucida & sibi similia reddit pro capacitate cuiusque, non sui commodi causa, sed vt alia inde commodum accipiant. Boni enim, & maximè perfecti boni, est se diffundere, & aliis quantum fas est communicare; nempe vel per se, conferendo eandem speciem vel numero naturam, vel per sui quamdam imaginem & æmitationem: vt fusè & præclarè tradit Dionysius lib. De diuinis nominibus cap. 4. parte 1.

Integer finis quem Deus spectauit.

Boni proprietas est se diffundere.

5 Simili modo Deus, cùm sit bonum omnino infinitum & infinitè perfectum, naturâ suâ propendet ad sui communionem; idque duplici modo, naturali & libero. Naturalis communicatio cùm sit omnino necessaria, est æterna, per quam Pater Filio, & Pater ac Filius Spiritui sancto communicat totam suam essentiam, potentiam, sapientiam, bonitatem, beatitudinem. Illa fit productione Verbi per intellectum, hæc productione Amoris per voluntatem. vtraque est ita plena & perfecta, vt per eam totum bonum

Duplici modo Deus se communicat: naturaliter, & liberè.

Cõmunicatio naturalis est æterna & plena totius boni.

num quod communicatur, tam perfectè possideatur, quàm sit in eo à quo communicatur.

Libera communicatio est duplex, per vnionem hypostaticam, & per dona creata.

Præter hanc naturalem & æternam, est alia libera & temporalis. 6
Hæc duplex est: altera fit per vnionem hypostaticam, altera per dona gratiæ & gloriæ. loquor enim de communicatione supernaturali, qua se communicat naturæ intelligenti. Ad illam Deus ex se non propendet, cùm quamdam Diuinitatis humiliationem contineat; sed solùm ratione miseriæ nostræ ad illam benignè se inclinauit, vt nos ab æterna morte liberaret, iustitiæ diuinæ pro nobis in nostra natura satisfactione exhibita. Ad hanc verò Deus ex se propendet, nempe ex sola bonitate sua, sepositio omni merito, & omni necessitate creaturæ. Inchoatur hæc communicatio in hac vita per dona gratiæ, maximè per fidem, spem, charitatem: quibus virtutibus non solùm efficimur Deo similes, sed etiam Deus nobis vnitur: perficitur verò in altera per dona gloriæ, nempe per lumen gloriæ, visionem Diuinitatis, amorem beatificum & gaudium beatificum; per hæc enim assequimur summam cum Deo similitudinem, qua maior nulla est possibilis, & efficimur perfectè filij Dei, & Deiformes, instar Diuinitatis fulgentes, & sanctissimæ Trinitatis imaginem excellentissimam in nobis præferentes: nam per lumen gloriæ efficimur similes Patri; per visionem diuinæ essentiæ & diuinarum personarum, Filio; per amorem, Spiritui sancto; per gaudium sumus Deo similes in beatitudine, & completur participatio diuinæ beatitudinis in nobis. Verùm de his alibi plura.

Lib 1. De summo bono cap. 15. & 16.

Obiectio.

Dices: Id quod Deus vltimò spectat in conditione & gubernatione rerum, est sua gloria; omnia enim facit propter suam gloriam: ergo non est, habere filios sibi similes, & gloriæ suæ participes. 7

Responsio.

Respondeo, negando consequentiam: Quia in hoc ipso consistit gloria Dei quam ipse intendit in omnibus suis actionibus externis. Quod vt intelligatur, notandum, gloriam dupliciter accipi: Primò, pro quauis excellentia interna vel externa, ratione cuius dignus est quis cognosci, laudari, æstimari, honorari, amari. Secundò, pro ipso cognosci, amari, laudari, esse in admiratione, veneratione, &c. hoc enim proprie & formaliter *gloria* dicitur, quæ definiri solet *clara cum laude notitia: notitia* inquam, quæ habetur de excellentia alicuius. Itaque duplex est Dei gloria, interna, & externa. Interna rursum duplex est; obiectiua, & formalis. *Obiectiua* gloria Deo intrinseca est ipsa Diuinitas, seu splendor & excel-

Gloria accipitur dupliciter: obiectiuè, & formaliter.

Gloria obiectiua intrinseca Deo.

excellentia Diuinitatis, & Personarum diuinarum : ob hanc enim dignissimus est qui ab omnibus cognoscatur, ametur, laudetur, &c. sic passim in Scripturis excellentia Diuinitatis, & omnia huius excellentiæ signa dicuntur gloria Dei. Formalis gloria Deo intrinseca est cognitio, amor, & gaudium Dei de seipso : siue quòd ipse à seipso infinitè & adæquatè cognoscatur, ametur, & cum infinito gaudio ac suauitate gustetur. Infinitè enim maior est gloria Dei, quòd ipsius bonitas & perfectio à se cognoscatur, ametur, æstimetur, quàm si amaretur & laudaretur ab infinitis Angelis & hominibus. In istis duobus sita est gloria Dei intrinseca, quam ipse ab æterno plenissimè possedit, vnde ad hanc acquirendam vel augendam mundum non creauit, sed propter aliam quandam, quæ ipsi extrinseca est : quæ etiam duplex est. Altera enim est obiectiua, & consistit in excellentia & pulchritudine rerum creatarum, sed maximè filiorum Dei, vt sunt omnes Beati. Sicut enim gloria Principis sæcularis dicitur consistere potissimùm in splendore & multitudine aulicorum : ita externa gloria Dei obiectiua consistit potissimùm in splendore & multitudine aulicorum cœlestium, secundariò in aliis rebus creatis. Altera est gloria formalis, quæ sita est in Dei visione, amore, gaudio, & actibus hinc sequentibus : nimirum quatenus ipse à Beatis cognoscitur, amatur, gustatur, laudatur & benedicitur in omnem æternitatem. in hac re completur tota gloria Dei externa, & ad illam tota rerum creatarum species & pulchritudo ordinatur.

Omnia excellentia signa vocantur gloria in Scripturis.

Gloria formalis intrinseca Deo.

Gloria Dei externa obiectiua.

Gloria formalis externa Deo.

8 Ex quibus patet, hæc duo non repugnare, finem, quem Deus vltimò spectat in omnibus operibus externis, esse suam gloriam; & finem quem spectat, esse habere filios suæ gloriæ participes : nam ipsa gloria Dei obiectiua extrinseca potissimùm consistit in his filiis, cùm in illis tamquam in imagine perfectissimè reluceant, & repræsententur omnes diuinæ perfectiones, multò magis quàm in vlla alia re creata, nempe ipsius potentia, sapientia, bonitas, pulchritudo, dulcedo, maiestas. Deinde etiam gloria formalis in iisdem sita erit, vel ab illis prouenit : gloria enim Dei formalis est excellentiam diuinã videri, amari, gustari. Atqui filij Dei per Dei visionem, amorem & gaudium formaliter perficiuntur & complentur in filiatione & similitudine diuina : iusti enim etsi in hac vita dicantur *filij Dei*, sunt tamen adhuc imperfectè filij, valdè remoti à similitudine sui Patris, & perfecta Diuinitatis participatione; per visionem, amorem & gaudium beatificum omnino complentur

Ioan. 1. Rom. 8. 1. Ioan. 3.

in ratione filiorum, & fiunt similes Deo, supremo & excellentissimo modo. Eadem ergo hæc sunt, Deum habere filios gloriæ suæ participes, & Deum videri, amari, gustari, laudari à Beatis: per eosdem enim actus vtrumque præstatur.

Ex his perspicuum est, Primò, Quo modo Deus sit finis vltimus, cuius gratia omnia. Secundò, Quis sit *finis qui*, quem ipse sibi intendit acquirere, seu quod sit illud bonum, quod ipse in operibus suis spectauit. Tertiò, In quo consistat gloria Dei propter quam ipse omnia operatur.

Obiectio.

Dices: Deus in operibus suis non intendit ex illis capere aliquod commodum vel oblectationem, eò quòd ipse sibi plenissimè ad omnem commoditatem & oblectationem sufficiat, vt ostensum est: ergo neque etiam ex illis intendit accipere gloriam, cùm ipse sibi ad omnem gloriam sufficiens sit, siue de gloria obiectiua, siue formali loquamur. Respondeo, negando consequentiam: alia enim est ratio gloriæ, laudis, honoris; alia voluptatis & commodi. Voluptas enim, gaudium, & sensus commoditatis, sunt bona intrinseca, vt per se patet: bona autem intrinseca cùm in Deo sint infinitè perfecta, crescere nullo modo possunt, nec vlla per res extrinsecas potest fieri illis additio. Ita enim Deus gaudet & delectatur bonis suis intrinsecis, seu seipso, vt nulla per infinita bona extrinseca possit huic gaudio fieri accessio. Dicitur quidem gaudere & delectari bonis nostris, quando vel à peccatis conuertimur ad ipsum, vel sanctè viuimus, & illum honoramus; verùm hoc gaudium non auget gaudium quo gaudet de seipso, cùm nihil reale illi apponat: sicut nec visio qua videt res omnes creatas, aliquid reale aut aliquid perfectionis addit simplici intelligentiæ. Sicut enim simplex intelligentia possibilium & visio existentium, hoc ipso quo res existunt, absque vlla perfectionis accessione ad cognitionem diuinam: ita gaudium, quo ipse æterno gaudet de seipso suaque omnipotentia & sapientia, & de omnibus rebus possibilibus quas videt in illa contineri, extenditur ad res creatas, & bona opera quæ reipsa in tempore fiunt, ita vt dicatur de illis gaudere absque vlla accessione alicuius perfectionis. Itaque in rerum creatione & gubernatione non potuit intendere augmentum gaudij, delectationis, vtilitatis vel commoditatis propriæ.

Cur Deus intendit gloriam, non alia bona.

Voluptas, gaudium, commodum, sunt bona intrinseca, quæ in Deo augeri non possunt

9

10

Gloria potest esse extrinsecum bonum.

Gloria verò per se non necessariò est bonum intrinsecum: omnis enim gloria Regum & Principum, quam tantopere mortales æstimant & suspiciunt, consistit fere in rebus externis, in splendore

11

auli-

aulicorum, magnificentia palatiorum, potentia militari, & similibus. Vnde etiamsi gloriæ diuinæ non possit fieri aliqua intrinseca accessio, potest tamen fieri accessio extrinseca per realem additionem earum rerum in quibus gloria alicuius dicitur consistere. quò enim sunt plures filij Dei à quibus cognoscitur, amatur, laudatur; eò gloria Dei est maior: & hoc modo gloria Dei potest crescere. Itaque hanc gloriam Deus spectauit, & intendit sibi acquirere per omnes suas operationes extrinsecas.

Gloria Dei potest fieri vera accessio extrinseca.

12 Nec refert quòd gloria intrinseca quam ab æterno habuit, ipsi abundè satis erat: quia gloriam externam non petiit, quasi interna non sufficeret, sed quia id dignitati & excellentiæ diuinæ maiestatis congruebat. Cùm enim essentia diuina sit infinitæ perfectionis & maiestatis, etiam infinitè digna erat quæ à creaturis cognosceretur, amaretur, & gustaretur. Vnde omnino conueniens erat, vt aliquæ creaturæ conderentur à quibus hoc præstaretur. Hoc enim dignitati & maiestati diuinæ quodammodò erat debitum. Etsi enim Deus plenissimè suam essentiam videat, amet, & infinito gaudio eius dulcedinem gustet, hoc tamen non facit quin adhuc infinitè digna maneat vt ab infinitis creaturis cognoscatur, ametur, gustetur, & laudetur, & vt in ipsis resplendeat, & specimen sui exhibeat. Sicut quia sol in se lucidissimus & pulcherrimus est, etiam dignissimus est vt in plurimis speculis toto orbe resplendeat, vt hoc modo eius pulchritudo quodammodò multiplicetur. Quare cùm essentia diuina sit infinitæ pulchritudinis, licet perfectissimè & planissimè in mente diuina splenderet, eamque infinitè beatam efficeret, tamen dignissima erat vt etiam in mentibus creatis refulgeret, vt sic tantum bonum quodammodò multiplicaretur, quod alioquin in se vnicum & indiuisibile erat, nec multiplicari poterat. Obiectum enim intelligibile per intellectionem accipit quoddam esse, per quod existit in intellectu, & quodammodò multiplicatur secundum multitudinem intellectuum & intellectionum, & splendet in intellectu, sicut sensibile obiectum in speculo.

CAPVT II.

Vtrùm prima illa intentio, qua Deus ante omnem futurorum præuisionem statuit homines & Angelos facere participes gloriæ suæ, fuerit absoluta circa singulos in particulari, & circa mensuram gloriæ cuiusque.

HVIVS rei cognitio dignissima est Theologo, & vtilissima ad incitandum cursum vitæ spiritualis, & diligentiam in ea excitandam, præterquam quòd animo maximam adferat consolationem. Itaque breuiter aliquid de ea dicendum nonnullis considerationibus adhibitis, quibus veritas declaretur; omnibus tamen quæ de auxiliis diuinis, quibus ad finem Deo propositum perducimur, dici possent, omissis. 13

Sententia quorumdam recentiorum.

Duæ sunt hac de re celebriores sententiæ. Prior est, primam illam intentionem fuisse absolutam circa singulos saluandos & mensuram gloriæ cuiusque: Deum enim primo suo decreto statuisse condere cælestem Ierusalem, seu ciuitatem Beatorum, in certa mensura & proportione partium, & simul elegisse omnes lapides, & singulorum lapidum magnitudinem, formam, locum & ordinem in illo ædificio; ita vt primaria intentio Dei sit mensura & proportio totius operis. Vnde iuxta hanc sententiam, in primo illo rationis signo ante omnem futurorum præuisionem & absoluto decreto simul electus est certus numerus Angelorum, & certus numerus hominum, qui mensuræ principaliter intentæ congruebat, & cuique statuta certa mensura gloriæ, vt ex omnibus exurgat pulchritudo proportionis, quam Deus primariò intendit. Vt autem isti electi reddantur aliquo modo digni gloria sibi decreta; in secundo rationis signo Deus statuit singulis dare eorum meritorum mensuram, quæ mensuræ gloriæ singulis præordinatæ respondeat, prædefiniendo in particulari omnia opera bona, magna & parua, (præsertim quæ non supponunt peccatum,) quibus ad hanc mensuram perueniatur, & simul decernendo gratiam efficacem qua illa faciant. Hæc duo instantia, seu signa rationis, dicunt pertinere ad ordinem intentionis. Vt autem Deus hæc quæ sic statuit, mandet executioni, vtitur miris prouidentiæ modis, qui non sunt decreti nisi post præuisum peccatum, ex variis occasionibus toto temporis decursu occurrentibus.

Quod

14 Quod verò ad totam reliquam multitudinem hominum & Angelorum attinet, qui numero electorũ non sunt comprehensi, dicunt, Deum in primo & secundo illo signo se erga illos habuisse negatiuè, nolendo illos sic eligere, nec opera bona gratiamque efficacem vsque in finem pro illis præparare, & in hac nolitione consistere eorum reprobationem: vnde volunt eos omnes negatiuè reprobatos ante omnem futurorum præuisionem, etiam ante præuisionem peccati Angelorum vel primorum parentum. Addunt tamen, Deum voluisse omnes istos saluos fieri, non absolutè, sed sub conditione, si perseuerent in iustitia vsque in finem, vel si in statu gratiæ decederent: & in hunc finem præparasse illis gratiam sufficientem, non tamen efficacem saltem in fine, quando de summa rei agitur.

15 Hæc sententia mihi semper visa est à veritate & doctrina S. Scripturæ & sanctorum Patrum aliena, nec pietati & moribus satis consona: vnde à plerisque hoc tempore etiam in illis locis vbi anteà vigebat, eam reiici intelligo. Verùm quia adhuc multi eam amplectuntur, proponam aliquot faciles considerationes, ex quibus veritas possit cognosci, & animis ex altera perturbatis subueniri. Primò igitur considerandum est, Deum sincero affectu *cupere omnes homines saluos fieri*, & maximè *omnes fideles* Christi corpori per Baptismum insitos; idcircò *ipsum mortuum esse pro omnibus*, & non pro solis prædestinatis, vt hæretici docent. At quomodo hæc vera esse possunt, si ipse ex se tam paucos ad salutem elegit? quomodo sincero affectu potest desiderare salutem eorum, quos ex se noluit numero electorum comprehendere? quomodo desiderat sincero affectu eorum salutem, quibus nec perseuerantiam, nec vllam gratiam efficacem pro eo momento in quo cardo salutis vertitur, præparauit, sed solum inefficacem & inutilem, per quam ex tam infinita multitudine nemo saluatur? Nec eorum culpa accidit quod Deus hæc illis denegarit, quia ante omnem præuisionem peccati denegata fuerit. Quomodo potest ex se desiderare salutem eorum qui ab illa electione excluſi? ex quibus si vel vnus saluus fieret, sequerentur grauissima incommoda contra intentionem Dei: Primò, In numerum electorum iret præter aliquis non electus. Secundò, Non electus saluaretur. Tertiò, Euerteretur planè mensura supernæ ciuitatis primariò à Deo intenta: hæc enim mensura consistit in certo & determinato numero electorum, & in determinata mensura gloriæ cuique decretæ: ex quibus exurgit pro-

1. Tim. 2, 4.
1. Tim. 4, 10
1. Tim. 2, 6.

portio & pulchritudo à Deo primariò intenta. Perspicuum autem est, si vel vnus non electus intraret in hanc ciuitatem, mensuram illam euertendam. Vnde vlteriùs perspicuè sequi videtur, Deum 16
non solùm non posse desiderare illorum salutem, sed etiam ad eius
Ad prouidentiam opificis pertinet curare vt mensura constituta non excedatur.
prouidentiam pertinere vt omnia sic disponat, vt nemo ex istis non electis saluetur: quia ad prouidentiam cuiuscunque opificis, qui in suo opere certam mensuram constituit, pertinet curare ne quid eueniat quo proportio pereat, aut mensura ab ipso in opere designata euertatur. Declaratur exemplo. Architectus constituit exstruere magnificum palatium, concepta primùm eius forma & magnitudine, & partibus omnibus partiumque mensuris; & simul seligit ex innumeris saxis certum numerum, signatque singula, & formam locumque singulorum designat. Ad prouidentiam huius architecti pertinet non solùm curare vt omnia saxa signata aptentur, & suis locis collocentur, sed etiam ne alia non designata, quibus proportio concepta euerteretur, in structuram intrent. Idem ostenditur exemplo conuiuij nuptialis. Constituit sponsus habere centum conuiuas in suis nuptiis, instructa ad hoc mensa accommoda, & dispositis centum orbibus & sedilibus; & designatis animo centum personis quæ mensam & loca impleant. His ita animo designatis & firmiter constitutis, non solùm ad prouidentiá sponsi pertinet curare vt designati veniant, & sedes sibi decretas occupent; sed etiam ne plures veniant, & in conuiuium irrepant: quia pluribus locus paratus non est, & proportio principaliter intenta periret. Simili modo cùm Deus in fabrica cælestis palatij (quod ex hominibus & Angelis tamquam viuis lapidibus constare debet) ex se constituerit mensuram totius pulchritudinis, & singularum eius partium, & omnes lapides in particulari delegerit, eorumque mensuram & locum determinauerit; ad eius prouidentiam pertinet curare non solùm vt singuli lapides electi suis locis aptè ponantur, sed etiam ne alij non designati addantur; quia proportionem ædificij aptè conceptam euerterent. Item ad curam cælestis sponsi spectabit, curare ne plures veniant quàm qui initio designati, quorum numerus exactè mensam & mensuram conuiuij impleat.

Ne maiorem gloriam mereantur.
Neque solùm ad ipsius prouidentiam pertinebit cauere ne ali- 17
quis non electus irrepat; sed etiam ne quis electorum maiorem gloriam mereatur, aut maiora merita habeat, quàm ipse ab initio ex se illis decreuit. Quicumque enim artifex in suo opere, vel etiam in partibus operis certam mensuram ex se constituit, ad eius

curam

curam pertinet prouidere non solùm vt singula mensuram sibi constitutam attingant, sed etiam ne illam excedant: vtroque enim modo mensura constituta euerteretur. Quare si Deus ex se ante omnem præuisionem peccati, singulis electis constituit certam gloriæ, gratiæ, & meritorũ mensuram; ad ipsius prouidentiam pertinebit procurare non solùm vt mensuram præfinitam attingant, sed etiam ne eam excedant. Confirmatur: Quia auctores illius sententiæ fatentur, neminem eam mensuram, quam Deus singulis ex se constituit, vmquam excedere. At quomodo id fieri potest sine peculiari Dei ad hoc inuigilantis prouidentia? quomodo in tot electorum myriadibus omnes attingunt mensuram constitutam, & nemo vel minimùm illam excedit; nisi id peculiari Dei prouidentia procuretur? Hæc omnia videntur adeò perspicua, vt contrarium vix animo concipi queat, supposita illa sententia, si res attentè consideretur.

18 Secundò considerandum, Deum in Scripturis *omnes vocare ad salutem, omnes iustos hortari ad perseuerantiam, & ad assiduum in iustitia profectum, omnibus perseuerantibus promittere vitam æternam, omnibus non perseuerantibus, & omnibus peccatoribus minari damnationem,* & in his ferè consumi totam Scripturam: huc enim cetera omnia referuntur. At posita illa sententia, non videtur hæc seriò & ex animo facere, sed solùm in speciem, vt videatur in non electos benignus, & in electos iustus ac seuerus. Quomodo enim seriò potest vocare & promittere salutem ijs, quos ipse nouit se numero electorum excluisse, non illorum merito, sed suo arbitrio? Sicut enim is qui centum designauit conuiuas quibus mensa impleatur, si totam ciuitatem vocaret ad conuiuium, & vrgeret singulos vt venirent, adhibitis etiam minis & promissis; vel sibi putaretur esse contrarius, vel simulatoriè agere & illudere hominibus: ita Deus si certum numerum ex se designauit & elegit quibus cælestis conuiuium impleatur, non videbitur seriò vocare & vrgere alios quos nouit illo numero non comprehensos. Si enim venirent & obtemperarent vocationi, sequerentur illa incommoda quæ suprà diximus: saluarentur enim non electi, & proportio principaliter intenta disturbaretur. Simili modo non videtur tales seriò posse hortari ad perseuerantiam: quia optimè nouit se illis in primo illo decreto perseuerantiam non præparasse, sed solùm gratiam inefficacem pro extremo salutis articulo: & simul nouit, eos quibus ipse eam ex se non præparauit, numquam perseuerantiam habituros.

Mat. 11, 28. & c. 24, 13. Apoc. 22, 11. Ezech. 18. per totum. Apoc. 21, 8.

Non videtur seriò vocare & hortari reprobos

Idem

Idem dico de quouis bono opere: si enim ipse illud opus ex se illis non prædefiniuit, numquam illud facient. Nouit autem ipse, se illud non prædefiniuisse: quomodo ergo seriò ad hoc hortari, aut illud præcipere potest? Quomodo præcipere potest vt faciamus opera bona quæ ipse noluit prædefinire, & ad quæ gratiam efficacem noluit dare; cùm sciat numquam aliquid boni futurum, nisi ipse id prædefinierit, & gratiam efficacem ad id dederit?

Non videbitur seriò minari electis.

Rursus non videtur seriò posse suis electis minari damnationem, 19
cùm absolutè statuerit vt sint salui. Quomodo potest dicere, *Nisi seruaueritis mea præcepta, vos reijciam*; cùm ipse absoluto decreto statuerit efficere vt seruent præcepta, & sciat illam conditionem poni non posse? Ex vi enim decreti diuini fit, vt omnino sit impossibilis illa conditio, sub qua damnationem minatur. Itaque minatur rem impossibilem sub conditione impossibili. Nec refert quòd possibile illis sit non seruare præcepta, considerata intrinseca dispositione voluntatis: quia cùm tali dispositione & libertate potest stare impossibilitas absoluta, sicut patet in Christo; qui etsi spectata interna dispositione voluntatis, (secluso visione beatifica) posset non seruare præcepta diuina; absolutè tamen id ei erat impossibile, propter assistentiam diuinam debitam illi animæ ratione vnionis hypostaticæ. At similis assistentia debita est electis ratione absoluti decreti diuini, respectu omnium operum bonorum quæ ipsis sunt decreta, & respectu perseuerantiæ. Sicut ergo Deus non poterat seriò minari animæ Christi damnationem sub conditione, si non seruaret præcepta; quia conditio illa absolutè seu omnibus consideratis erat impossibilis, eò quòd Deus quodammodò tenebatur illam impedire: ita etiam tales minæ non erunt seriæ erga electos, quia impossibilis est conditio, cùm Deus ex vi sui decreti teneatur illam impedire.

Non rectè hæc solui exemplo præscientiæ.

Quidam putant, se hæc omnia posse soluere exemplo præscien- 20
tiæ: Deus enim certissimè præscit qui sunt damnandi, & tamen eos vocat ad salutem, & promittit vitam æternam; idque non simulatoriè, sed seriò & ex animo, desiderans vt salui fiant: & tamen idcircò non cupit aliquid fieri contra suam præscientiam. Ergo similiter etiamsi eos non elegerit, & sciat eos non saluandos, potest eos seriò vocare cum sincero salutis eorum desiderio: nec idcirco cupit aliquid fieri contra primum suum decretum.

Verùm falluntur, neque rem saltis introspiciunt: longè enim est alia ratio præscientiæ, alia electionis & decreti quo statuit illos

non

non eligere. Præscientia enim qua præscit hos damnandos, pendet obiectiuè ab eorum operibus malis, quæ ipsi liberè sunt facturi; estque ratione (etsi non tempore) illis operibus posterior, tamquam consequens ex illis. Ideò enim præscit illos malè victuros vsque in finem, quia ipsi id liberè facturi sunt, non contrà, vt passim sancti Patres docent. Decretum autem reprobationis negatiuæ, vel exclusionis è numero electorum, nullo modo pendet à libertate illorum, quia ante omnem præuisionem futurorum ita statutum est. Itaque etiamsi sciat illos non secuturos & damnandos, tamen potest eos seriò vocare, & promittere salutem, quia potest seriò desiderare eorum salutem, & dolere quòd damnentur. Vnde facit quidquid ad salutem eorum ex parte ipsius est necessarium. Neque idcircò cupit aliquid fieri contra suam præscientiam; sed cupit aliquid fieri, quod si fieret, non esset in illo ista præscientia: imò vellet, vt sic dicam, se non habere illam præscientiam, quatenus vellet non esse obiectum à quo illa præscientia suo modo pendet. Hoc autem dici non potest de illo decreto, quo illos è numero electorum exclusit, & negatiuè reprobauit: hoc enim cùm non pendeat vllo modo à libertate hominis, sed Deus ex se illud conceperit; dicere non possumus quòd Deus vellet non esse tale decretum. imò cùm illud ex se conceperit, debet velle illi conformia, & nolle ea quæ illi non sunt conformia. Conforme autem illi non est vt reprobi re ipsa saluentur, vt ostensum est: ergo non potest seriò illorum salutem desiderare, eosque seriò vocare, hortari, salutem promittere. Confirmatur: Quia nemo prudens potest seriò & ex animo desiderare, hortari, præcipere vt fiat id, quod, si re ipsa fiat, repugnabit operi anteà designato, vel decreto anteà concepto. Atqui si vel vnus non electus saluus fieret, accideret aliquid repugnans operi designato, & primis illis decretis, vt ostensum est. Nihil autem horum sequitur ex præscientia.

Præscientia pendet obiectiuè ab eorũ operibus liberis.

Iustin. q. 58. Origenes l. 7. in Ep. ad Roman. Hieron. in c. 26. Ierem. August. l. 5. De Ciuit. cap. 10. Cyrillus l. 9. in Ioannem cap. 3. Damascenus in tract. contra Manichæos.

21

22. Tertiò considerandum, Deum sæpè conqueri de peccatoribus, quòd cùm ipse faciat omnia quæ ad illorum salutẽ opportuna, & nullum boni pastoris & benignissimi patris officium prætermittat, illi tamen nolint obtemperare, nolint fructum bonorum operum ferre, nolint credere. Isaiæ 5. *Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei? an quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas?* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti!* Denique plena est sacra Scriptura huiusmodi querimoniis. at posita illa sen-

tentia, respondere possent Iudæi peccatores, Quomodo nos vocat vineam suam peculiariter dilectam & electam, quos è numero electorum exclusit & reprobauit non nostro merito, sed solo suo arbitrio? quomodo dicit se omnia nobis feciſſe, quæ conueniebat bonum cultorem facere, ita vt nihil vltrà meritò possit requiri, cùm non præparauerit nobis gratiam illam efficacem (sine qua omnis vinea rationalis est sterilis) idque solùm ideò, quia nouerat nos à se non electos? quomodo expectauit vuas bonorum operum, cùm illa opera non prædefinierit, nec gratiam efficacem ad illa præparauerit? quomodo potest conqueri, quòd illi quos ipse ex se reprobauit, (quibus nec bona opera, nec gratiam efficacem, sed solùm inefficacem decreuit,) bona opera non faciant, cùm ipse optimè sciat, nullum vnquam fieri bonum opus, nisi ipse illud efficaciter decreuit, & gratiam efficacem de industria ad hoc selegerit? Nec sufficit si dicas, Posse fieri: quia frustrà est potentia, quæ nullo vnquam tempore in nullo hominum reducatur ad actum. Omitto multa alia quæ hîc considerari possent.

Psalm. 144. Sap. 11, 24. 1. Tim. 2. & 4. Matth. 11, 28.

Quartò considerandum, ex Scripturis manifestè colligi, *Deum* 23
omnibus, præsertim fidelibus, dare auxilium verè sufficiens quo possint omnia mandata implere, & saluari. Posita hac sententia in non electis, quibus omnibus talem dat gratiam, vel eo modo & cum illis circumstantiis illam confert, vt nemo ex illis mandata seruet, aut perseueret, aut salutem consequatur, aut vllum opus bonum faciat, nisi ipse illud in particulari ex se prædefinierit: quo ratione illa gratia potest dici sufficiens, quæ eo modo datur vt nemo illa vtatur, nemini sit salutaris & fructifera? Nemo dixerit medicamentum ad curationem morbi esse verè sufficiens, quod innumeris mortalibus eo morbo laborantibus applicitum, eorum nemini quidquam solatij attulit. Pari ergo modo nec gratia illa vel auxilium poterit dici verè sufficiens, quæ eo modo datur vt nunquam effectum habeat: tali autem modo semper datur, nisi opus antè à Deo sit prædefinitum.

Vbi meritò quæri potest, quid causæ sit cur gratia numquam 24
habeat effectum, nisi Deus illum effectum anteà ex se prædefinierit? vnde id prouenit? Sanè non potest id prouenire nisi ex aliquo horum trium capitum, (nulla enim alia causa fingi potest) nimirum, vel ex eo quòd tunc detur gratia adeò tenuis, vt nemo cum illa operari commodè possit; vel quia datur adeò incongrua ingenio hominis, vt numquam ad ea vtendum voluntas se applicet;

cet; vel quia Deus de industria seligit eam, quam videt non habituram effectum, eamque dat quia effectum non prædefiniuit. Sicut enim quando effectum prædefiniuit, seligit eam quam scit fore efficacem: ita quando non prædefiniuit effectum seu opus bonum, si velit aliquam gratiam conferre, videtur debere seligere eam quam nouit carituram effectu. Nihil tamen horum secundùm sanam doctrinam dici potest. Non tertium, quia impium est dicere, Deum, eò quòd non prædefinierit opus, seligere homini gratiam inefficacem, ne videlicet opus à se non prædefinitum fiat; hoc enim esset sub specie misericordiæ insidiari hominum saluti. Vnde vt hoc euitent, dicunt, Deum non seligere pro reprobis gratias inefficaces, sicut pro electis efficaces; sed relinquere eos communi prouidentiæ, & secundùm ordinem communis prouidentiæ illis gratias conferre. Sed hoc etiam videtur incredibile: hinc enim sequeretur, hunc ordinem communis prouidentiæ talem esse, vt nemo vmquam per illum saluus fiat, aut bonum opus operetur. Quod si ita est, cur Deus illum instituit, cùm optimè sciret, neminem eorum qui illi ordini relinquuntur, saluandum? ad quid ille ordo seruit nisi ad maiorem hominum damnationem?

25 Non etiam primum vel secundum dici potest, quia sic tolleretur auxilium verè sufficiens, effectu carens, sed solùm efficax erit sufficiens. Gratia enim quæ adeò est tenuis, vel adeò incongrua hominum ingeniis, vt nemo vmquam ex tam infinita multitudine tantò tempore per illam sit benè operatus, nec operaturus; non potest moraliter censeri sufficiens ad bonum opus, spectata hominum conditione. Vt enim verè sit sufficiens, debet esse talis ac tanta, vt saltem aliqui illa aliquando vtantur, & faciant opus bonum: alioquin si ex se talis sit, aut tali modo & cum talibus circumstantiis detur, vt nemo illa vtatur, moraliter censebitur insufficiens. Vnde enim potest iudicari sufficiens, nisi aliquando effectum habuerit? Deinde si gratia illa adeò est tenuis vel incongrua, vt numquam habeat effectum, cur Deus illam instituit pro tam infinita hominum multitudine? cur homines per illam vocat?

26 Quintò considerandum, sententiam illam non videri satis consonam diuinæ bonitati, quæ sicut est omnium finis, ita se cupit omnibus communicare. Vnde non est illi consentaneum, vt in bonis quæ naturæ rationali ex se ante omnem præuisionem futurorum præparat, aliquos excipiat. Si ergo ex solo suo beneplacito

Non videri consonam diuinæ bonitati.

statuere voluisset absolutè de saluandis, non elegisset tam paucos, nec præparasset tam exiguos gloriæ gradus pro multis, nec tam imperfecta opera illis decreuisset: sed vel omnes, vel quam plurimos & maiores gloriæ gradus & opera perfectiora prædestinasset: quæ enim Deus ex se decernit, perfectissima sunt in suo genere. non cupit ipse vt tepidè operemur, vt exiguam bonorum operum aut gloriæ mensuram habeamus. Non ergo credibile est, illum istâ ex se sic absolutè statuisse.

Deus ex se non statuit aliquid quod animos possit offendere.

Deinde, non videtur credibile, Deum ita statuisse de omnibus 27
istis, sicut nemo sapiens, si res ipsius arbitrio committeretur, statuendum putaret; aut eo modo quo homines, si apprehenderent, offenderentur, & omnem sollicitudinem salutis deponerent. Quod enim Deus ex se statuit, adeò est consentaneum eius bonitati, vt neminem offendere queat. Confirmatur: Quia Deus ex se seu sola sua bonitate numquam aliquid statuit quod sit pernicioſum
Sap. 1. creaturæ, & ad ipsius tendat perditionem: *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* & alibi per Oseam di-
Oseæ 13. cit: *Perditio tua Israël,* (id est, tibi imputanda,) *tantummodò in me auxilium tuum.* atqui illa negatiua reprobatio, qua excluduntur à numero electorum, & eorum quibus præparatum est auxilium congruum, est pernicioſa creaturæ, & non tendit per se nisi ad eius exitium; quod non obscurè fatentur Auctores illius sententiæ, cùm dicunt, *illam non cadere sub Christi meritum, quia* (inquiunt) *Christus non venit animas perdere, sed saluare.* Itaque fatentur, *reprobare hoc modo* nihil ex parte rei esse aliud quàm non velle animas, sed perdere. Idem confirmat euentus, quia nemo sic reprobatus saluatur: imò infallibiliter ex ea sequitur damnatio; quia ex illa necessariò sequitur, vel potiùs in ea includitur denegatio perseuerantiæ, & omnis auxilij, quo nouit saluten. secuturam, si daretur.

Denique non est consentaneum diuinæ bonitati, vt ex se ita 28
statuat de hominibus & Angelis, vt melius sit illis non esse quàm esse; & vt creatio non censeatur loco beneficij, sed potiùs summi maleficij. Quòd enim melius sit non esse, quàm esse cum tali reprobatione, manifestum videtur; nec puto quemquam fore qui non præoptaret desinere esse, quàm sic esse, & expectare certissimam damnationem: quod enim de Iuda dictum est à Domino,
Matth. 26. *Bonum erat ei si non fuisset natus homo iste*; propter damnationem quam certò præuidebat, dictum est. Atqui eo ipso quo Deus aliquem in primo illo signo reprobat, certissimè nouit eum damnandum.

dum. De omnibus ergo illis rectè dici potest: Bonum erat vobis si Deus vos non creasset. Quid ergo beneficij confert illos sic creando; cùm melius illis sit non creari, sed relinqui in suo nihilo? quas gratias illi debent pro tali beneficio, quod melius esset non accepisse? quis non putet ingens malum, vnde nihil vmquam sequitur nisi æterna damnatio?

Nec obstat quòd etiam in nostra sententia omnibus reprobis melius esset non esse quàm sic esse, nempe cum ista reprobatione: quia istam reprobationem non habent primitus & originaliter à Deo, sed à seipsis suisque peccatis, quibus Deus quodammodò coactus est illos reprobare. Itaque sibi illud imputare debent, non Deo. At verò in aduersa sententia, reprobatio est originaliter à Deo ante omnem peccatorum præuisionem, ac proinde Deo hoc malum imputari videtur.

29 Dices: Deus constituit reprobos in certo ordine rerum, in quo certissimè nouit eos damnandos; & tamen non possunt idcircò conqueri de Deo, neque possunt id censere loco maleficij, sed beneficij; ergo neque quòd illos negatiuè reprobauerit. Respondeo, negando consequentiam. est enim longè dispar ratio. Primò, Quia Deus non constituit quemquam in tali ordine, eò quòd sit reprobus, vel non electus (cùm nemo sit reprobus ante præuisionem finis in peccato,) sed ob alias causas ad communem rationem prouidentiæ pertinentes. Secundò, Quia Deus non decernit ex se totum illum ordinem rerum (sicut decernit negatiuam reprobationem) sed posteriora propter priora; verbi gratia, subtractionem gratiæ propter præuisum peccatum, diminutionem auxiliorum propter reporem, & sic de ceteris in tota illa serie occurrentibus. qua in re nihil facit quod à summa bonitate possit videri alienum, cùm ratio iustitiæ id exigat. Secus est de illa prima reprobatione.

Ex his perspicuum videtur, si vera est illa sententia, exceptis paucis electis, reliquos omnes nullas debere gratias Deo de omnibus beneficiis ipsis collatis: quæ tantum malum est ista negatiua reprobatio, vt melius sit non esse, quàm cum illâ omnibus istis beneficiis abundare; cùm per illam omnia reddantur inutilia, nisi quatenus prodesse possunt ad minorem damnationem.

30 Sextò considerandum, illam sententiam non videri satis consonam iustitiæ diuinæ, neque satis in ea apparere quâ ratione Deus iustè iudicabit hunc mundum. Nam quod ad electos attinet, parum laudis vel præmij mereri videntur, quòd multa bona opera *Non videri consonam iustitiæ.*

fecerint, quòd perseuerantiam habuerint; cùm Deus ex nudo suo beneplacito, absque vllo respectu ad eorum cooperationem prequisam, absoluto decreto hæc omnia illis præparauerit, & dare constituerit, & ad singula gratiam efficacem selegerit. Quid mirum si facias opus quod Deus absoluto decreto prædefiniuit vt facias? quid laudis tibi debetur quòd facias opus, quod impossibile est te omittere? Quod verò ad non electos attinet, quomodo non habebunt excusationem? meritoque poterunt dicere: Domine, quid mirum si opera misericordiæ quæ memoras non fecimus? tu nullum istorum nobis præparasti, nullum prædefiniuisti. quis vnquam aliquid boni fecit, nisi tu ante ex nudo beneplacito tuo illud donare efficaciter decreueris? quomodo nos condemnas ob id quod non constituisti dare? Si dicat Iudex, Ego paratus eram dare, sed tua 31
culpa impediuisti nolendo cooperari gratiæ meæ; opponet reus, Quomodo paratus eras mihi dare, qui numquam dedisti alicui aliquid boni operis, nisi illud ante ex tuo beneplacito absolutè decreueris? mihi autem non decreuisti. Quomodo paratus dare, cùm nec opus ipsum prædefinieris, nec gratiam ad illud efficacem præparaueris, sed eam selegeris quam sciebas fore inefficacem? Cùm enim scires te opus non prædefiniuisse, cauisti ne dares gratiam efficacem, ac proinde si aliquam dare volebas, oportebat seligere inefficacem. Magnum enim esset incommodū, si aliquis non electus reipsa bona opera à te non prædefinita faceret, & in iustitia perseueraret, & in numerum electorum irreperet. Hæc & similia possent reprobi obmurmurare: nec facile est videre, qua ratione illis queat satisfieri, sic vt omnes intelligant eos iustè damnari. & tamen toti mundo luce clarior esse debet illius Iudicij iustitia.

Obmurmuratio reproborum.

Tollit zelum animarum.

Septimò considerandum, hanc sententiam maxima ex parte 32
videri tollere zelum animarum. Si enim omnes qui saluabuntur sunt electi absoluto decreto ante omnem prouisionem futurorum; ergo siue ego laborem in vinea Domini, siue non, omnes æquè salui fient, nemo ex illis peribit, nemo plus aut minus gloriæ obtinebit. Si enim ego non laborem, Deus exequetur sua decreta per alios. Cur sim sollicitus de eo quod ex vi decreti diuini certissimè est euenturum, etiamsi ego quiescam?

Dices: Magnum bonum est, & Deo gratissimum, vt qui absoluto decreto electi sunt ad salutem, per nos saluentur, seu vt diuinum decretum per nos executioni mandetur: & hoc sufficit vt in nobis zelum hunc excitemus. Sed reverà hoc non est quod in san- 33

ctis

ctis viris hunc zelum excitat; sed potiùs persuasio illa & spes, qua sperant suâ operâ aliquas animas saluandas, quæ alioquin perituræ erant; quæ persuasio & spes excludit illam electionem absolutam & reprobationem negatiuam. Si contrarium persuasum haberent, parum mouerentur, & mallent in suis cubiculis suauiter vacare rebus diuinis, quàm per exteras regiones inter barbaros & hæreticos tantis laboribus & periculis cum tanta mentis distractione & iactura diuinæ contemplationis currere, & procurare id quod æquè benè absque illorum labore erat futurum. Sed *charitas Dei vrget illos*, vt oues aliquas errantes alioquin perituras ipsi lucrentur, & vt multos ad maiorem perfectionem & gloriam promoueant, quàm sine eorum labore illi fuissent habituri. Hic planè videtur communis Sanctorum & Christianorum sensus. 2. Cor. 5.

34 Octauò considerandum, ex illa sententia plurimùm videri minui beneficium redemptionis, & gratitudinem quam Christo debent omnes electi ratione redemptionis & omnium gratiarum quas in vita accipiunt, & salutis æternæ quam obtinent: quia etiamsi Christus eos non redemisset, æquè benè illi erant saluandi, & in eadem sanctitatis & gloriæ mensura. Quod illi Auctores fatentur, & necessariò fateri debent, cùm ponant electionem omnium & singulorum factam ad certum sanctitatis & gloriæ gradum ante omnem præuisionem futurorum, & independenter ab hoc vel illo modo exequendi. Vnde etiam docent, Si Adam non peccasset, eosdem nihilominùs tunc saluandos, qui modò saluantur, non plures nec pauciores, nec in alio sanctitatis & gloriæ gradu: sed Deum tunc per alia media suam electionem fuisse executurum. Præuiso autem peccato Adami, omissis illis mediis, statuisse illam executioni mandare per Christum, ordinando illum nobis in Redemptorem per ipsius passionem & mortem. Quæ si vera sunt, iam Christus per suam passionem non erit causa cur aliqui non damnentur, neque etiam propriè erit causa cur saluentur: (nam etiamsi passus non fuisset, illi æquè ex vi diuini decreti saluandi erant, nec damnari poterant) sed solùm erit medium & instrumentum executionis decreti diuini, sicut dispensator Regius est instrumentum per quod distribuuntur munera ijs quibus Rex illa dare decreuerat: qui dispensator si deesset, non deesset alius per quem distribuerentur. Vnde vlteriùs sequitur, Christum nihil gratiæ, nihil sanctitatis, nihil gloriæ electis attulisse per omnes suos labores & passiones, quod etiam sine illo habituri non erant. Si ita est, sanè modi- *Plurimùm imminuit beneficium redemptionis.*

35 cum

cum erit (vt videtur) redemptionis beneficium, & parua ei debetur gratiarum actio. Totum enim bonum quod per illum nobis obuenit, iam nostrum erat in absoluto Dei decreto, & nobis omnino obuenire debebat, siue per Christum, siue alio modo. Non ergo aliter nostra sanctitas & nostra salus est beneficium Christi, quàm eleëmosyna à domino mihi constituta, & per famulum allata, est beneficium famuli, præsertim si famulus per multos labores & pericula eam attulisset. Quæ omnia videntur valdè aliena à communi sensu sanctorum Patrum, & Scripturæ sacræ. ita enim loquuntur de Redemptione Christi, ac si absque illa nemo saluus esse posset, sed omnes essent perituri ac damnandi: nec salus ex vi decreti diuini nobis aliunde esset prouentura. item, nos esse electos & prædestinatos ante mundi constitutionem ex Christi meritis, ac proinde non solùm executionem ad Christum referendã. Omitto alia quæ ex illo principio deduci possent; vt, nihil profuisse Apostolis ad maiorem sanctitatem & gloriam, quòd cum Christo versati, & ad munus Apostolicum delecti: omnes illos qui per ipsos conuersi sunt & saluati, non minus fuisse saluandos, etiamsi Apostoli illis non prædicassent: omnes Indos & Iapones qui per B. Xauerium salutem adepti sunt, non minus salutem acceperos fuisse, etsi ipse ad illos non nauigasset; & alia his similia.

Isaiæ 53. Act. 4. 12. Rom. 5. Heb. 2. Ephes. 1.

Omnes qui modo damnantur, fuisse damnandos etiã Adamo non peccante, & perseuerante statu innocentiæ.

Nonò considerandum, ex illa sententia non solùm deduci, omnes qui modò saluantur, fuisse etiam saluandos, si Adam non peccasset, & Christus non esset passus: sed etiam omnes qui modò damnantur fuisse in illo statu rerum damnandos. Ratio est, Quia sicut illi electi ante omnem futurorum præuisionem, ita hi in eodem rationis signo negatiuè reprobati. Vnde eorum reprobatio nullo modo pendebat à præuisione peccati Adami, aut alterius cuiusquam, aut etiam à præuisione peccati proprij futuri, vt ipsi fatentur: ac proinde, etiamsi Adam non peccasset, illi mansissent reprobati, & consequenter etiam in statu innocentiæ perirë debuissent. quod quo modo dici possit, non video. Rursus, omnes homines tam reprobi quàm electi (sed præcipuè electi) in statu innocentiæ debuissent nasci ex eodem semine ex quo modò nascuntur, & ali ijsdem cibis quibus modò aluntur: quia non solùm animæ, sed etiam corpora in primo illo signo prædefinita; ac proinde ex eadem prorsus materia ex qua modò constant, in illo statu constare debuissent. Hoc autem fieri non poterat, nisi eodem semine & sanguine conciperentur, & ijsdem postea alimentis vterentur, vel saltem

Debuissent nasci ex eodẽ semine, & ali ijsdem cibis in statu innocentiæ, quibus modò.

tem ijs qui eadem constarent materia. Quæ omnia sine specialissima & maximè extraordinaria prouidentia & procuratione Dei fieri non potuissent; quæ sine solido fundaméto non est asserenda.

37 Decimò considerandum, illum modum electionis videri tollere omnem sollicitudinem bonorum operum & salutis sibi procurandæ. Quisque enim apud se ita ratiocinari poterit? Vel sum de numero illorum electorum, vel non sum. Si sum de isto numero, impossibile est vt damner; nam diuinum decretum est absolutum & efficax, cuius effectum nemo impedire potest. Etsi enim possim damnari spectata intrinseca liberi arbitrij dispositione & mutabilitate; tamen vt subsum illi decreto, absolutè non possum. Non est ergo quòd metuam damnationem, suppositâ ista electione. Vt autem illa electio ponatur aut non ponatur, non pendet vllo modo ex meis operibus, vel mea sollicitudine, quia ante omnem præuisionem futurorũ ex sola Dei voluntate posita est vel non posita.

Tollit sollicitudinem bonorũ operum & salutis.

38 Simili modo non est quòd sim sollicitus de bonis operibus vel perseuerentia; quia si sum ex illis electis, hæc omnia in particulari mihi sunt decreta & præparata absoluto decreto, verbi gratia, vt tali momento habeam tale opus, & illo tale, & sic de ceteris in particulari; & vt singula sic fiant, decreta est pro illis momentis gratia efficax, quæ infallibiliter me faciet singula operari sicut sunt decreta. Impossibile enim est vt Deus non impleat decreta sua, quæ absolutè & efficaciter statuit. cur ergo sim sollicitus? sit potiùs (vt humano more loquar) sollicitus ille vt decreta ipsius impleantur. Pari ratione non est cùr sim sollicitus de profectu, quia certa mensura gloriæ & meritorum iam est præfinita ex solo Deo beneplacito, quam ego numquam per meam sollicitudinem excedam. Sanè non video qua ratione efficaciùs omnis sollicitudo benè viuendi ab animis hominum abstergi queat.

39 Si dicas, Deus decreuit vt sis sollicitus; respondebit ille: Si hoc decreuit, excitabit me, & faciet vt sim sollicitus, & vt fiat omne id quod decreuit: quid ergo opus est vt ego me ad sollicitudinem excitem? siue enim ego me excitem, siue non excitem, semper fiet id quod ipse absolutè ante omnem meam excitationem præuisam præordinauit: quia ipsius prædefinitio est efficax, nec pendet à præuisione meæ liberæ excitationis. Idem dicetur de impletione mandatorum, & omnibus ad salutem necessariis.

Si verò non sum ex illis electis, frustrà etiam sum sollicitus, frustrà præcepta seruo, frustrà consilia Christi & viam perfectionis sector;

quia certissimus sum, hæc omnia nihil mihi reipsa profutura ad salutem: non enim per ista possum intrare in numerum illorum electorum, extra quem nemo saluatur. Confirmatur: Quia etiamsi diu benè vixero, tandem occurret aliqua tentatio in qua denegabitur mihi gratia congrua, & sic cadam in peccatum, & damnabor. Quòd si ex illis negatiuè reprobatis reipsa mille vel duo millia extraordinariâ quadam diligentiâ essent saluanda, quisque posset adhuc aliquam spem concipere, & conari vt saltem sit in isto numero. Sed cùm certissimum sit (in hac sententia) neminem omnino ex illis saluandum, non video quid eos ad sollicitudinem excitare queat.

Nec refert, si dicas illos negatiuè reprobatos posse saluari: quid enim prodest potentia quæ ex modo quo homini confertur, & circumstantiis talis est vt semper sit separata ab actu? Longè satius esset tali potentia carere, quia cedit in maiorem damnationem. Deinde, non sola impotentia intrinseca tollit conatum, sed etiam certitudo frustrationis effectus. Cur enim quis conetur & sollicitus sit, si certus est tandem aliquo casu se frustrandum fine intento? 40

Dices: Nescimus in hac vita qui sint electi, qui reprobi, & ideirco semper debemus esse solliciti vt benè operemur. Verùm hoc rectè in nostra sententia dicitur, iuxta quam ipsa electio & reprobatio pendet quodammodò ab operibus nostris: quæ consideratio meritò summam sollicitudinem in nobis excitare debet. Non autem in sententia aduersa, quæ electionem & reprobationem statuit iam factam independenter ab omnibus operibus nostris: deinde non solùm salutem, sed etiam omnia opera bona quæ vmquam fient, in particulari statuit prædefinita ante præuisam nostram cooperationem; & similiter gratiam congruam ad singula. Cur sim sollicitus de eo, quod sic absolutè cum tali auxilio præuio est præordinatum? Imò viderer potiùs diffidere de diuina prouidentia, si sollicitus essem: sicut si essem sollicitus vt Sacramenta habeant suum effectum quando debito modo celebrantur & suscipiuntur, essem iniurius in Deum, quia diffiderem ipsius prouidentiæ, quasi effectus quem ipse absolutè statuit & prædefiniuit, possit non sequi. Ergo simili modo, si ipse absolutè prædefiniuit omnia bona opera in particulari quæ fient in mundo, & gratiam congruam ad illa selegit, iniurius videbor in Deum, & diffidens ipsius prouidentiæ, si sim sollicitus, vt vel ipse multa bona opera faciam, vel ab hominibus fiant.

Si essem sollicitus, viderer diffidere de diuino decreto.

Vnde-

41 Vndecimò considerandum, sententiam illam non videri multùm differre à sententia aduersariorum, qui statuunt, Deum ante præuisa omnia opera alios elegisse ad regnum, alios destinasse ad exitium, seu positiuè reprobasse: quæ sententia ita offendit animos multorum, vt Ordines Hollandiæ illam edicto prohibuerint. Etsi enim speculatiuè sit discrimen inter has sententias, quòd illa seruet libertatem intrinsecam, quæ in intrinseca dispositione voluntatis consistit, illa non seruet; tamen in ordine ad mores & ad æstimationem moralem hominum, parum videtur differre: nam ad omnem sollicitudinem tollendam parum interest siue dicamur positiuè reprobati, siue negatiuè, si æquè infallibiliter ex tali decreto sequitur damnatio. Similiter ad eumdem effectum parum refert, siue electio dicatur adferre bonorum operum necessitatem intrinsecam, siue extrinsecam, cùm omnia æquè certò ex vi illius electionis eueniant. Idem patet si agatur de desperatione: non enim minùs ad desperationem impellit reprobatio negatiua quàm positiua.

Non videtur differre à sententia aduersariorum, si practicè consideretur. Calvinus l. 3. cap. 23. § 1. 4. 6. 7. Zvvinglius, Beza, & alij.

42 Dices: Etiam positâ præscientiâ, æquè infallibiliter sequitur damnatio, & omne opus præscitum, siue bonum siue malum: ergo etiam tollenda erit præscientia, ne homines abiiciant omnem sollicitudinem, & cadant in desperationem. Respondeo, negando consequentiam: est enim maximum discrimen inter ista. Nam decretum illud negatiuæ reprobationis antecedit omnem nostrorum operum præuisionem, ita vt nullo modo à nobis pendeat. Vnde si ex illo decreto non minùs infallibiliter sequitur damnatio quàm ex reprobatione positiua, non minùs videtur tolli sollicitudo bonorum operum, & induci desperatio per reprobationem negatiuam, quàm per positiuam. Quid enim refert ad æstimationem moralem, siue decretum reprobationis dicatur esse positiuum, siue negatiuum, si nullo modo à nobis pendet vt sit vel non sit; & eo posito, æquè certò & infallibiliter sequitur damnatio? quid interest ad spem salutis, siue Deus dicat, Nolo te ponere in numero electorum; siue, Volo te damnare? quid interest inter creari ad exitium, & creari ad reprobationem negatiuam, siue extra numerum electorum? Equidem si mihi proponeretur vtro modo ad meam consolationem malim factam reprobationem, nescirem vtrum deberem præferre: nisi quòd modus ille positiuæ reprobationis aduersariorum plus videatur adferre excusationis, cùm necessitatem malorum operum inducat; negatiua verò ita per gratias incon-

Discrimen inter præscientiam & decretum reprobationis negatiuæ.

gruas & ineffeaces hominem gubernet, vt liberè malè agat, & ita minus excusationis habeat.

Ex præscientia nihil incommodi.

At si ponatur reprobatio ex præscientia, nihil sequitur incommodi. Quamuis enim, posità præscientiâ peccati finalis, infallibiliter sequatur damnatio, tamen hoc nos percellere non debet, cùm à nobis pendeat vt illa præscientia sit vel non sit; actio enim nostra libera illam præscientiam quodammodò præuenit, estque obiectiuè prior; & vt sancti Patres loquuntur, est causa præscientiæ. Itaque in nostra potestate est, facere vt talis præscientia numquam fuerit in Deo, quia in potestate nostra per gratiam ipsius est, perseuerare in bono vsque ad finem. quo posito, sequetur, talem præscientiam numquam in Deo fuisse. Itaque longè alia est ratio præscientiæ, alia illius decreti reprobationis, siue illud sit positiuum, siue negatiuum. 43

Denique, quod valdè considerandum, si Deus omnes non sic electos positiuè reprobasset, & à regno excludere statuisset, & vellet hoc decretum occultis modis sub specie quadam benignitatis & misericordiæ exequi, qua ratione id commodius & certius præstaret, quàm illa quam ipsi statuunt? nimirum ex nudo suo beneplacito gratias tales & cum talibus circumstantiis, illis præparando, vt certissimè sciret illas carituras effectu, & neminem ex illis saluandum. Itaque parum videtur interesse, siue positiuè, siue negatiuè dicantur reprobati, quando eadem media adhibentur, ex quibus æquè infallibiliter vtroque casu sequitur damnatio. 44

Deus ex se nihil statuit, nisi quod bonum est & consolatorium.

Duodecimò considerandum, cùm Deus sit fons omnis boni, omnis dulcedinis & consolationis, non esse credibile, illum ex se aliquid statuere quod cognitum offendat, & torporem iniiciat, & amaritudinem animi ac desperationem adferat. Ex fonte enim omnis boni per se nihil nisi bonum, & consolatorium, & salutiferum procedere potest: asperitas omnis & amaritudo occasione peccati. Atqui ille modus electionis & reprobationis ante omnia merita & demerita talis est, vt persuasus populo & diligenter expensus pariat scandalum, licentiam vitæ & desperationem, cum quadam irreuerentia & indignatione contra Deum, vt experientia constat: multa enim huius rei extant exempla eorum, qui ex huius sententiæ persuasione in melancholiam & desperationem acti; quibus nulla nisi per contrariæ sententiæ persuasionem suppetit medicina. Ergo non est credibile, Deum talem electionis & reprobationis modum secutum. Omitto alia plurima quæ hîc dici 45

possent:

possent: sufficere enim poterunt hæ considerationes, si benè expendantur, ad illam sententiam non admittendam, & ad medicinam illis faciendam qui ex illius imaginatione afflicti vel perturbati; quorum hodie, occasione disputationum quæ in Hollandia & coniunctis Prouinciis maximè iam plusquam decennium vigent, sunt plurimi. Quæ verò pro illa adferri possunt, non magnam difficultatem habent, & satis à nobis discussa sunt in Tractatu de Prædestinatione, & à Gabriele Vasquez 1. parte disp. 89.

46 Solùm aduertendum est, (vt etiam bene notauit idem Vasquez disp. 89. cap. 8.) sententiam illam originem suam traxisse ex quibusdam locis S. Augustini non benè intellectis. Disputans enim contra Pelagianos & Semipelagianos, sæpè dicit *electionem esse gratuitam, non esse ex meritis, non esse ex operibus*, sed *secundùm Dei propositum*: hominem *non posse mereri suam electionem*; *nos esse electos vt essemus sancti, non quia eramus sancti*. Similia dicit de prædestinatione & prædestinatis. Vide cap. 7. & 10. De correptione & gratia, & lib. 5. contra Iulianum cap. 3. lib. 1. De prædestinatione Sanctorum cap. 19. & alibi. Quæ loca multi non rectè intellexerunt, idque ob duas causas. Primò, Quia non distinxerunt inter *electionem ad gloriam*, & *electionem ad gratiam* iustificationis; neque inter *electionem ad gloriam*, & *prædestinationem*; quasi hæc omnia apud Augustinum sint eadem, & nomen *electionis* semper accipiatur pro *electione absoluta ad gloriam*. Secundò, Quia in modo loquendi Augustini non distinxerunt inter *opera* seu *merita liberi arbitrij*, & inter *merita* vel *opera gratiæ*. Vnde cum S. Augustinus dicit, *prædestinationem* vel *electionem* esse *gratuitam*, non *ex operibus*, non *ex meritis*, &c. intellexerunt etiam electionem ad gloriam non esse ex meritis gratiæ: quod plane alienum est à mente Augustini, qui solùm contra Pelagianos & Semipelagianos contendit, gratiam iustificationis non dari ex meritis liberi arbitrij, vt ipsi volebant, ac proinde homines ex huiusmodi meritis vel operibus non eligi ad gratiam vel gloriam. Hoc est quod tanto molimine tot locis probat Augustinus, vt errorem illorũ refutet, qui causam cur hi essent electi ab æterno ad gratiam iustificationis, & consequenter ad gloriam, illi non essent electi; & cur his in tempore daretur gratia, non illis, referebant in bona opera solis naturæ viribus ab istis facta, non ab illis.

Contraria sententia traxit originem ex verbis Augustini malè intellectis.

Modi loquendi S. Augustini.

Mens Augustini.

47 Numquam enim fuit quæstio vel inter Catholicos solos, vel inter Catholicos & hæreticos, vtrùm homines essent electi ad gloriam

Numquam fuit quæstio in Ecclesia vtrùm homines essent electi ad gloriã ex meritis gratiæ.

riam ex nudo Dei beneplacito ante præuisa omnia merita gratiæ, an ex meritis gratiæ; sed omnes sine controuersia videntur supposuisse tamquam certum, quòd sicut gloria non datur adultis nisi ex meritis gratiæ, ita eam neque esse absolutè prædestinatam nisi ex meritis gratiæ. Idem enim valent apud Augustinum & alios Patres, *dari ex meritis*, & *prædestinari ex meritis: dari sine meritis*, & *prædestinari sine meritis*; vt perspicuè in nostro De Prædestin. Tractatu num. 4. demonstratum est, & fusè ostendit Vasquez disputat. 89. cap. 4. & 8. Vnde ipse Augustinus libro 1. ad Simplicianum q. 2. expresè docet, electionem ad gloriam esse ex meritis gratiæ, neque vsquam aliter docuit, aut hanc doctrinam vsquam correxit; sed etiam in posterioribus scriptis ea quæ ibi docuit ita probauit, vt Lectores ad illum librum remittat, vt patet cap. 4. De prædestinatione Sanctorum, & cap. 20. & 21. De bono perseuerantiæ.

Idem apud Augustinum dari sine meritis, & prædestinari sine meritis.

Hac igitur sententia refutata, alteri tamquam magis piæ & consentaneæ diuinæ bonitati, magis consonæ Scripturis & sanctis Patribus, magis consolatoriæ & idoneæ iuuandis proximis, & ad ingentem salutis sollicitudinem omnium animis iniiciendam, iudico adhærendum; quæ breuiter hisce propositionibus explicari potest. 48

Primò, Deus ante omnem præuisionem futurorum, infinita sua bonitate inductus, liberè statuit condere naturam rationalem Angelicam & humanam, vt eam eleuaret ad statum diuinum, & faceret participem suæ gloriæ & suæ beatitudinis, omniumque bonorum & gaudiorum suorum. 49

Quem ordinē Deus in prædestinatione seruauerit. Concil. Lateran. sub Innoc. III. c. Firmiter, de summa Trinit. Sap. 11. & 12. 1. Tim. 2. & 4 Damascenus lib. 2. De fide cap. 29.

Secundò, In hoc signo non selegit sibi certum numerum ex quo ciuitas illa cælestis constaret; sed omnes omnino, nemine excepto, ordinauit vt essent ciues illius ciuitatis, & participes gloriæ illius, cum firmo proposito eam suo tempore re ipsa omnibus conferendi, nisi per ipsos staret; hoc est, nisi ipsi peccando se eius directioni subtraherent & indignos redderent.

Tertiò, In hunc finem statuit ante omnem futurorum præuisionem, omnes Angelos & primos parentes (in quibus virtute continebatur totum genus humanum) condere in statu gratiæ, cum magnis auxiliis magnaque facilitate ad perseuerandum. 50

Augustin. lib. De corrept. & gratia, c. 10. & 11.

Quartò, Quos ex Angelis vidit per auxilia ipsis præparata & donata perseueraturos, vel potius perseuerantes, hos absoluto decreto elegit ad gloriam: quos autem vidit non perseuerantes in bono, sed per superbiam se eleuantes, reprobauit destinando æternis suppliciis.

Quin-

51 Quintò, Præuiso peccato Adami, & prima illa ordinatione ſtatus innocentiæ per peccatum euerſa, cùm totum genus humanum in Adamo eſſet perditum, miſericordia commotus, rurſum ſtatuit genus humanum erigere, & nouo modo ad ſalutem dirigere, prædeſtinando Incarnationem Verbi, vt humana natura in Verbo exiſtens, & per Verbum ſanctificata, iuſtitiæ diuinæ pro omnium hominum peccatis præteritis, præſentibus & futuris ſatisfaceret; & omnibus omnia ad ſalutem ex parte Dei neceſſaria mereretur. Propter cuius merita Deus rurſum conſtituit omnibus, quantum conditio ſtatus lapſi pateretur, dare auxilium ſufficiens, volendo vt omnes adulti eo vterentur, vt illud in opus dirigerent; obligando etiam parentes vt doctrinam ſalutis ad poſteros propagarent, & magnam eorum curam haberent: quod ſi feciſſent, vt poterant & debebant, vera fides & religio in omnes adultos deriuari potuiſſet.

Ioan. 3. v. 16. Symbolum Conſtantinop.

1. Timoth. 2.

52 Sextò, Deus vidit ab æterno quinam auxiliis, quæ ipſe ſingulis toto temporis decurſu daturus erat, rectè vterentur, & per ea in iuſtitia perſeuerarent, quinam non perſeuerarent, & in peccatis morerentur: itaque illos elegit ad gloriam, hos reprobauit & deſtinauit ad pœnas; & ante hanc præuiſionem nulla fuit abſoluta electio aut reprobatio.

Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. & alij Patres omnes. Matth. 25.

Vbi tamen aduertendum eſt, omnibus ijs qui perſeuerant vſque ad finem, fuiſſe præparatum abſoluto decreto auxilium efficax & donum perſeuerantiæ, independenter ab eorum libero arbitrio nudè conſiderato, ac proinde gratuitò ſecundùm modum loquendi Auguſtini; non tamen independenter ab eorum libero arbitrio donis gratiæ prioribus inſtructo: nam vt Auguſtinus ait, *Meritis fidei & gratiæ hoc donum poſſumus ſuppliciter emereri*; & Fide certum eſt, ipſam perſeuerantiam etiam à nobis pendere. Iis verò qui non perſeuerarunt, fuit etiam hoc donum gratuita Dei miſericordia, quantum opus eſt ex parte Dei, præparatum: quòd autem datum non fuerit reipſa, ipſi in cauſa ſunt; quia per ipſos ſtetit, & 53 non per Deum, quòd non perſeuerauerint. Verùm quia Deus per ſcientiam conditionatam ſciebat per quam gratiam quiſque eſſet perſeueraturus, & per quam non perſeueraturus; quiſque ſingularis beneficij loco ducere debet ſi eam gratiam à Domino accipiat, per quam ſciebatur perſeueraturus; cùm Deus aliam illi dare potuiſſet, per quam nouerat non perſeueraturum. Idem dicendum de conuerſione, & aliis bonis operibus. vnde hanc gratiam ſemper petere debemus. Etſi hæc ſcientia non ſit illi ordinaria regula diſtri-

Epiſt. 106. Lib. De bono perſeuerantiæ cap. 6. Mat. 10. & 24 Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 13.

Conc. Trid. ſuprà.

distributionis gratiarum quas electis vel reprobis confert, vt ex ijs quæ suprà diximus, constat. Porrò hæc gratia non solùm complectitur diuinam inspirationem, piamque affectionem voluntatis, sed etiam circumstantias cum quibus datur, vt loci, temporis, modi, personarum, officiorum, & aliarum rerum quæ nos iuuant ad bonum, atque adeò totam directionem diuinæ prouidentiæ, quam ipse nobis scit fore salutarem.

54 Qui tamen non perseuerarunt, non habent quòd de Deo conquerantur; quia ex parte sua illis, præsertim fidelibus, non defuit: nam sincero animo & desiderio salutis eorum dedit illis auxilium verè sufficiens, mandans vt redderent illud efficax in actu secundo per illud operando, sicut facilè poterant. Nostrum enim est, postquam gratia Dei instructi & per eam corroborati sumus, illam reddere efficacem in actu secundo, per illam operando bona opera, & mandata seruando: quod sine iniuria sanæ doctrinæ negari non potest. Quare si hoc non facimus, sed gratiam Dei negligentes & otiosam relinquentes, auertimus nos à Deo, eius mandata violando, meritò damnamur.

Isaiæ 5. Matth. 23.

Matth. 25. 15. & seqq. 2. Cor. 6. 2. Tim. 1.

55 Ex his patet, in prima illa intentione, qua Deus voluit se communicare naturæ rationali, neminem fuisse excluſum, sed omnes pari modo comprehensos: omnes enim quos statuit creare, statuit etiam in filios adoptare, & gloriæ suæ participes facere, nisi ipsi se tanto beneficio redderent indignos. Sicut enim ipse est omnium principium, ita etiam voluit esse omnium finis & consummatio.

CAPVT III.

Quòd Deus necessariò in omnibus operibus ad extrà quærat gloriam suam: nec ideò minus ei deberi à creaturis.

56 ETSI Deus omnia quæ extra se facit, liberrimè faciat, & liberrimè velit; tamen si quid velit facere, necesse est vt id velit ex affectu & intentione suæ gloriæ. Quia sicut necessariò est primum & eminentissimum agens, ita necessariò est vltimus & eminentissimus finis, cuius gratia omnia. Ac proinde in omni sua operatione externa necessariò intendit aliquod bonum suum. Nullum autem est genus bonorum imaginabile quod Deus possit sibi acquirere, præter

Deus necessariò in omnibus intendit gloriã suam, quia est vltimus finis.

præter gloriam extrinsecam; quæ etiam inter bona externa est præstantissimum. Ergo impossibile est vt Deus aliquid faciat aut velit non intendendo gloriam suam. Confirmatur: Si aliquis esset Deo maior, illius gloriam Deus quærere deberet. ergo cùm nemo sit vel possit esse maior, vel par, sed ipse omnibus infinite sit eminentior, necessariò debet in omnibus vltimò intendere & quærere gloriam

57 suam; adeò vt contrarium implicet contradictionem: esset enim summè inordinatũ, si alicuius rei creatæ bonum intenderet, sistendo in illa, nec vlterius ad suam gloriam hoc totum referendo. Vnde Dominus Isaiæ 48. ait: *Gloriam meam alteri non dabo*. daret autem illam alteri, si in bono creaturæ sisteret, quia constitueret illam vltimum finem *cuius gratia*, respectu illius operationis & volitionis. Idem confirmatur ex eo, quòd Deus, cùm sit infinitæ perfectionis, tantæ est excellentiæ, vt omnis res creata, quantumuis excellens, sit instar nihili coram illo. Quo fit vt omne bonum ad Deum pertinens, quatenus ipsius bonum est, vt quælibet ipsius voluntas, (etiamsi in se paruum videatur) pluris sit æstimandum, quàm omne bonum creaturæ quatenus ad creaturam pertinet. Quare cùm Deus ordinatissimè agat, necessariò debet magis intendere suam gloriam, quàm perfectionem creaturæ. Gloria enim Dei pluris est æstimanda quàm omne bonum creaturæ. Vnde etiam homo non potest sibi excellentius bonum proponere in operando, quàm gloriam Dei: nec melius actiones suas peragere, quàm referendo illas ad gloriam Dei, ad quam etiam Beati omnia sua referunt.

Nullũ genus bonorũ Deus sibi acquirere potest, præter gloriam.

Sap. 11, 23. Isaiæ 40, 12.

Bonum Dei quàm Dei pluris æstimandũ quàm omne bonum creaturæ.

58 Ex quibus patet primò, Infinitam perfectionem & eminentiam Dei super omnia creata esse causam cur non possit aliquid velle vel facere, nisi ex intentione suæ gloriæ. Secundò, Bonum rerum creatarum dupliciter posse considerari. Primò, Vt rem creatam perficit. Secundò, Vt ad Dei gloriam pertinet, & diuinas perfectiones repræsentat? & hoc secundo modo consideratum longè pluris æstimandum, & à Deo semper intendi. Tertiò, Sicut impossibile est esse aliquam rem creatam quæ non dependeat ab influxu Dei vt primæ causæ efficientis; ita etiam impossibile est esse aliquam rem creatam quæ non dependeat ab intentione gloriæ Dei, & ad eam tamquam vltimum finem non ordinetur.

59 Dices: Actus peccati, verbi gratia, odium Dei, est aliquid creatum pendens ab influxu Dei vt primæ causæ, & tamen non potest ordinari ad gloriam Dei: implicat enim contradictionem, vt quis pec-

Actus peccati non est vllo modo volitus aut intentus à Deo.

peccet ad gloriam Dei. Respondeo, actum peccati secundùm suam entitatem physicam pendere quidem ab influxu Dei, non tamen ita vt sit volitus à Deo, sed solùm permissus, vt ex Concil. Trident. colligitur. Vnde solùm eius permissio est volita à Deo, & ex intentione gloriæ Dei pendet: quia ad gloriam Dei pertinet vt peccata permittantur; nempe vt voluntati creatæ sua constet libertas, & virtus non sit coacta, sed libera. Ob eumdem finem volitus est concursus generalis ad illum actum, sine quo fieri non posset. Nec refert quòd ille actus sit entitas quædam vitalis certæ speciei, & valdè mirabilis, diuinarum perfectionum multò magis repræsentatiua quàm vlla res corporalis: ac proinde videatur hac ratione posse esse volitus à Deo ex intentione gloriæ Dei: quia obstat malitia moralis illi intimè implicita, saltem fundamentaliter, ratione cuius ita est dissentaneus naturæ rationali, vt ab ea benè fieri nequeat; & hoc ipso quo liberè ab ea fit, sit formaliter peccatum. Repugnat autem bonitati & sanctitati diuinæ, vt aliquid velit fieri à creatura, quod sine peccato facere non potest, aut quo directè ad peccatum incitetur, vel quo ipse Deus à sua creatura censeatur contemni, & lex æterna violari. Vnde etiam particularem & determinatum influxum ad illum, vt à voluntate procedit, præbere non potest.

Concil. Trid. sess. 6. can. 6.

Actus peccati repræsentat diuinas perfectiones excellentiùs quàm vlla res corporea.

Quæ hactenus diximus, intelligenda sunt de gloria Dei in genere: si enim loquamur de illa speciali gloria quæ consistit in visione Dei & actibus visioni connexis; Deus hanc gloriam, etsi maximam ut, non necessariò in suis operationibus intendit, sed liberè. Potuisset enim condere hoc vniuersum, & naturam rationalem non euehere ad illam visionem, sed relinquere illam in inferiore gradu: quo euentu non intendisset illam gloriam in suis operationibus, sed aliam inferiorem. Verùm quia ipsa illam maximam & summam constituit finem vniuersi; hinc fit vt omnes eius operationes quas circa creaturas habet, ad hunc finem tendant, idque propinquiùs vel remotiùs, prout ipsæ respectiùs vel remotiùs ad illum finem iuuant. 60

Dicet fortè aliquis: Si Deus in omnibus potissimùm spectat gloriam suam, & propter illam omnia facit, quomodo id non minuit æstimationem beneficiorum ipsius, cùm in illis non tam nostrum bonum quàm suum quærere videatur? Sicut si dominus splendidis vestibus sua mancipia induat, non ob ipsorum commodum vel gloriam, sed solùm ob suam gloriam, vt ipse omnibus sit admi- 61

admirationi, non censetur multùm liberalis, aut beneficus, aut benevolus in illa mancipia; nec ipsa illi tantum debent, quantum si solùm illorum commodum spectasset. Simili modo poterit quis imaginari de Deo.

Respondeo, Quòd Deus vltimò in omnibus spectet suam gloriam, id ab intrinseco & ex natura rei est necessarium; propter infinitam eminentiam ipsius supra omnem creaturam: vnde si id non faceret, inordinatè ageret, vt ostensum est. Quare ex hoc capite non minuatur æstimatio beneficiorum eius, aut obligatio actionis gratiarum: stultum enim est & impium, existimare, nos ideò minus Deo debere, quia non amat nos tamquam vltimum finem *cuius gratia* respectu suorum beneficiorum: quod fieret, si ea ad gloriam

Quòd Deus suã gloriam intendat, non minuit æstimationem beneficiorum eius.

62 suam non referret. Deinde, dum Deus spectat suam summam gloriam, eo ipso necessariò spectat & intendit summum bonum nostrum: quia summa eius gloria est summum bonum nostrum, & summum bonum nostrum non potest esse nisi summa eius gloria. Ratio est, quia summa eius gloria externa est, ipsum à nobis perfectè cognosci, amari, & gustari. Vnde consistit in tribus actibus vitalibus, & in ijsdem formaliter consistit summum bonum nostrum, & vita æterna, & essentia beatitatis. Summum enim bonum nostrum & formalis beatitas est, Deum videre, amare, gustare; seu quod idem vno verbo dici potest, Deo frui. Itaque in summa Dei gloria formaliter & intrinsecè includitur summum bonum nostrum, ita vt sine illo concipi nequeat: & hoc ipso quo Deus illam gloriam intendit & quærit, intendit & quærit summum bonum & commodum nostrum. Vnde non minùs Deo gratias agere debemus quòd quærat gloriam suam, quàm quòd quærat salutem nostram; quia gloria eius est salus nostra. Hoc in Hymno Angelico Ecclesia insinuat cùm ait: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*: beneficia enim ipsius in nos, sunt gloria eius. Accedit quòd ipsi nihil commodi proveniat ex omnibus quæ nobis donat, vel pro nobis facit, sed in illis omnibus solùm quærat commodum nostrum. Nos soli sumus, in quorum commodum omnia facta sunt.

Summa gloria Dei est summum bonũ nostrum.

63 Ex quibus patet, illud exemplũ de domino mancipiorũ non esse simile: ille enim non quærit commodum suorũ mancipiorum, sed solùm gloriã suam. Vnde non ex affectu benevolentiæ, sed ex amore sui illis beneficium præstat. Deus verò ita quærit gloriã suam, vt simul quærat commodũ nostrum, & ex affectu benevolentiæ erga

nos illud conferat; imò summam gloriam suam in summa beneuolentia & beneficentia erga nos constituit. Sicut si aliquis Princeps potentissimus & nullius egens, omnem gloriam suam constitueret in beneficentia & liberalitate erga subditos, & summam eorum felicitatem, summam duceret esse suam gloriam; quis non summo amore summaq; laude prosequendum diceret hunc Principem, eò quòd tali modo quærat gloriam?

CAPVT IV.

Quo modo natura ratione carens ordinetur ad gloriam Dei.

DIXIMVS Capite primo gloriã Dei formalem extrinsecam consistere in tribus actibus vitalibus naturę rationalis, consideratis vt circa Deum versantur, nempe in cognosci, amari, & gustari; & in iisdem consistere summum bonum illius naturæ: quare cum natura ratione carens non sit capax talium actuum, videndum qua ratione ad gloriam Dei ordinetur, illique seruiat. Quod vt intelligatur, notandum est, Deum ita esse finem vltimum naturæ rationalis, vt etiam sit eius finis proximus; cùm non sit aliquid infra Deum ad cuius gloriam vel commodum ipsa possit ordinari. Vnde solus Deus est finis immediatus ad cuius solius gloriam ipsa est condita. Verùm naturæ irrationalis Deus ita est finis vltimus, vt ipsa etiam alium finem habeat ad quem proximè natura sua destinetur, nempe naturam humanam, ad cuius obsequium mundus iste corporeus cum omnibus rebus corporalibus quæ ipso continentur, conditus est. Quòd enim omnia animantia & viuentia sint propter hominem, patet Genesis 1. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæq; terræ*. &c. & Psalm. 8. *Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius*, &c. Si omnia viuentia, & ipsa terra est propter hominem, par est credere, cetera quoque non viuentia, vt orbes cælestes & elementa, eius causa esse condita: quòd etiam ipsorum motus & operationes omnes declarant, quibus assiduè homini seruiunt: neque vllus alius potest eorum vsus assignari, cùm Angelica natura mundo corporali non egeat. Homo itaque finis est proximus totius istius machinæ. Hinc ceteris omnibus creatis, digestis, ornatis & 64

Deus est finis proximus & vltimus naturæ rationalis.

Mundus est propter hominem.

præ-

præparatis, vltimo loco conditus est homo, & veluti heres ac dominus in possessionem orbis inductus.

65 Porrò duplex obsequium homini mundus præstat, quo illum ad finem suum iuuet. Primò præbet ei habitationem, & omnia quæ ad vitam corporis sunt opportuna. Vnde est ei instar domicilij pulcherrimi & amplissimi omni genere supellectilis, & rerum affluentia instructissimi. Cùm enim homo non solùm animo, sed etiam corpore constet, egebat loco corporali in quo degeret; & innumeris adminiculis corporalibus ad hanc vitam temporalem placidè & iucundè peragendam, donec transferretur ad æternam. Et quamuis fortè in æterna locus corporalis absolutè ei non sit necessarius; tamen quia etiam tunc corpore constabit, par est vt in illo quoque statu locum conditioni corporis congruentem habeat. Itaque non solùm in hac vita, sed etiam in futura mundus corporeus illi pro habitaculo seruiet, nunc quidem parte sui infima, tunc suprema, quæ hac incomparabiliter pulchrior & excellentior. *Duplex officium mundi præstat homini: habitationem & omnia vitæ corporali necessaria; & Conditoris notitiam.*

66 Alterum obsequium quod mundus homini præstat, pertinet ad animam, nimirum quòd veluti præco ingerat ei notitiam sui Conditoris, declarando illius potentiam, sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, prouidentiam, & ceteras diuinas perfectiones, iuxta illud Psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Cùm enim anima humana (propter quam sunt omnia corporalia) sit infima in ordine intelligentium; fit vt adeò sit imbecilla ad intelligendum, vt nullam rem spiritualem aut corporalem cognoscere possit, nisi sensuum adminiculo. quam ob causam postulat vnici corpori, vt per sensus possit venire in notitiam rerum creatarum sub sensus cadentium, & per hanc notitiam, accedente diligente consideratione & ratiocinatione, in notitiam sui & communis omnium Conditoris.

67 Ob hanc causam non solùm ea quæ corporali vitæ sunt necessaria voluit Deus esse in mundo, sed etiam alia innumera, nimirum vt sua pulchritudine & varietate specimen quoddam exhibeat excellentiæ Conditoris, per quod homo ipsum cognoscat, cognitum amet, colat, reuereatur, laudet, & gratias agat. Sicut enim palatium summa arte extructum, & imago optimis coloribus & magna industria perfecta, ostendit excellentiam artificum: ita mundus iste & res omnes quæ sub sensum cadunt, ostendunt apertè excellentiam sui Opificis: nam hæc omnia arte & potentia vnius artificis facta sunt. Magnitudo terræ, maris, montium, & cælo- *Cur Deus tam multa fecerit homini non necessaria.*

rum ostendunt eius magnitudinem & potentiam : pulchritudo solis, lunæ, stellarum, & aliarum rerum omnium, declarant eius pulchritudinem : subtilitas & artificium quod in omnibus rebus, præsertim in animantium structura cernitur, eius sapientiam: summa cuiusque rei in sua specie perfectio, eius perfectionem: ratissimus ordo in cursu cælorum & rerum vicissitudine, eius prouidentiam. imò in singulis rebus, si quis benè attendat, hæc omnia nobis mirabili modo indicantur; quia nihil est adeò vile quod non sit plenum (vt ita dicam) miraculis & subtilitatibus menti humanæ impenetrabilibus, quæ nobis Dei potentiam, sapientiam, & influxum occultissimum insinuant. Si verò simul omnia cõsiderentur tamquam integrum opus ipsius, manifestè ostendunt, ipsum esse bonum quoddam infinitum, in quo omne genus bonorum excellentissimè continetur; ac proinde ipsum esse supra omnia amandum & colendum. Hæc omnia, & quidquid omnino absque peculiari reuelatione de Deo à nobis cognosci potest, docent nos res creatæ quæ sub sensum cadunt. Hinc Apostolus ad Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & Diuinitas.* sensus est: Quidquid de Deo cognosci naturaliter potest, id Philosophis fuisse manifestum: quia inuisibiles Dei perfectiones iam inde à creatione mundi per ipsa opera factæ sunt visibiles, & ex ipsis operibus intellectæ, videntur. Vbi Apostolus indicat eas videri per opera, sed mediante discursu, quia ex operum consideratione intelliguntur. Idem habetur Sap. 13. *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Græce est: Ἐκ μεγέθους καλλονῆς κτισμάτων ἀναλόγως ὁ γενεσιάρχης αὐτῶν θεωρεῖται. *Ex magnitudine pulchritudinis creaturarum per analogiam opifex ipsarum cernitur.* vbi notandum, illud ἀναλόγως, *per analogiam*, quo denotatur qua ratione ex rebus creatis ad Creatorem mente debeamus ascendere, nempe per analogiam, non per similitudinem: nam quantumuis res creatæ sint magnæ & pulchræ, nullam tamen inter ipsas & Conditorem est similitudo, sed solum analogia & proportio quædam; quia omnis perfectio quæ est in rebus creatis, est longè alterius rationis & sublimiore modo in Opifice; quod optimè explicatur à Dionysio lib. De mystica Theologia, præsertim cap. 4. & 5.

68

69

Deus ex rebus creatis cognoscitur per analogiam.

Ratione huius analogicæ repræsentationis, mundus iste rectè dici-

70

dicitur præco & testis Diuinitatis, cuius vox toto orbe auditur, & ab omnibus gentibus potest intelligi, iuxta illud Psalm. 18. *Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum*, &c. Huius vocis testimonio Deus ab initio vsque ad finem vtitur ad se mortalibus insinuandum. Vnde Apostolus Act. 14. ait, quòd Deus, etsi præteritis sæculis permiserit gentes ingredi vias suas, nec ad eas miserit Prophetas sicut ad Iudæos; tamen *non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cælo, dans pluuias & temporum fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra*. de quo testimonio ita S. Prosper lib. 2. De vocatione gentium cap. 4. *Quod est autem hoc testimonium quod semper Domino deseruiuit, & numquam de eius bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum ac voluminibus temporum, communis & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur?* nimirum, esse vnum omnium Conditorem potentissimum, sapientissimum, optimum, quem omnes amare, timere, colere, cui omnes obedire ac seruire debeant. Addit Prosper: *Cælum ergo cunctaq; cælestia, mare & terra, omniaque quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisque consensu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maiestatem sui loquebantur auctoris*. Hoc tamen præconium & testimonium creaturarum, etsi cum auxilio interno (quod pro tempore & loco non deerat) esset sufficiens ad insinuandam hominibus Dei cognitionem, plerique tamen illi non attenderunt; vnde illis non profuit,

Mundus est præco & testis Diuinitatis.

71 vt ibidem Prosper ait. Sicut mundus ratione illius repræsentationis dicitur *præco & testis Diuinitatis*, ita etiam dicitur *speculum*, vt insinuat Apostolus 1. Corinth. 13. *Videmus nũc per speculum in ænigmate*. vbi nomine *speculi* res creatas vel imaginarias similitudines ex rebus creatis acceptas intelligit. *Videmus per speculum*, quia in creaturis non est sistendum, sed per earum cognitionem analogico mentis ascensu transeundum ad Creatorem intus latentem, eas formantem & conseruantem. *In ænigmate*; quia non clarè sicut est in seipso, sed obscurè & quasi coniectando Deum ex rebus creatis cognoscimus. Denique mundus est *instar tabulæ*, in qua Diuinitas adumbrata: est *instar libri* omnibus gentibus expositi, in quo ea quæ ad Deum pertinent, legi possunt.

Est speculum Diuinitatis.

Est instar tabulæ & libri

72 Ratione huius repræsentationis omnes creaturæ dicuntur laudare

Quomodo omnes creaturæ laudent Deum.

dare & benedicere Creatorem ; quia quantum in ipsis est, totam naturam rationalem ad hoc excitant. Hinc fit vt quamuis res creatæ varios vsus habeant in mundo, ratione quorum bonæ dicuntur; præcipua tamen earum bonitas consistat in hac repræsentatione, qua diuinas perfectiones repræsentant. Hæc enim est maximè intrinseca; & sequitur immediatè entitatem rei cuiusque: quæ quò est perfectior, eò etiam perfectiùs Conditoris perfectiones refert. Vnde sicut veritas rerum consistit in conformitate cum arte diuina seu idea secundùm quam factæ sunt, à qua tamquam à propria mensura suam speciem acceperunt: ita earum bonitas & primarius vsus consistit in repræsentatione perfectionis sui Opificis, ad quem vsum principaliter sunt conditæ, vt expresse docet S. Prosper lib. 2. De vocatione Gentium cap. 4. *Cælum, inquit, terra, & mare, omníque creatura quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipuè disposita est humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de tot contemplatione specierum, de experimentis tot bonorum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur auctoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo viuimus, mouemur, & sumus.* Vnde patet, hunc esse finem rerum immediatum & intrinsecum, (quatenus nimirum res sunt seu esse habent) quo nullus poterat esse nobilior.

Bonitas rerum consistit in repræsentatione diuinarum perfectionum.

Ex his constat, quo modo natura ratione carens ad Deum vt 73
vltimum finem ordinetur; nimirum, quatenus obsequium præstat naturæ rationali in iis quæ ad corporalem vitam pertinent, vt viuere ad beatitudinem promerendam possit; & quatenus illi repræsentat & prædicat gloriam & excellentiam Conditoris.

CAPVT V.

Quomodo natura rationalis ad gloriam Dei ordinetur.

Natura rationalis duplicitèr ad gloriam Dei ordinatur.

NATVRA rationalis duobus modis considerari potest. Primò, 74
Secundùm suam entitatem, quatenus est natura talis speciei. Secundò, Vt per intellectum & voluntatem est capax Diuinitatis. Si priore modo consideretur, ordinatur ad Dei gloriam communi quadam ratione, sicut & natura ratione carens, nimirum vt per suam entitatem est repræsentatiua diuinarum perfectionum. Multò tamen perfectiùs eas repræsentat, quàm omnes naturæ ratione carentes, quia est imago Diuinitatis; cùm illæ tantùm se habeant instar vestigij. Vnde Angelica natura cùm perfectè se cognoscat,

longè

longè altiori modo concipit & cognoscit Deum ex cognitione sui, quàm ex cognitione rerum corporalium. Secùs est in homine: quia natura animæ suæ parum est ei perspecta, cùm solùm confuse & pauca quædam de illa cognoscat. Itaque ad cognitionem Dei magis seruiunt ipsi res corporales & sensibiles.

Angelus ex cognitione sua essentiæ magis cognoscit Deum quàm ex cognitione omnium rerum corporalium.

75 Porrò hæc obiectiua repræsentatio diuinarum perfectionum, quæ in omnibus rebus, vt res sunt, reperitur, duplici modo ad gloriam Dei pertinet. Primò, Quia in illa consistit quædam gloria Dei externa, multò magis quàm gloria Principum sæcularium consistit in splendore & multitudine aulicorum, palatiorum, oppidorum, regionum. Omnes enim res creatæ, siue paruæ siue magnæ, naturâ suâ significant & proclamant potentiam, sapientiam, bonitatem & eminentiam Conditoris, & ad illum realem dependentiæ ordinem habent. Quod sanè magna Deo est gloria. Bona verò Regi subiecta nullam eius perfectionem indicant, nec vllum realem ordinem ad illum habent, sed solùm eius dominio vel iurisdictioni, vt ad humanum vsum pertinent, subiecta sunt: & tamen ratione huius dominij vel iurisdictionis censentur ad gloriam eius pertinere, & ipse tamquam magnus & potens Princeps apprehenditur, quamuis tota illa magnitudo nihil reale sit, sed solùm quid imaginarium, vtpote ratio quædam conceptibilis mente, quæ solùm apud homines æstimatur.

Obiectiua repræsentatio duplici modo ad gloriam Dei pertinet.

76 Secundò, Hæc obiectiua repræsentatio ad gloriam Dei pertinet, quatenus Angelis & hominibus in via est auxilio ad cognitionem & amorem Dei; & quatenus obtenta beatitudine erit occasio & materia nouæ cognitionis, amoris, gaudij & laudis infra visionem beatificam. Etsi enim Beati Deum immediatè & clarè videbunt, prout est in seipso, eumque ex vi huius visionis amabunt & gustabunt, (in quibus actibus suprema Dei gloria, nostraque beatitudo sita est,) nihilominùs illum etiam cognoscent vt refulget in rebus creatis, maximè in cælesti patria & Beatorum pulchritudine ac gloria, & ex hac cognitione eum amabunt & laudabunt, & de eo eiusque bonis gaudebunt. Vnde hac ratione illa obiectiua repræsentatio seruiet cuidam gloriæ Dei formali (infra visionem beatificam) quæ in illis actibus vitalibus consistet, eritque gloria quædam secundaria.

77 Ex his patet, quomodo natura rationalis secundùm suam entitatem considerata ordinetur ad gloriam Dei: nimirum per modum imaginis & repræsentatiui, vt diuinæ perfectiones in ea tam-

quam in imagine resplendeant, & illa repræsentatio intellectui seruiat ad Dei cognitionem, amorem, & laudem. Nunc videndum quomodo ordinetur ad illam per intellectum. Quod vt in- 78
telligatur, Notandum est, quòd sicut viuens est præstantius non viuente, ita potentia vitalis præstantior non vitali. Inter omnes autem potentias vitales præstantissima est intellectiua, qua nulla emisientior potest vel animo concipi: per hanc enim natura rationalis, verbi gratia anima nostra, non solùm omnium rerum viuas formas & imagines in se concipit, sed etiam est capax Diuinitatis; nam lumine gloriæ illustrata & adiuta, format in se viuam imaginem Diuinitatis, sitque Deo similis eminentissimo modo possibili: insuper per eamdem formaliter transit & penetrat in Deum, & Deus in ipsa nouo modo existit, & se ipsi cum omnibus suis bonis communicat, vt omnium dulcedine & pulchritudine perfruatur. Hoc totum fit vi visionis beatificæ. Potentiæ intellectiuæ velut socia & suppar accedit voluntas, qua anima toto impetu fertur in bonum intellectu conceptum, vt illi nouo modo se vniat, nempe per amorem, & in illud veluti transformetur.

Potentiâ intellectiuâ nulla potest cogitari præstantior.

Per visionem & amorem anima intrat in Diuinitatem.

Per has duas potentias anima nostra duplici modo, eoque emi- 79
nentissimo, intrat in Diuinitatem; & Diuinitas in illam, sitque mutua veluti penetratio & intima vnio vitalis inter animam & Deum. Vnde ex hac vnione mutuoque contactu nascitur in anima ineffabilis quidam dulcedinis sensus seu delectatio, qua infinitam Dei dulcedinem vitaliter coniunctam veluti degustat. Sicut enim cum obiectum conueniens naturæ, sensu percipitur, nascitur statim vitalis quædam suauitas in anima ex coniunctione vitali talis obiecti, quæ suauitas delectatio vocatur: ita cùm summum illud obiectum delectabile perfectissimo modo percipitur intellectu, & simul amatur, ex illa præsentia & coniunctione vitali perfectissima nascitur vitalis quædam suauitas summa & eminentissima, quæ gaudium dicitur & delectatio.

Ex his patet, naturam rationalem multò sublimiori modo ad 80
gloriam Dei ordinari, quàm res ceteras. Primò, Quia per suos actus ita tendit in Deum, vt ipsum immediatè attingat, eique vitaliter vniatur, & particeps Diuinitatis euadat. Secundò, Quia repræsentatio diuinarum perfectionum, quæ fit per illos actus, longè est excellentior quàm repræsentatio obiectiua de qua suprà dictum est. Illa enim est vitalis & formalis quæ per se sentitur; hæc non est vitalis, nec per se sensibilis, sed obiectiua qualis imaginis mortuæ.

Repræsentatio formalis longè est excellentior quàm obiectiua.

Illa

Illa naturam rationalem efficit beatam; hæc nihil noui naturæ confert, cùm in ipsa naturæ entitate consistat. In illa relucet ipsa Diuinitas perfectè prout est in seipsa, quia per illam clarè, & vt est in seipsa, repræsentatur menti, & ab ea percipitur & sentitur, quod in nulla imagine obiectiua fieri potest: quia impossibile est vt aliquid obiectiuè repræsentet essentiam diuinam, vt communiter Theologi docent. Vnde meritò in tribus illis actibus suprema Dei gloria extrinseca constituitur.

81 Petes: Quo modo gloria Dei in amore & gaudio constituitur, cùm hæc non habeant vim repræsentandi; ac proinde in illis non reluceant diuinæ perfectiones? Respondetur amorem & gaudium beatificum Beatorum maximè ad gloriam Dei pertinere, quia continent vitalem eminentissimam commendationem & laudem Diuinitatis. Deus enim non potest magis laudari & commendari à Beatis quàm per summum amorem & per summum gaudium: nam per amorem æstimatur ab ipsis vt summum bonum, & omnibus præfertur, & omnia ad ipsum ordinantur: idem fit per summum de ipso gaudium. Vnde hi actus natura sua repræsentant diuinam excellentiam & bonitatem vt est in seipsa; non vt effectus ipsius, (sicut aliæ res creatæ) sed vt actus vitales repræsentant conditionem obiectorum in quæ tendunt, à quibus speciem suam accipiunt.

Amor beatificus & gaudium repræsentant excellentiam diuinæ prout est in seipsa.

82 Porrò sicut in his tribus actibus summa Dei gloria, quam ipse potissimùm in omnibus suis operibus intendit, sita est; ita in ijsdem situm etiam est summum hominis & Angeli bonum, & formalis beatitudo: nam per hos actus omnes beati spiritus supra se infinitè eleuati Deoque vniti, fiunt deiformes summa & eminentissima cum Deo similitudine, qua nulla maior animo concipi potest. Vnde instar cuiusdam Diuinitatis in omnem æternitatem fulgebunt, tamquam filij gloriæ & claritatis diuinæ: per eosdem actus omnes se in immensum expandent, vt tanto bono quantum fas est se exæquent & coextendant, vt totum capere ac comprehendere possint. Non hærebunt exterius quasi in superficie, sed omnes eius profundum ingredientur, & intrabunt *in gaudium Domini sui*, alij plus alij minus, pro magnitudine luminis gloriæ, quod cuique communicabitur: cui profundo immersi, seipsos & omnia creata amittent; quia omnia alia bona & gaudia ad hoc pelagus bonorum & gaudiorum instar nihili videbuntur. Nulla ipsis in hoc profundo caligo, nulla obscuritas, (sicut nobis in hac vita

In ijsdem actibus situm est summum hominis bonum, & summa Dei gloria.

Effectus horum trium actuum.

Matth. 25.

Diuinitas in caligine moratur;) sed lux & serenitas immensa, quamuis eam plenè comprehendere nequeant? Ibi illis erit æterna 83
Ipsa Diuinitas est æterna mansio & cælum cælorum Beatis. mansio & tranquilla securitas absque timore excidendi. Ibi cælum cælorum, cuius comparatione omne creatum terra est. Ibi omnium desideriorum impletio, & omnium desiderabilium possessio ac fruitio. Nihil ibi restabit amplius quærendum vel desiderandum; quia omnes in Deo omne bonum firmiter possidebunt, & suauissimè perfruentur. Ibi totum munus Sanctorum erit contemplari infinitam Dei pulchritudinem, amare infinitam bonitatem, gustare infinitam dulcedinem, & torrente voluptatis eius impleri, ineffabili gaudio de infinita eius gloria & de omnibus bonis eius & suis exultare. Hinc perpetua laus, & benedictio, & gratiarum actio. Hoc modo omnes Beati in Deo tamquam vltimo fine, omnium votorum suorum compotes, nihil vlteriùs desiderantes requiescent.

Obtento fine omnes motus cessabunt. Hac ratione ipse erit terminus omnium motuum & ministe- 84
riorum, quibus natura rationalis ab initio mundi vsque in finem ad salutem dirigitur, qui omnes illo obtento cessabunt; vt sunt motus cælorum, vicissitudines temporum, series generationum, ortus & interitus rerum, omnes elementorum mutationes, omnis sacra & politica gubernatio, omnia Imperia & Regna, omnia hominum studia & labores, omnis Angelica cura & administratio, omnis diabolica tentatio & infestatio, denique etiam ipsius Christi Domini prouidentia & gubernatio qua nunc Ecclesiam regit vt ad salutem perducat: suscepit enim ipse regendam Ecclesiam à Patre donec omnes inimici eius subiiciantur sub pedibus eius, vt insinuat Apostolus 1. Cor. 15. nempe vsque ad extremum Iudicij diem, quando omnis potestas diabolica abolebitur, & vltimus Christi inimicus mors per resurrectionem gloriosam destruetur.

1. Cor. 15. *Christus tradet regnum Patri vt ipse in omnibus regnet.* Tunc Dominus *tradet regnum*, nempe Ecclesiam Sanctorum, 85
quam ipse ad salutem adduxit, *Deo & Patri*, inquit Apostolus, nempe vt Diuinitas in omnibus regnet, & omnes ipsi Diuinitati sublimissimo modo seruiant, cùm nihil aliud in omnem æternitatem agendum superfit. Consistet autem ista seruitus in contemplatione, amore & gaudio, & aliis actibus qui ex his sequentur: per hos enim maximè Deus honorabitur & glorificabitur à Sanctis; & per eosdem (si considerentur vt à Deo per lumen gloriæ & charitatis donum proueniunt) Deus in ipsis regnabit. *Tunc & ipse filius* 86
(vt idem Apostolus ait) *subiectus erit ei qui subiecit ipsi omnia, vt sit*

Deus

Deus omnia in omnibus. Subiectus erit, nimirum secundùm humanitatem. Modò non ita apparet subiectus Patri, quia occupatur in regenda Ecclesia: tunc verò perspicuè apparebit; quia cùm Patri regnum tradiderit, completum erit opus salutis nostræ, quod ipsi commissum erat: vnde nihil aliud supererit, quàm vt ipse quoque se totum cum omnibus electis, nempe caput cum corpore, Diuinitatis obsequio & gloriæ per contemplationem, amorem, gaudium, & æternam benedictionem, laudem, & gratiarum actionem impendat. *Sic Deus erit omnia in omnibus*; quia sola Diuinitas (Pater, Filius, & Spiritus) hoc eminentissimo modo in omnibus regnabit & dominabitur, omnium corda & vires animæ plenissimè possidens: sola in omnibus, omnium votorum & desideriorum completio: sola omnium lux, omnium amor, omnium gaudium, omnium gloria, omnium opulentia, omnium vita, omnium beatitas: sola ita fulgebit & vigebit, & eminebit in omnibus, vt præter ipsam nihil esse videatur, sicut ignis in ferro candente ita eminet, vt præter ignem nihil appareat. Hoc erit regnum futuri sæculi: hoc modo omnes fusti erunt participes Diuinitatis, & in eius beatissima fruitione conquiescent. Hoc modo Deus erit vltimus finis, & terminus, & requies Sanctorum.

Quomodo Filius Patri subiectus erit, vide Sanct.

Deus erit omnia in omnibus multis modis.

CAPVT VI.

Recollectio precatoria.

87 FILII *hominum vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Vanitas sunt omnia ista quæ tanto studio sectamini, honores, diuitiæ, voluptates, quorum causa omnes animæ opes, quibus solidas & æterna poteratis comparare, frustrà expenditis. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*, dixit Ecclesiastes ista omnia expertus, & rectè mente contemplatus. Meritò *vanitas*, quia ad finem ad quem conditi sumus, nihil prosunt, sed plerumque etiam plurimùm obsunt. *Mendacia* sunt omnia ista, promittentia felicitatem, & adferentia miseriam. Verè *filij hominum*, non filij Dei, qui ista quærunt, mente cæca, cupiditate inconsulta, labore inutili & pernicioso. Non ad ista creati sumus, & in hoc mundo constituti, non in illis fitum bonum nostrum, & requies nostra. terrena sunt & temporanea, non possunt animum, cuius

Psal. 4.

Eccl. 1.

natura cælestis & æterna, cuius capacitas immensa, cuius dignitas
suppar Angelis, perficere vel satiare. Quod ergò est verum bonum 88
nostrum? *Quis ostendet nobis bona? signatum est super nos lumen*
Psal. 4. *vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Solum lumen Fidei
hoc bonum nobis ostendere potest, & viam qua ad illud peruenitur: cuius rei cognitio incredibilem animo lætitiam adfert. Quid enim optabilius quàm nosse summum bonum, finemque vltimum, & tenere viam certissimam qua ad illud peruenitur? sine hac notitia, omnis alia sapientia inutilis, nec sapientiæ nomine digna.

Omnes Philosophi viam & ultimum salutis ignorarunt. 1. Cor. 2. Daniel. 3.

Has omnes illi antiqui Philosophi destituti fuere, & ideò eua- 89
nuerunt in cogitationibus suis, nihil commodi ex omnibus suis studiis & laboribus reportantes. *Quis enim nouit sensum Domini, nisi spiritus Domini qui scrutatur profunda Dei*, per quæ nobis hoc abditum Dei consilium est reuelatum? *Benedicant te cæli, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, laudent & superexaltent in sæcula*, quia ante omnia sæcula tibi cura fuit de nobis, & in primo Trinitatis tuæ consistorio benignissimum de nobis consilium cepisti, vt nos Diuinitatis tuæ, omniumque bonorum & gaudiorum tuorum faceres participes. Quis non obstupescat ad tantam benignitatem & dulcedinem? quis hoc vnquam sperare vel diuinare potuisset? sed ita placuit infinitæ illi bonitati, cuius indoles est, ineffabilibus modis se diffundere & communicare. Solus bonis tuis in tua æter- 90
nitate fruebaris, nullius egens, ipse tibi qui bonum es infinitum ad

Deo ab æterno societatis & amicitiæ bonum non defuit.

omnem beatitudinem sufficientissimus. Neque tibi voluptas dulcissimæ societatis & amicitiæ in Personarum trinitate deerat, cùm inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum summa sit societas, summa amicitia, summa omnium bonorum, gaudiorum, & consiliorum communicatio. Itaque non egebas creaturæ consortio, nec aliquid tibi commodi per eam accedere poterat: nihilominus bonitatis tuæ indulgens propensioni, nos condere voluisti, vt ad consortium bonorum ac gaudiorum tuorum eucheres.

Infinitum inter te & nos est interuallum, non loci, sed naturæ, 91
vtqui infinitè supra omnia eleuatus superemines, intercedentibus infinitis rationalis naturæ gradibus, quos in tua sapientia & potentia dispositos continens: nihilominus tanta est potentia bonitatis tuæ, vt mentem nostram supra omnia creata & creabilia eleuare possis, & miro modo absque medio tibi per visionem, amorem, & gaudium coniungere. O admirabilem, beatam & gloriosam vnio- 92
nem,

nem, in qua simul & summum bonum nostrum, & summa gloria tua reposita! per illam enim efficimur participes Diuinitatis & omnium bonorum ac gaudiorum tuorum; & per eamdem Diuinitas tua summè fulget extra se in speculo mentis creatæ, sicut intra se fulget sibi. In aliis rebus creatis, vt in mundi fabrica, & variis rerum gradibus, elucent tenues quidam radij Diuinitatis tuæ, ex quibus tuam potentiam, sapientiam, bonitatem quasi coniectando cognoscere possumus: at in mente nostra sic eleuata & vnita tibi splendet tota Diuinitatis plenitudo, totaque relucet eius pulchritudo; ita vt quamuis in se vnica sit, miro tamen modo multiplicetur, vt tot videantur esse Diuinitates, quot sunt beatæ mentes. In
93 hac vnione omnia bona nobis affluent, eritque omnium nostrorum desideriorum consummatio: affluet potentia, quia erimus reges & Filij Dei: affluet sapientia, quia ipsum sapientiæ fontem tenebimus & contemplabimur: affluet sanctitas, quia eximius ille amor est summa sanctitas, & omnium virtutum perfectio: affluent diuitiæ, quia regnum cælorum & omnes eius opes nostræ erunt: affluent honores, quia omnes tamquam filij Dei excipiemur & honorabimur: affluet pulchritudo, quia corpore instar solis fulgebimus, mente instar Diuinitatis: affluent gaudia & delectationes, quia *omnes inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Psal. 35. sicut enim erit incomprehensibilis copia bonorum, ita etiam erit & gaudiorum ac delectationum. Affluet pax & securitas, quia nihil nec foris, nec intus vnquam turbare poterit, nihil accidere triste vel quod minùs gratum: simulque certissimi erunt, hunc statum fore eis sempiternum.

94 Itaque hæc vnio in qua & summum bonum nostrum, & summa Dei gloria, nobis vnicè sit cordi, & ad eam supra omnia adspiremus. Bona huius vitæ quantumuis magna videantur, præ illo bono vilescant nobis omnia, & instar nihili reputentur. Omnes nostræ cogitationes, curæ & labores ad illud tendant, nec vsquam nisi in illo sit menti nostræ requies. Verùm, quia tantum bonum longè positum est supra vires nostras, ad te confugimus, ô benignissime Deus, vt qui sola bonitate tua infinita nos ad tantũ & tam sublime bonum ab æterno destinasti, & vt ad illud nos perduceres, mundum condidisti, carnem assumpsisti, mortem sustinuisti, & alia innumerabilia designasti: benignitatem tuam in nos continues, neque illam ob ingratitudinem vel negligentiam nostram,

vel

vel alias humanæ vitæ labes, quæ subinde per fragilitatem subrepunt, abrumpas vel imminuas; sed potius augeas, memor æterni consilij tui & omnium miserationum tuarum, quas hactenus præstitisti nobis. Illumina mentes nostras lumine Spiritus tui, quo & mundi istius (cuius præstigiis plerique pereunt) vanitates & pericula, & æternorum bonorum quæ nobis in te præparasti excellentiam & suauitatem possimus cognoscere. Fac vt illa nobis semper ob oculos versentur, & vehementem in animis nostris impressionem faciant, qua ad caducorum omnium contemptum, & ad æternorum amorem ac studium impellamur. Numquam flaccescant desideria, suspiria, & conatus nostri, donec ad vitæ huius terminum peruentum fuerit; in quo per gratiam tuam digni inueniamur regno tuo, & quiete illa æterna, qua omnes Sancti in te vltimo fine & summo bono suo, per visionem & amorem cum ineffabili gaudio, omnium votorum suorum compotes effecti, requiescent.



INDEX

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM.

Abortio. *Vide* Christus, & Filius Dei adoptiuus.

Ægyptus.

Aegyptus typum gerit mundi : & plagæ Aegyptiacæ sunt figuræ plagarum quæ inferentur Orbi sub finem. 386. *Plagæ Aegyptiacæ explicantur.* 379. & seqq.

Æternitas.

Definitio æternitatis explicatur. 48

Aeternitas propriè soli Deo conuenit. 49

Angeli non propriè dicuntur æterni, sed æuiterni. ibidem.

Aeternitas Dei est ratio temporis imaginarij in eo obiectiuè: seu ratio cur tempus imaginarium sit conceptibile. 53

Aeternitas non potest à nobis concipi nisi ex comparatione temporis imaginarij, sicut nec immensitas sine spatiis imaginariis, nec infinitas essentiæ sine rebus possibilibus. 53 & 56

Aeternitas comparatur rupi immobili, tempus fluuio. 56. & 78

Aeternitas omne bonum quod ipsa afficit, facit infinitè melius, & omne malum infinitè peius quàm per se sit. 56

Ex consideratione æternitatis quadruplex fructus. 55.56.57

Res non coëxistunt æternitati, nisi dum reipsa sunt, & coëxistunt tempori. 78. *Consideratio æternitatis maximè iuuabit tristitiam damnatorum.* 486

Amor diuinus, Benignitas Dei.

Amor mouit Deum vt extra se quodammodo exeat, & descendat ad creaturas. 107

Ex amore diuino omne bonum creatum profluxit, & vi eiusdem omnia in Deum reducuntur. 107

Amor mouet Deum ad quintuplicem egressum extra se. 107

In amore Dei est circulus. 109

Octo proprietates amoris ex S. Dionysio. 110.111

Quinque res considerandæ in amore diuino erga hominem. 112,113

Deus omnia diligit propter suam gloriam: hoc tamen non impedit quin diligat nos sincerissima benevolentia. 119. *Sic Deus dilexit mundum vt Filium suum vnigenitum daret, &c.* 217

Per amorem reducimur in nostrum principium vnde profluximus. 117

Amore fit compensatio beneficiorum per affectum. 330.

Anima rationalis.

Cur anima rationalis sit immortalis, non brutorum. 151

Vna anima rationalis secundùm se est præstantior & maioris æstimationis, quàm tota natura corporea totius vniuersi. 3. *In anima & in virtute seminali latent omnes varietates & proportiones quæ exteriùs cernuntur in corpore.* 75. *Animæ illorum qui immutabuntur, debent subire iudicium particulare.* 445 *Animarum disparitas.* 325 *Quælibet anima cuilibet vltimæ dispositioni apta.* 325

Angelus, Spiritus.

Angeli non sunt motores orbium cælestium. 192 *Angelorum ministerio quibus in rebus Deus vtitur.* 193 *Angeli à Patribus dicuntur immortales, non natura, sed gratia Conditoris.* 44 *quomodo à Doctoribus Scholasticis dicantur immortales. ibidem. Res humanas ministerio spirituum regi.* 390

Propter peccata subtrahitur protectio Angelorum sanctorum, & laxantur habenæ dæmonibus. 390

Effectus qui subtracta Angelica protectione sequuntur in regno. 390 *Quomodo vires regni crescant, & debilitentur.* 392

Antichristus.

Post eidem Antichristi & exercitus illius erit magna tranquillitas in Ecclesia. 433
Quantum temporis ab hac cade vsque ad Iudicium extremum. 434

Auxilium.

Auxilium internum triplex, excitatio, directio, protectio. 401
Ad auxilium excitationis tria pertinent, illuminatio intellectus, applicatio phantasiæ & affectio voluntatis. 401 *Vnde fiet vt quis facilè multùm proficiat.* 402
Directio quale auxilium, & quid sit. 407
Protectio in quibus sita sit. 403
Totum hoc auxilium minuitur peccatis. 405
Num, quamtamen ita subtrahitur, quin possint petere auxilium necessarium ad resistendum tentationibus. 405

B.

Beati, Beatitudo.

Omnes Beati, Deo subtrahente suum influxum supernaturalem, amitterent suam beatitudinem, & redaberentur ad nostras miserias. 44
Hæc considerati est illis causa summæ humilitatis & subiectionis ac reuerentiæ in Deum. ibidem
In iisdem actibus sita est nostra beatitudo & summa Dei gloria. 587

Beneficium.

Decem titulis beneficiorũ Deo obstricti summus ad omne obsequium. 332. & seqq.
In consideratione beneficiorum Dei tria expendenda. 330. & seaq.
Beneficia Dei quatuor rependenda ne simus ingrati; memoria, amor, obsequium, & gratiarum actio. 329
Particularia beneficia maxima septem considerantur. 323 & seqq.
Tempus noui Testamenti sæculum verè aureum. 324

Bonitas, Perfectio.

Bonitas tripliciter accipitur. 90
Quadruplex discrimen bonitatis, seu perfectionis Dei & creaturæ. 91
Quomodo Deus dicatur perfectus secundum S. Dionysium. 92
Summa perfectio cuiusque rei in sua specie est signum summæ perfectionis Dei in tota latitudine entis. 93
Omnis perfectio creaturæ respectu perfectionis diuinæ est instar nihili. 100
Minimum Dei bonum quàm Dei, est maioris momenti quàm vniuersum bonum creatum. 22. & 577
Præcipua bonitas rerum consistit in repræsentatione Diuinitatis. 584

C.

Charitas.

Per charitatem Spiritus Dei nobis communicatur & vnitur. 267
Vnde charitas hanc vim habeat. ibidem.

Christus, Christi beneficia, merita.

Quantum sit beneficium doctrinæ Christi quo mundus illuminatus. 253
Quantũ beneficium exemplorũ Christi. 259 & cur opus homini erat his exemplis. 256
Christus dedit nobis exemplum pœnitentiæ, castitatis, & obedientiæ. 256 & aliarum maximarum virtutum. 258
Exemplum vitæ Christi semper ob oculos habendum. 260
Beneficium liberationis à peccato & à morte æterna, est infinitæ æstimationis. 261
Beneficium adoptionis. 263 *In hoc beneficio quatuor considerauda.* 263
Per vnum hominem qui filius naturalis, adoptantur reliqui qui adoptiui. 264
Distantia inter statum vnde per adoptionem assumimur, & statum ad quem per adoptionem euehimur. 264
Thesaurus meritorum Christi. 272 *Sine hoc nihil vel parùm actum erat.* 273
Quomodo Christus pro nobis interpellet apud Patrem in cælo. 273

Quomodo thesaurus meritorum Christi nobis applicetur. 275
Cur merita Christi cùm sint infinita æstimationis, non habeant in nobis effectum positiue infinitum. 277
Christi meritum potissimùm ad duos effectus communicatur in Sacramentis, etsi non eodem modo. 278
Modus conferendi maxime in beneficio spectandus. 309
Quo modo Christus onus peccatorum nostrorum in se susceperit, & quanta in hoc onere acceptando difficultas. 312
De iurisdictione Christi. 313
Paupertas Christi. 314 *Subiectio & obedientia Legis.* 314
Cur Christus se Legi subiecerit, cũ se potuerit eximere vt legislator & Dominus. 315
Quantas acerbitates Christus sustinuerit in nobis redimendis. 313 & *seqq.*

Cælum, Sol, Astra.

Velocitas cæli solis. 191
Velocitas stellarũ circa Aequinoctialem. 191
Varietas motuum. 192
Effectus motuum cælestium. 194
Motus cælorum non fit per Angelos, sed per diuinam potentiam immediatè. 192
Quantas mutationes inducat solis obliquatio. 194
Qui effectus sequerentur inhærito cælorum motu. 196
Analogia inter Christum & solem. 195
Distantia cælorum à terra & quanta eorum sit velocitas. 64
Ipsa Diuinitas est æterna mansio & cælum cælorum beatis mentibus. 588
Non ardebunt cæli superiores in quibus sol & luna, sed inferiores, nempe superior aeris portio, quæ plena pingui vapore. 437
Explicatur locus S. Petri, 2. Petri 3. 438

Concursus Dei, Cooperatio.

Sine diuinæ cooperationi nulla res potest operari, vel in aliquem actum exire. 168
Ex subtractione concursus diuini maxima sequuntur incommoda. 168
Necessitas concursus diuini probatur variis rationibus. 169
Pelagius negauit concursum ad actus liberos, non autem influxum conseruatiuum rerum. 170
Si Deus non cooperaretur seu cõcurreret cum causis creatis, tolleretur perfecta subiectio quam creatura ad Deum habere debet. 173
Explicatur modus quo Deus concurrit cum causis secundis. 175
Deus quando concurrit cum causis secundis, non agit in illas quasi illas excitans, actuas vel prædeterminans ad agendum; sed simul agit cum illis, veluti causa partialis. 175
Concursus Dei non est res distincta à concursu creaturæ, nec magis distinguuntur hi concursus, quam gradus rerum ad quos per se primo terminantur. 176
Totus effectus est à singulis causis partialibus. 175
Singulis causis partialibus aliquid in effectu respondet. 176
Quid causæ primæ, quid secundæ respondeat in communi effectu. 177
Deus ita se voluntati accommodat, vt eius concursus sit in potestate voluntatis. 177
Deus non potest dici auctor effectus positiui furandi, fornicandi, mentiendi, &c. 178
Cur potiùs dicatur auctor effectuum naturalium, quàm actuum liberorum qui praui sunt. 178

Conseruatio, Influxus conseruatiuus.

Tota natura creata omni momento pendet à beneficio influxu Dei, quo res cõseruat. 128
Pie tenendum, omnia à Deo pendere, ostenditur ex Scripturis & Patribus. 129. 130, &c.
Conseruatio rerum quatuor modis concipi potest. 135
Influxus indeterminatus non sufficit ad rerum conseruationem. 135 & *sequentibus.*
Non minus est mundum conseruare quàm creare, sed potius amplius. 137

Eodem influxu & impetu Deus mundum conſeruat, quo illũ ab initio produxit. 137
Creatura tenetur à Deo in eſſe, ſicut pondus in aere. 138
Nulli rei præſtari poteſt vt ſit conſeruatiua ſui directè. 139
Conſeruatio eſt continuatio creationis ex nihilo. 138
In rebus incorruptibilibus nulla eſt vis conſeruandi ſui eſſe, indirectè. 142
Per influxum indeterminatum nihil poteſt produci. 143
Quòd influxus Dei ſecundùm ſe indeterminatus, determinetur ad huius rei conſeruationem, non poteſt prouenire ab ipſa re quæ conſeruatur. 144
Actioni indeterminatæ non poteſt eſſe terminus determinatus. 147
Res producta à cauſa ſecunda, ſi hac ceſſante, manet, conſeruatur à ſolo Deo influxu pleno ac determinato. 147
Ex permanentia rerum non poſſumus colligere, illas habere aliquas vires ad ſuum eſſe conſeruandum. 148
Sicut vires poſſit agere, requiritur concurſus Dei ex parte agentis; ita vt poſſit pati & recipere contrariam formam, requiritur ex parte patientis vt Deus ſuſtentet formæ inexiſtenti influxum conſeruatiuum. 150
Conſeruatio habituum prauorum pertinet ad munus auctoris naturæ. 152
Quidquid Deus ſemel conſeruat, ſemper conſeruat, niſi alia cauſa aliud poſtulet. 149
Ineſt rebus ratio cur poſtulent vel non poſtulent conſeruari à Deo. 149
Ac proinde non pendet ex ſola voluntate Dei quòd alia maneant, alia non maneant. 149
Cur anima rationalis ſit immortalis, non brutorum. 151

Creatura.

Nulla creatura poteſt Deo eſſe coæterna. 50
Creatio poſtulat vt res antea nõ extiterit. 51
Creaturæ omnes pendent à Deo non ſolùm ſecundùm eſſe actuale, ſed etiam ſecundùm eſſe potentiale & obiectiuum. 53
Omnis creatura eſt veluti ἀπαράγραπτος conceptionis diuinæ. 36
Triplici modo creatura rationalis dependet à Deo eſſentialiter. 332.

D.

Dæmones.

Dæmones alligandi corporibus igneis. 538
Non ſolùm patiuntur alligationem, ſed etiam dolorẽ qualem anima in corpore. 539 *& ſeqq.* 1*Qua ratione id poſſit concipi.* 541 *Dæmones etiam cùm ſunt extra infernum, patiuntur pœnam ignis.* 544
Cur dæmones ex rerum contemplatione non percipiunt oblectationem. 527

Deus.

Omnia quæ Deo tribuuntur, κατ' ἐξοχὴν exponenda. 4
De Deo omnia affirmare & omnia negari. 14
Cùm Deus dicitur ὑπέρθεος, ὑπερούσιος, ὑπέρθεος, id eſt, eſſentia, bonitate & Diuinitate ſuperior, quo modo τὸ ὑπὲρ ſuper intelligendum. 15
Deus eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens. 18
Deus proprie dicitur ὁ ὤν qui eſt, quia ſempiternè eſt, & vbique eſt, & inſuper ipſe omnia vel formaliter vel eminenter eſt. 4
Deus innominabilis & omninomius. ἀνώνυμος & πανώνυμος. 5
Deus per vnam ſimplicisſimam formam eſt omnia, nempe per eſſentiam ſuam. 6
Probatur hoc teſtimoniis SS. Patrum ibidem.
Perfectius eſt per vnam ſimplicem formam habere omnem perfectionem quàm per aliquo modo diuerſas. 8
Si aliqua in Deo eſſet actualis diſtinctio attributorum, eſſet etiam aliqua compoſitio. 8
Cur diuinæ perfectiones concipiuntur à nobis vt diſtinctæ. 9
Deus incomprehenſibilis intellectui creato, ſuo verò eſt comprehenſibilis, & ſibi quodammodo finitus. 11 *Deus eſt incõprehenſibilis loco, tempore, intellectu, amore.* 11
Quomodo intelligendum, quod quidã Patres dicunt,

dicunt, Deum non posse ab Angelis sanctis videri vt est in se. 13
Quomodo Deus sit infinitus, immensus, immutabilis, æternus, omnipotens, &c. vide suis locis. Quanta reuerentia cum Deo agendum. 18
Deus omnia tangit, à nulla autem re tangi potest. 33
Minima Dei humiliatio pluris est quam totum bonum creaturæ. 251
Deo ab æterno societatis & amicitiæ bonum non defuit. 590

Diluuium.

Diluuium quomodo orbi inductum. 372
Vnde tanta aquarum copia. 373 Quamdiu steterit, & quomodo adsumptum. 374
Qui sint fontes abyssi magnæ. 373 Quæ sint aquæ supra firmamentum. 379

Dolor.

Duplex fuit ratio dolendi Christo Domino, iniuria diuinæ maiestati irrogata per peccatum, & damnum humano generi inde prouenions. 313
Dolor animi potest hominem interimere. ibid.
Magnitudo doloris sequitur magnitudinem mali & perfectionem apprehensionis. 313
Dolor iste in Christo fuit continuus per totam vitam. 314

Dominium iurisdictionis.

Dominium duplex, iurisdictionis & proprietatis. 119
Quinque sunt actus dominij iurisdictionis, præcipere, vetare, punire, præmiare, permittere. 119
Dominium iurisdictionis eminentissimè est in Deo. 120
Deus habet amplissimam potestatem præciendi. 120
Omnium culparum pœnas & omnium meritorum præmia suo arbitrio definiit & taxauit. 121
Omnis iurisdictio creaturarum descendit à iurisdictione diuina. 122
Iurisdictio naturalis inuenitur in quatuor combinationibus. 122
Ex commissione nascitur triplex forma regiminis. 122
Iurisdictio supernaturalis primò descendit à Diuinitate in humanitatem Christi. 123
Quid Christus per hanc possit. ibid.
A Christi humanitate descendit immediatè in summum Pontificem Christi Vicarium posita eius legitima electione. 124
Iurisdictio actiua fori conscientiæ, qua absoluimur a peccatis, tota est immediatè à Christo vi Sacramenti Ordinis. 127

Dominium proprietatis,
vide Conseruatio.

Dominium Proprietatis, est ius disponendi de re aliqua pro suo arbitratu, &c. 126
Deus est perfectissimè Dominus totius naturæ creatæ titulo creationis & conseruationis. 127
Quo maior est rei dependentia, eò maius est ius & dominium eius à quo dependet. 127.

E.

Electio.

Vtrùm omnes saluandi sunt electi absoluto decreto ante omnem futurorum præuisionem. 556
Explicatur sententia affirmans. ibid. Eadem refutatur aliquot considerationibus. 557 & sequent.
Qua fuerit prima intentio libera in Deo. ibidem. Si tota electio facta esset ante præuisionem meritorum, Deus non videretur serio velle omnes saluos fieri, nec serio hortari reprobos ad salutem. 558 & sequent. nec serio minari electis. 560
Alia multa incommoda deducuntur. 561 & sequentibus.

Eminenter continere.

Quid sit eminenter continere. 16
Varij modi aliquid eminenter continẽdi. ibid.
Deus omnes res creatas eminenter in sua essentia continet. 17

Eucharistia, vt Sacramentum & vt Sacrificium.

Beneficium Eucharistiæ declarat immensam

in nos Dei benignitatem, sicut & beneficium Incarnationis. 278
Eucharistia nobis data in sacrificium, & in alimentum immortalitatis. 279
In qua actione consistat sacrificium Eucharistiæ. 279 Consistit in consecratione quatenus per illam Christus mystice occiditur, & corpus & sanguis seorsim sub speciebus ponuntur. 280
Species panis & vini nõ sunt pars hostiæ. 281
Pertinent tamẽ ad rationẽ Sacramenti. 281
Substantia panis & vini non pertinent ad rationem hostiæ vel sacrificij, ratio huius sacrificij ponatur in eo quod Christus hic mystice occidatur. 281
Si verò ponatur in eo quòd panis & vinum conuertantur in corpus & sanguinem Christi, sic habent se vt materia transiens. ibidem.
Est hic mutatio circa corpus Christi sufficiens ad rationem sacrificij repræsentatiui. 282
Sacrificium Eucharistiæ datum ad varios fines. 282 & sequentibus.
Fructus huius sacrificij latissimè patet. 286
Non solùm Orationes, sed etiam ipsum sacrificium offertur pro tota Ecclesia. 286
Sacrificium institutum primariò pro bono communi; Sacramenta ad sanctificandos singulos. 286
Sacrificium pro multitudine oblatum quo modo singulis valeat. 287
Quo modo immortalitas communicetur corporibus iustorum per Eucharistiam. 287
Duodecim miracula, maxima in mysterio Eucharistiæ. 290 & sequentibus.
Christi corpus ponitur in Eucharistia per quamdam reproductionem substantialem, non per adductionem seu productionem situs Vbi. 296
Corruptis speciebus fit restitutio eiusdem materiæ. 291
Quomodo species per se existant. 293
An calor exercetur quando species calescunt. 295.
Quo modo ex vi positionis corporis Christi sub speciebus, desinat substantia panis & vini. 301. 302
Corpus Christi dicitur fieri, confici, effici, creari in hoc mysterio. 302
Quæ dicuntur esse in Eucharistia per concomitantiam. 303
Etiam vnio hypostatica necessariò est in hoc Sacramento. 304
Verum Christi corpus retinens naturam corpoream, habet modum existendi spirituum in hoc Sacramento. 305
Vtrum sit ibi infinities. 306 Desitio corporis Christi in Eucharistia. 307
Ibi mirabilia circa consecrantem. 308
Analogia Eucharistiæ & Incarnationis. 309

Excæcatio. *vide* Pœna.

F.

Fides.

Deus à nobis exigit fidem rerum sublimissimarum, & quas ob causas. 81
Fide sublevamur ad ordinem supernaturalem. ibidem. Primus motus supernaturalis ad diuina est per fidem. ibidem

Filius Dei adoptiuus, Adoptio.

Sumus filij Dei per communicationem Spiritus diuini. 265
Eodem Spiritu quo viuit Deus, viuit quilibet iustus. 265
Nullius doni creati ratione sua entitatis sufficiens est vt faciat filium Dei. 266 267
Quid istud conferat adoptio præter donum creatum. 268
Efficacia adoptionis diuinæ. 269
Ratio meriti potissimum pendet ex dignitate adoptionis filiorum Dei. 269. 272
Esse iustum per donum intrinsecum, & esse filium Dei adoptiuum, per diuinam potentiam possunt separari. 522
Melior est vnus iustus quàm mille impij. 400

Finis vltimus.

Deus est finis vltimus rerũ omniũ, a & ω. 549
Duplex est finis, finis qui, & finis cui. Vtroq; modo Deus est finis naturæ rationalis. 550
Dominus est finis cuius gratia omnia quæ eius

eius dominio subsunt. 550
Quid Deus spectauit in rebus condendis. 550
Finis quem Deus spectauit, est, habere filios sibi similes. 551 Boni proprietas est sese diffundere. 551
Duplici modo Deus se communicat, naturaliter & libere. 551
Obtento fine omnes motus cessabunt. 588
Explicatur locus 1. Cor. 15. Christus tradet regnum Patri, &c. 588
Deus erit omnia in omnibus multis modis. 589.

G.

Gloria.

Gloria tripliciter accipitur. Primo, Pro qualibet excellentia interna vel externa, ratione cuius aliquis est dignus cognosci, amari, laudari, &c. Secundo, Pro signo talis excellentiæ. Tertio, Pro ipso cognosci & laudari. 552
Gloria formalis est clara cũ laude notitia. 552
Deus omnia facit propter suam gloriã, nempe vt cognoscatur, ametur, gustetur, laudetur, &c. in hoc enim consistit eius gloria extrinseca. 553
Omnia excellentiæ diuinæ signa in Scriptura vocantur gloria Dei. 553
Cur Deus potius intendit vltimo gloriam suam, quàm alia bona, vt voluptatem, gaudium, commodum. 554
Etsi Deus necessario in omnibus spectet gloriam suam, hoc tamen non minuit æstimationem beneficiorum eius. 579
Summa Dei gloria externa est nostra beatitudo. 579
Natura rationalis dupliciter ad Dei gloriam ordinatur. 584
Obiectiua repræsentatio duplici modo ad gloriam Dei pertinet. 585
Etiam amor beatificus & gaudium de Deo repræsentant excellentiam diuinam prout est in seipsa. 587
In ijsdem actibus situm est summum hominis bonum intrinsecum & summa Dei gloria. 585
Effectus horum actuum. 587

I.

Ignis.

Ignis præcedet iudicium. 435 Quadruplex erit effectus huius ignis, omnia mixta dissoluere, iustos purgare, mundum expiare, tandem impios inuoluere. 436 & seqq.
Qui cæli ardebunt. Explicatur locus Petri Ep. 2. cap. 3. ibid. 437 mare exuretur. 438
Ignis iste aget vt instrumentum Dei. 438
Explicatur locus Apostoli 1. Cor. 3. Si cuius opus arserit, &c. 439
Ignis conflagrationis an omnes perimet. 440
Miraculo conseruabuntur iusti ne igne lædantur, si nihil habent expiandum. 443
Probabilius est, omnes saltem ad breuissimum tempus morituros. ibidem

Immensitas Dei.

Immensitas Dei nostro modo concipiendi sequitur infinitatem essentiæ. 24
Immensitas Dei est fundamentum & ratio omnis spatij imaginabilis. 35 & 53. Probatur ex Scripturis. 25
Deus ratione suæ immensitatis per omnia diffusus, ita vt vbique sit totus, etiam extra mundum sine termino 29. & seqq.
Deus omnibus rebus ratione immensitatis est præsentissimus, & tamen infinitè supra omnia elenatus, & in se collectus. 33 Extra cælum posse signari spatia & puncta distincta. 29
Res creatæ sunt veluti cortinæ Deum interius latentem occultantes. 33
Consideratio assidua diuinæ præsentiæ est maximè vtilis ad vitæ sanctitatem. 34
Cùm Deus dicitur magnus in Scripturis, intellige infinitatem quoad omnia attributa. 3. 4. 26. Quomodo secundum Dionysium dicatur Deus magnus. 26
Immensitas Dei explicatur per dimensiones, ad Ephesios 3. Iob 11. 25
Deus est vbique per essentiam, per potentiam, & per inspectionem seu præsentiam. 32

Præsentia Dei per essentiam est perfectissima. 32
Deus à Patribus dicitur esse in seipso. 31
Quomodo in ipso viuimus, mouemur, & sumus, Act. 17. 32

Immutabilitas.

Immutabilitas sequitur immensitatem & infinitatem essentiæ. 37
Probatur Deum esse immutabilem, quatuor rationibus. 37 *& Scripturis* 38. *& ex Patribus.* 39
Consectaria ex immutabilitate. 38 *Nihil decederet Deo, etsi omnia creata perirent.* 39
In omni mutatione requiruntur duo instantia durationis. 41 *Instantia naturæ non sufficiunt ad mutationem.* 41
Deus ex omni æternitate ad omnia simul & semel se determinauit, siue sint futura, siue non futura. 42
Diuinæ essentiæ immutabilitas postulat hanc determinationem æternam. 42 *Mancre indeterminatum est imperfectionis & limitationis.* 42

Infernus.

Quo loco sit infernus. 470 *Quomodo Tertullianus describat infernum. ibid. Est in medio terræ sinu.* 471
Quanta sit inferorum capacitas. 472 *Structura inferorum iuxta Riberam.* 473 *Non est opus tanta loci vastitate. ibidem*
Stagnũ ignis & sulphuris apud inferos. 474 *Vtrùm ibi sit verus ignis corporeus.* 475
Vtrùm ibi sit fœtus. 480 *Vtrùm veri vermes.* 482 *An tenebræ.* 489 *De situ & dispositione damnatorum.* 484
Omnes erunt in stagno ignis & sulphuris. ibidem. Magnitudo huius stagni. 485

Infinitum.

Infinitum dupliciter dicitur, absolutè, & in certo genere. 1
Infinitum absolutè totam entis amplitudinem in se continet. 1
Infinitum in certo genere tria requirit. 1
Quomodo id animo sit concipiendum in singulis rerũ generibus capacibus infinitatis. 2
Infinitum aliud positiuè, aliud negatiuè. 2
In rebus creatis nihil est propriè infinitum. 3
Meritum Christi positiuè infinitum in ratione meriti. 2
Infinitũ non potest esse terminus creationis. 3
Infinitum comparatiuè in multis rebus inuenitur. ibid.
Deus est absolutè infinitus. ibid.
Ex infinitate cuiuslibet attributi colligitur infinitas essentiæ, & contrà. 4
Infinitudo diuinæ essentiæ est omnis perfectionis simplicissima & eminentissima cõplexio. 5
Duplex modus apprehendendi infinitatem Dei. 18
Inter Deum & hominem triplex interuallum infinitum. ibid.
Quinam virtutum actus sequantur ex consideratione infinitatis Dei. 19. 20

Incarnationis mysterium.

Incarnatio Verbi diuini ob varias causas fuit necessaria, sed potissimùm vt inueniretur iustum pretium, seu iusta satisfactio pro peccato. 218
Poterat Deus absoluta sua auctoritate multis aliis modis hominem à peccato liberare & saluare. ibidem.
Modus saluandi hominem per Incarnationis mysterium fuit maximè conueniens declarandæ diuinæ iustitiæ, misericordiæ, sapientiæ & potentiæ, & ad perducendum hominem ad salutem. 220
Vnio Incarnationis non est facta per amorem, vel per motum vnionis instrumenti, vel indumenti, vel tabernaculi, vt volebant Nestoriani. 222
Error Nestorianorum circa hoc mysterium. 222. 223
Error Eutychianorum circa hoc mysterium. 223.
Doctrina Catholica de hoc mysterio explicatur variis exemplis, insitionis, ignitionis, & animationis. 225
Item exemplo S. Eucharistiæ. 226
Decem mirabilia mysterij Incarnationis. 227
Magnitudo beneficij Incarnationis.

In-

Intellectus.

Potentia intellectiua nulla potest concipi præstantior. 586
Format in se vinas omnium rerum imagines, etiam Diuinitatis. 586
Repræsentatio formalis quæ fit per actum intellectus, longe est præstantior quàm repræsentatio quælibet obiectiua. 587

Iudex Christus.

Septem circumstantiæ ad maiestatem indicis Christi pertinentes explicantur. 453
Signum Crucis illustri & augusta specie apparebit in cælo. 454
Iudex apparebit in corpore glorioso supra solem splendido. 454
Comitabuntur omnes Angeli splendidis corporibus induti. 455
Sedebit in throno augustissimo. 455
Explicatur locus Apocalyps. xx. Vidi thronum magnum, candidum, &c. 456
Omnes Gentes coram illo congregabuntur, & omnes dæmones. 456
Credibile dæmones in corporibus comparituros. 457
Iudicabit suos seruos, non alienos subditos, vel populum liberum. 457

Iudicium extremum.

Iudicij locus erit Vallis Iosaphat prope Ierusalem. 452
Discussio iudicandorum quo modo fiet. 457
Duo libri proferentur in iudicio, Liber vitæ, & Liber conscientiarum. 458
Quo modo Deus illuminabit abscondita tenebrarum. 458
Videbuntur singulorum facta quasi intuitiuè cum circumstantiis, sicut ea quæ sunt in memoria. 459
Etiam peccata electorum erunt manifesta. 460.
Facta discussione, Iudex proferet sententiam sensibili voce. 460
Causæ damnationis in particulari non exprimentur voce, sed vi manifestationis omnium operum. 462
Omnes ibi comparebunt, etiam paruuli non baptizati. 463
Lata sententia statim sequetur executio. 466
Ignis inuoluet reprobos, terra vsque ad inferos latissimè dehiscente. 467 *Diuina virtute statim erunt in termino.* ibidem

Iustitia.

Deus non potest obligari creaturæ debito strictæ iustitiæ sicut apud Aristotelem accipitur. 159
Iustitia in Scripturis sæpè accipitur pro fidelitate in seruandis promissis. 160 *Eadem in Scripturis vocatur Veritas.* ibidem
Iustitiæ diuinæ seueritas cernitur in magnitudine pretij & satisfactionis quam exegit pro peccato. 413
In opere redemptionis est demonstratio infinitæ seueritatis, & infinitæ misericordiæ. 418
Iustitia duo inuoluit, debitum; & æqualitatem. 353 *Varia iustitiæ acceptio.* ibidem *Quadruplex debitum. Primum, Quod debitum naturæ. Secundum, Quod ex Legis obligatione. Tertium, Ex promissione. Quartum, Ex iure perfecto quod sit in altero.* 352. & seq.
Iustitia vt respondet debito primi, secundi & tertij generis, est perfectissimè in Deo. 353 & seqq.
Ex quadruplici motiuo potest quis velle conformitatem cum lege. 354
Voluntas diuina per se & essentialiter est iusta & conformis legi æternæ. ibidem
Iustitia strictè accepta, prout de illa loquitur Aristoteles, non est in Deo, cum ipse non sit capax strictæ obligationis ad alterum. 357
Deus non potest creaturam extra suum dominium collocare. 358
Cur Deus exigat bona opera. 359
Inter Deum & hominem propriè non est pactum; sed solùm metaphoricè, secundùm idiotismum Hebræorum. 360
Diuinitas non est obstricta Christo lege strictæ iustitiæ. 361
Iustitia latiore acceptione, vt nihil imperfectionis includit, propriissimè est in Deo. 361
In Deo propriè est iustitia Vindex. 363 & seqq.

Hæc distinguitur à commutatiua. 364
Est causa maximorum bonorum. 365
Compensat iniuriam Deo illatam, & instaurat ordinem iustitiæ læsum. 366
De primo opere iustitiæ diuinæ, quod est strages angelorum peccantium. 368
Nullus illis relictus locus pœnitentiæ. 369
De secundo opere diuinæ iustitiæ, quod fuit punitio peccati Adami. 369
De grauitate huius pœnæ. 370
De cataclysmo. 372 *Multitudo hominum illius sæculi.* 372
Vnde tanta aquarum copia. 373 *Qui fontes abyssi magnæ.* 373
De clade Sodomorum, & aliis iniustitatis. 375
Acrimonia huius incēdij & amplitudo. 376
Simili ferè modo punita gens quædam Peruana ob crimen nefandum. 377
Schismatici sub Moyse terrà absorpti. 378

L.

Laus.

Quid sit laus, benedictio, gratiarum actio, gratulatio. 340
Quanta gratiarum actio Deo debita. 341
Quomodo ratione carentia Deū laudent. 342

Lex.

Præcipua dignitas nouæ legis sita est in Sacramentis & Sacrificio. 276
Quo modo in lege veteri fiebat iustificatio. 277.
Lex ob duas potissimùm causas Israëlitis data est. 315

Libertas.

Libertas in Deo non officit immutabilitati. 40
Concursus Dei est in potestate liberi arbitrij hominis. 177

M.

Misericordia.

Quid sit misericordia. 208
Actus externus misericordiæ potest ex affectu diuersarum virtutum vel vitiorum prouenire. 209
An sit virtus distincta à charitate. 209. 210
Quaratione possit statui virtus specialis. 210
Deo perfectissimè conuenit misericordia, eáque duplex vel triplex. 211
Nullam includit imperfectionem, & supponit summam perfectionem. 212
Generalis & prima misericordia fuit subiectio naturæ rationalis ad statum supernaturalem. 213
Prima ex nihilo productio propriè non fuit opus misericordiæ, dici tum potest, si nomen hoc generaliùs sumatur. 213
Maximum opus misericordiæ, dare Filiū. 216
Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundū, &c. 217
Mundus, Plagæ nouissimæ mundi.
Mundus est in Deo sicut spongia in Oceano. 33 *Mundus est veluti templum Diuinitatis.* 101
Mundus corporeus conditus est propter hominem. 334 & 580 *Mundus seruit homini.* 335
Duplex officiū mundus præstat homini. 581
Mundus est præco Diuinitatis, & speculum, & instar tabulæ pictæ, & libri. 583
Quomodo res omnes quæ sunt in mundo laudent Creatorem. 584
Ipse Deus per res mundi assiduè pro homine laborat. 335
Valdè verisimile est, mundum post mortem Antichristi saltem ad septem annos duraturum. 435
Mundi renouatio fiet subitò post deturbatos impios in infernum. 467 *Non secundùm substantiam mutabitur, sed qualitatē.* 468
Quomodo cæli veterascent. 469
Plagæ Ægypti & excidij Iudaici sunt typus plagarum quibus affligetur extremis temporibus mundus. 423
Imperium Romanum in decem Reges dividendum. 424
Tantus erit terræmotus, vt montes & insulæ suis locis moueantur. 425
Conturbatio maris. 426
Plaga locustarum qualis in Apocalypsi. 428
Incendium montis Vesuuij anno Domini octuagesimo primo. 428

Solutio quatuor dæmonum, & bella grauissima. 429 *Conuersio maris & fluminum in sanguinem.* 430
Hæc tamen posteà redibunt ad suam naturam sicut in Ægypto. ibidem.
Deletio Antichristi & exercitus eius. 431
Plagas istas in Apocalypsi adscriptas esse ad litteram intelligendas. 432
Cur homines tot visis signis non conuertantur. 432

O.

Obduratio. *vide* Pœna.

Omnipotentia.

Deum esse omnipotentem. 62 *Omnipotentia sequitur infinitatem essentiæ.* 62
Deus potest per se efficere, quidquid potest per causas effectiuas creatas. 63
Deus potest facere quidquid per suam sapientiam potest extra se, tamquam non inuoluens contradictionem, concipere. 63
Deus potest creare infinitas rerum species sub singulis generibus, & infinita individua sub singulis speciebus; & singula individua infinities replicare & reproducere. 66
Quis fructus ex cõsideratione omnipotẽtiæ. 67

P.

Papa, Summus Pontifex.

Tota iurisdictio Ecclesiastica à Christi humanitate descendit immediatè in Papam, posita eius legitima electione. 124
Qualis debeat esse iurisdictio Papæ, seu Vicarij generalis Christi. 124.125
Iurisdictio actiua ad absolutionem à peccatis in foro conscientiæ non est à summo Pontifice, sed immediatè à Christo per Sacramentum Ordinis. 125
Omnis iurisdictio spiritalis Prælatorum est à summo Pontifice: in quo est plenitudo potestatis. 125

Patientia.

De patientia Dei, mansuetudine, & clementia. 343
De patientia Christi. 344

Paruuli non baptizati.

Maximus horum erit numerus, ita vt facilè superaturi sint numerum hominum qui hoc tempore viuunt. 463 *Comparebunt in Iudicio.* 463 *Videbunt damnationem impiorum, & gratias agent Deo quòd ipsi in eamdem non ceciderint.* ibidem
Perficientur maximis bonis ordinis naturalis. 464 *Cognoscent vtcumque naturam animæ suæ clarè & distinctè: minùs autem perfectè Angelos.* 464 *Deum semper laudabunt.* 465
Non habebunt propriè beatitudinem naturalem. 466 *Non erunt in specu obscuro.* 466

Peccatum.

Deus necessariò odit omne peccatum. 98 *Bonum supponens peccatum, non est per se appetendum.* 185
Peccata venialia merentur temporales afflictiones. 200 *Peccati mortiferi malitia quòdam modo est infinita.* 213 & 260.
Omne peccatum mortiferum secundùm se est irremissibile. 262 *Peccatum mortiferum est instar ponderis immensi naturâ suâ statim trahens ad inferos.* 261 *Peccatum dicitur pœna peccati, quæ permissio ex qua sequitur aliud peccatum, est pœna peccati.* 184 *Cur Deus non statim inferat vindictam.* 394
Certa mensura peccatorum constituta, qua impleta peccatum sit puniendum. 394 *Quæ peccata ad hanc mensuram pertineant.* 397
Cur Deus minùs toleret peccata fidelium quàm infidelium. 396
Quo modo non sit iniquum ob vnius peccatum puniri Rempublicam. 398 *Cur celeriùs vel tardiùs peccatorum mensura impleatur.* 399
Propter peccata parentum aliquando minuuntur filiis auxilia diuina. 415
Quomodo filius non portabit iniquitatem patris, Ezech. 18. 415
Peccata venialia minuunt feruorem charitatis

tatis dupliciter, subtrahēdo maiora auxilia, & apponēdo impedimenta affectui. 416
Deus vult nos agere pœnitentiam, vt gustemus æquatenus amaritudinem & malitiam peccati. 418
Cur peccatum mortiferum meretur pœnam æternam. 489
Malitia peccati non est priuatio rectitudinis debitæ actui propriè loquendo. 492
Neque etiam est priuatio rectitudinis quæ debeat inesse operanti. 494
Neque consistit in priuatione conformitatis cum lege diuina. 496
Non consistit in aliqua physica vel reali ratione. 500 nec in ratione reali. 500
Ordo actus ad obiectum vt prauum, non est realis. 501 Habitus virtutis & vitij non habent repugnantiam physicam sed moralem. 502
Quo sensu malitia moralis possit dici consistere in priuatione. 502
Multis modis recedituur à regula. 504
Malitia peccati explicatur à Patribus per priuationem quæ est effectus peccati. 504
Malitia peccati formaliter est nihil. 505 Secundum Augustinum etiam ipse actus peccati est nihil, & eo sensu. 505
Peccati mortiferi malitia consistit in quadam iniuria in Deum. 506 Peccatum in Scripturis explicatur per contemptū Dei. 507
Si non esset Deus, nullum esset peccatum mortiferum. 508 Similiter si Deus peccatum non prohibuisset. 508
Prius est esse malum quàm esse prohibitum, non tamen prius est esse peccatum mortiferum, quàm esse prohibitum à Deo. 509
Continet peccatum mortiferum malitiā infinitā, non absolutè, sed comparatiuè. 510
Malitia vnius peccati mortiferi in lance diuinæ iustitiæ præponderat omnibus operibus bonis iustorum. 510
Cur peccatum mortiferum plectatur pœna æterna. 511
Nulla creatura potuit pro peccato mortifero satisfacere. 511
Dolor de iniuria non est iusta compensatio inter homines, multò minus inter creaturam & Creatorem. 513
Amor physicè magis conuertit voluntatem ad Deum, quàm odium auertat: secùs moraliter. 515
Ex iisdem capitibus quibus creuit iniuria, decreuit obsequium & satisfactio. 515
Aliter amor Dei meretur vitam æternam, aliter peccatum mortem æternam. 516
Spiritus adoptionis reddit opera digna vita æterna. 517
Nulla qualitas creata vi sua potest tollere peccatum. 517
Peccatum mortiferum duplicem habet malitiam intrinsecam. 519
Peccator sub multiplici consideratione Deum contemnit. 519
Quos effectus habeat peccatum in anima. 521 & seqq. Etiam vnicum peccatum mortiferum omnia illa mala infert. 525
Actus peccati, etsi repræsentet diuinas perfectiones, tamen non est volitus à Deo. 578

Permissio.

Quid sit permissio. 182 Quinque requisita ad permissionem. 182
Variæ causæ cur Deus qui summè bonus, permittat mala. 183. 184
Permissio est quid temporale, decretum permittendi æternum. 182
Cur Deus permittat bonos affligi. 199 Quomodo Deus vtatur impiis permissiuè ad punitionem aliorum. 389

Pœna.

Duplex est pœna, damni & sensus. 462, 474
Tristitia ad pœnam sensus pertinet, & quodam modo ad pœnam damni. 475
Pœna damni in reprobis duplici ratione erit infinita. 486
Pœna damni in reprobis quintuplex damnum continet. 527 Hæc damna semper illis versabuntur ob oculos Deo id efficiente. 528
Pœna damni præcisè considerata in omnibus erit æqualis, sed afflictio inde proueniens, diuersa. 528

Cur

Cur adulti potiùs quàm parvuli ex pœna damni mœrorem concipiant. 529 *Diuina iustitia facit vt alij maiorem alij minorem tristitiam ex damno illo sentiant.* 530
Pœna sensus quinque afflictionum genera continet. 531
Quomodo per bella Deus castiget populos. 387 *& resecat luxuriantem generis humani vitem.* 388
Monarchiæ ad hoc excitatæ. ibidem.
Flagellũ diuinũ assiduè orbem perambulat & punit vbicumq; mensura est completa. 396
Multitudo impiorum accelerat vindictam in Rempub. multitudo iustorum eam extrahit. 399
tres causæ ob quas Deus differt vindictã. 402
Pœna spiritalis in quatuor rebus posita est, in subtractione gratiæ iustificantis, auxilij interni, auxilij externi, in excæcatione & obduratione. 401
Excæcatio & obduratio sunt pœnæ maximè formidandæ. 407 *Excæcatio in duobus sita, subtractione luminis diuini, & iudicij peruersione.* 407 *In quibus maximè cernatur hæc pœna.* 408
Causa efficiens excæcationis partim est ipse Deus, partim diabolus, partim ipse homo sibi. 408
Quo modo diabolus iudicium hominis peruertat. 409 *Cur hæreticorum & Iudæorum difficilis conuersio.* 410
Quo modo homo se excæcet. 410 *Excæcationem sequitur obduratio.* 411
Deus dicitur excæcare & obdurare negatiuè, permissiuè, & per occasionem. 412
Peccatum dicitur pœna peccati, quia sequitur ex eo quod erat vera pœna peccati, nempe ex permissione diuina. 412
Pœna spiritalis non semper condonatur cum temporali. 413
Peccatum mortale etiam condonatum sæpe est occasio damnationis. ibidem. *Etiam peccata venialia puniuntur pœna spiritali.* 415
Non solùm ob peccata sed etiam ob teporem minuuntur auxilia diuina. 417

Possibile.

Possibilitas rerum alia intrinseca, alia extrinseca; illa remota, hæc propinquã. 66. 85
Essentia diuina est ratio possibilitatis rerum. 66. & 53.
Oculis Dei non minùs lucent possibilia quæ non sunt actu, quam ea quæ sunt actu. 88

Prædefinitio.

Prædefinitio Dei actus est internus & liber diuinæ voluntatis respiciens obiecta quæ extra Deum. 179
Aliter sunt prædefinita ab æterno, quæ initio mundi a Deo condita, aliter quæ posteà successu temporis à causis liberis vel necessariis fiunt. 180
Posse peccare non est propriè prædefinitum à Deo. 180
Opera nostra libera non sunt prædefinita à Deo secundum Damascenum, quamuis Deus omnia illa distinctè præscit. 181

Præscientia.

Præscientia pendet obiectiuè ob operibus liberis. 561
Distinctio præscientiæ & decreti diuini in ordine ad actus voluntatis. 561
Discrimen inter præscientiam & decretum reprobationis negatiuæ. 571

Prouidentia, *vide* Concursus, Permissio, Prædefinitio.

Quid sit prouidentia. 163 *Deum habere omnium prouidentiam.* 163
Prouidentia partim est actus intellectus, partim voluntatis. 166
Ad prouidentiam pertinet permissio. 166
Duæ functiones prouidentiæ, Creatio & Gubernatio. 168
Quos actus diuina prouidentia habet circa peccata. 186
Nihil potest diuinam prouidentiam effugere. 186 *Quo modo diuina prouidentia vtatur impiorum opera.* 188 & 389. *mysteria Passionis Christi quomodo per prouidentiam prædefinita.* 188
Quomodo diuina prouidẽtia impediat diabolum ne noceat quantũ cuperet nocere. 189

Fructus considerationis diuinæ prouidentiæ quadruplex. 198
Mundus inferior tribus regitur administris, ministerio Angelico, motu calorum, & vi intrinseca cuilibet rei impressa. 197
Cur diuina prouidentia permittat bonos affligi, & malos dominari. 199
Omnia quæ in tempore fiunt, ab æterno fuere in diuina prouidentia constituta. 203
Prouidentia diuina numquam in sua dispositione fallitur. 205
Ex vi prouidentiæ sic vt animalia & plantæ operentur ordinatissimè, non secùs ac si mente fuerint præditæ. 204 *Sola natura rationalis se subtrahere nititur ordini diuinæ prouidentiæ.* 204
Ad prouidentiam Opificis spectat procurare ne mensura à se in opere præfinita excedatur. 558
Ex Dei prouidentia, diuinoque beneplacito pendet quod hic ex illo hoc tempore, hac loco nascatur. 325
Eadem corporis dispositio innumeris animabus accommoda. 325

Purgatorium.

Purgatorium ordinarium est sub terra. 429
Pœnæ purgatorij grauiores omnibus pœnis huius vitæ. 419
Diuturnitas harum pœnarum. 420
Ex triplici capite dolores post hanc vitã sunt maiores, quàm in hoc sæculo. 421
Mira Dei seueritas in amicos & filios, sed iustissima. 421
Affliguntur pœna damni & sensus. ibidem.
Dolor ex pœna damni prouenit in illis quadruplici consideratione. 422

R.

Redemptio. *vide* Christus.
Duo erant necessaria ad nostram redemptionem, satisfactio æquivalens & fons perennis sanctificationis, seu thesaurus meritorum. 215
Cur homo potius redemptus quàm Angelus. 215. 216.

Religio.

Dignitas & excellentia religionis Christianæ in septem rebus consistit. 282

Reprobi, Damnandi.

Reprobi per Angelos congregandi in locum Iudicij. 452 *Non cognoscent gloriam Sanctorum intuitiuè, sed notitiuè & confusè.* 530 *Fiet hoc per aliquam illustrationem, quæ tamen ad maiorem eorum pertinebit afflictionem.* 530 *Cur corpora eorum non consumantur.* 533 *Corpora eorum verum patientur calorem.* 533 *Deus conseruabit temperamentũ necessariũ ad vnionem animæ.* 535 *De verme damnatorum.* 536 *Ex hoc verme nascetur desperatio.* 537 *Peccant odio & blasphemiis.* 538

Resurrectio.

Vtrũ omnes sint morituri & resurrecturi. 441
Locus Apostoli 1. Cor. 15. expenditur. ibidem. Item locus 1. ad Thessal. 4. ibidem.
Eodem momento fiet mortuorum resurrectio & viuorum immutatio. 443
Tria ad resurrectionem requiruntur: congregatio materiæ, corporis formatio, animæ vnio. 446
Congregatio ista vniuersè non potest fieri ab Angelis, sed fiet virtute diuina. ibidem.
Collectio materiæ non fiet in instanti, sed tempore brevissimo & imperceptibili. 448
Formatio cõporis non fiet in instanti. 448
Singulis membris sua restituetur materia. ibidem.

S.

Sacramentum, Sacrificium. *vide* Eucharistia.
Sacramenta nouæ legis continent in se Christi merita, eaque nobis applicant. 275
Eorum effectus sunt satisfactio pro culpa & pœna præsertim æterna, adoptio, protectio, directio. 275
Benignum Dei consilium in Sacramentis instituendis. 276

Sanctitas.

Quid sit Sanctitas. 96 *Deus quintuplici ratione*

tione Sanctus dicitur. 97
Multiplex discrimen sanctitatis Dei & creaturæ. 99
Multiplex fructus ex consideratione Sanctitatis Dei. 100.101
Sanctitatē Dei in quibus imitari debemus. 102
Nosse & amare Deum est sanctitas spirituum. 103
Summus gradus sanctificationis est per vnionem hypostaticam. 103
Ab hac tota sanctitas quæ est in toto genere humano. ibidem.

Sapientia.

Ad quæ obiecta se extendit diuina sapientia. 71 Cognitio intuitiua in Deo nihil addit perfectionis cognitioni abstractiuæ. 71
Quomodo Deus cognoscat omnia in sua essentia. 72
Cognitio abstractiua in Deo fit intuitiua ex vi suæ perfectionis eo ipso quo eius obiectum aliquando est futurū. 72 Prius ratione Deus cognoscit in suo decreto permissiuo rem absolutè futuram, quàm illam videat intuitiue. 73 Simili modo cùm aliquid decernit decreto positiuo cum circumstantiis. ibidem.
Diuina sapientia clarissimè cernitur in structura humani corporis, aliorúmque animalium. ibidem.
Deus infinito lumine simul & distinctissimè videt infinities infinita. 75.76
In oculis diuinæ sapientiæ non minus lucent ea quæ non sunt quàm ea quæ sunt. 88
Ordo obiectorum diuinæ sapientiæ. 77 89
Vnde proueniat quod intellectus diuinus cognoscat futura. 77.78
Deus tam perfectè & distinctè videt singula, ac si ad nihil aliud attenderet. 76
Sapientia Dei est sigillum quo res formantur, cum exactis diuinis conceptibus, qui habent rationem idearum. 79 Res futuræ non sunt mensura præscientiæ diuinæ. 86
Fructus considerationis diuinæ sapientiæ. 80

Seruitus.

Triplex seruitus per peccatum contracta; seruitus peccati, diaboli, mortis. 153
Quadruplici titulo sumus serui Dei, Creationis, Conseruationis, Redemptionis, & vltimi finis. 157 Titulo redemptionis omnes sumus serui Christi. 153
Seruitus Dei est nobilissima. 21
In quo consistat. 21.22

T.

Terra.

Terræ magnitudo eiusque diameter. 64
Terra vsque ad feros imanis hiatu delescat ad sententia contra reprobos, vt eos absorbeat. 467
In medio terræ sinu stagnum ignis sulphurei. 474

Tuba.

Sonus Tubæ audietur à mortuis. 449 etiam in inferno. 451
Iste sonus erit causa resurrectionis, non physica sed moralis. 450
Eadem voce fiet congregatio electorum. 450
Plures sunt futuræ tubæ per orbem. 451
Non opus est vt sonum dant vocis articulatæ. 452

V.

Veritas.

Quid sit veritas. 82
Quomodo ex mente diuina descendat in res creatas, & a rebus creatis in nostram mentem & cognitionem. 84
Cur veritas & bonitas proprietates entis. 83
Quomodo Deus est summa veritas. 84
Sicut veritas rei nihil addit reale ipsi rei, ita nec veritas cognitionis ipsi cognitioni. 84
Obiectum est mensura veritatis cognitionis nostræ: cognitio verò Dei est mensura obiectorum creatorum. 84

Vita.

Quid sit vita. 86
Quo modo Deus sit vita. 86
Vita conuenit Deo ratione intellectus & voluntatis, in quibus est suprema vitæ ratio. 87

Vnio hypostatica.

Necessariò ponendus modus aliquis intrinsecus

secus supernaturalis in humanitate Christi, cuius vi formaliter vniatur Verbo diuino. 231
Modi distinguuntur à rebus quas modificant realiter & complete. 231
Diuina voluntas per se non sufficit ad realem seu physicam duorum vnionem. 232 & 239
Vnio formarum cum subiectio est modus earum non sola ratione, sed ex parte rei distinctus ab illis. 233
Quod non est ex parte rei distinctum non potest realiter modificare. 234
Differentiæ non modificant genus realiter nec personales entes diuinam essentiam. ibidem.
Esse per se in anima separata, non est modus positiuus multorum sententia. 235
Datur distinctio media inter realem, perfectam, & rationis. ibidem.
Nō potest fieri realis trāsitus de cōtradictorio in contradictorium sine reali mutatione. 236
Vbi est modus rei intrinsecus. 237
Potest res subire varia tempore sine vlla sui mutatione, non tamen varia loca seu varia vbi. 237
An vt modus resultet, quando fit per naturalem resultantiam, sit opus nouo influxu Dei. 238
Dependentia effectus à sua causa efficiente, est modus quidam in effectu. 240
Eleuatio naturæ humanæ non potest fieri absque aliquo intrinseco. 241
Sola moralis vnio potest fieri per nudam Dei voluntatem. 243
Vnio hypostatica est quid imperfectum in ratione entis, non in ratione vnionis. 345
Inter naturam humanam & diuinum Verbum est infinita distantia. 242
Vnio non vnitur Verbo vt id quod, sed vt id quo. 244
Modus vnionis hypostaticæ in corpore Christi materialiter est corporalis, formaliter supernaturalis. 247
Hæc vnio sufficit vt natura humana dicatur assumpta, terminata, sustentata à Verbo. 248
Subsistentia creata non sustentat naturā, sed terminat & reddit incommunicabile. 249
Vnio naturæ diuinæ & humanæ secundum hypostasin, inclusa vnionem creatam humanitatis cum Verbo 249

Voluntas.

Voluntas antecedens, & consequens, quæ dicatur. 185
Voluntas diuina per se & essentialiter est iusta & conformis legi æternæ. 354
Voluntas diuina per se non sufficit ad realem duorum vnionem. 239

Lapsus Typographicos sic emendes.

Pag.	lin.		
19.	5.	præstat	lege præstet
31	10.	illud	illum
ibid.	16 *à fine*	quæ	qua
37	2 & 3.	quà	quia
38	*pænult.*	Confess. 6.	dele 6
86	*pænult.*	arcescunt	lege arcessunt
109	2.	ἀπελεύπτης	ἀπελευτητ.
115	3.	aut	nos
134	9 *à fine*	nequeant	nequeat
144	6.	causa	causæ
146	*vlt.*	Hæc dicet	Hoc dicat
148	5.	durunt	durant
166	1.	confirmatas	conformatas
175	*vlt.*	& causa	à causa
241	*vlt. in marg.*	intrinsecum	extrinsecum
247	13 *à fine*	videre	videri
293	3.	inexistat	inexistant
398	10 *à fine*	alium modum	aliùs modus.
308	22.	ista	ita
Pag.	*lin.*		
325	8.	eos	eas
360	15 *à fine*	undamentū	Testamentum
370	4 *à fine*	nocituna	nocitura
387	11.	vel Assyriorum	vt Assyriorum
389	14 *à fine*	inferri	inferre
414	3 *à fine*	studia	studio
416	19.	auxilia	auxilia
458	5 *à fine*	quilibet	cuilibet
461	18 *à fine*	affluentiæ	affluentia
473	12.	futura	futuri
560	6 *à fine*	expressum	expressam
514	23.	illa differentia	vlla differentia
515	8.	satisfactione	sanctificatione
	9.	canstat	constat
530	10.	dist. 5.	dist. 50.
563	4.	inefficacem	efficacem
569	14.	Deo	Dei
579	9.	minuatur	minuitur
590	11.	Has	Hæc

FINIS.

Collegij Societatis JESV Paderbornæ 1636.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN